

**National Library of Scotland – Blaeu Atlas of Scotland, 1654**  
<http://www.nls.uk/digitallibrary/map/early/blaeu/>

**THEATRVM ORBIS TERRARVM  
 SIVE  
 ATLAS NOVVS  
 pars quinta**

**apud I. Blaeu  
 Amstelædami  
 1654**

[The orthography and punctuation of the original have been retained; note particularly the diphthongs æ and œ (lower and upper case), i/j and u/v (and V mostly as upper case of both), and y (sylva etc.); inconsistencies between authors are retained.

Authors' abbreviations (e.g. fl. = fluvius) are retained, but typographical ones (-u = -um and q; = que) are expanded with footnotes.

Long and short s are both rendered s.

In dates CI[reversed C] is rendered M.

Italics, capitals and small capitals are reproduced.

Page-numbering of the original is included in square brackets. Where the division is in the middle of a word, the numbering is placed after that word.

Indentation of the original is followed: 2nd and subsequent paragraphs of a section – 1 tab; poetry, hexameters – 1 tab, couplets – alternately 1 and 2 tabs.

Headings are centred, mostly as in the original, but the varying sizes of type are ignored.

ADDITION., denoting additions, is taken into the text from the margins. Other marginal notes are omitted.

Misprints are not corrected, but are commented on in footnotes.]

[1v]

I. BLAEV  
LECTORI  
SALVTEM

Quam tibi, Lector, cum annis abhinc aliquot Angliam producerem, obligaveram fidem, scilicet post editionem Theatri Vrbium Belgicarum, me Scotiam daturum, ea me nunc libero, Ecce illam una cum Hibernia, quintam Atlantis nostri partem. Hanc prudentiæ ac benevolentiæ tuæ dedico, ut his veluti secundis subvecta ventis naviget, imo & volitet per ora virûm tui simillimorum, apud quos tum cognoscendi tum ignoscendi locus. Opus enim est plane novum quod tuis nunc primum oculis usurpatur; coa luit ex variorum industria & labore; non enim unius est onus Atlantis, qui totum Terrarum fert Orbem, vel in parte sustinere. quid singuli fecerint edisseram: Timotheus Pontius patria Scotus omnem late Scotiæ regionem peragravit, curiosius singula oculis lustravit, & in tabulas aliquot rudes illas adhuc quidem, ut sunt omnes labores initio imperfecti, redegit. Ioannes Scotus Scoto-Tarvatius cum has, tum alias, quæcumque inter manus variorum vagabantur, mira solertia collegit, & veluti sacras ex naufragio ad me misit, laceras me hercle & multum deforms. Has ego concinnavi, sæpe quæ una & confusa erat in plures distinxii. Accessit hic Gordoniorum Roberti & Iacobi ultima manus, qui præter correctiones in Timothei tabulas etiam suas [2r] aliquot, nec non descriptiones quasdam à se, quasdam etiam ab aliis factas adjunxere. Orcas quidam, quem Typothetarum meorum erroribus castigandis præfeceram, Orcadas & Hethlandicas jussus adornavit, aliae ex Buchanano & Cambdeno desumptæ; Cambdeni Scoto-Tarvatius multum multis in locis correxit. Habes hic Lector benebole, authorum qui huc symbolum contribuerunt seriem, unde tibi, quas nunc offero, confeci dapes; lautiores magno labore & sumptu hactenus non potui, tu si quid faciat ad stomachum tuum fruere, si quid melius habes adfer, adfer quæso, gratus accipiam, & cum grata nominis tui commemoratione, si ita videtur, publici juris faciam. Perge nunc, & Scotiam invise, ac epulis oculorum vescere: Sed heus, est quod te antequam accumbis monitum volo. Iam Italæ urbes & monumenta magnam partem parata sunt; hæc tibi dum Scotiam percurris, præparabo bellaria. Orbem maritimum etiam expectabis, si exspectare non graveris, donec is tuo commodo, meo labore appareatur: non enim hæc illotis manibus, ut quidam jam fecit, attingenda, satius foret quiescere, quam ita properanter multum scribendo nihil scribere, & fumum vendere. Intelliges, spero, postea, Lector, nihil adhuc actum esse, ubi conatus nostros ea in parte cognoveris: interrumpam enim nonnihil quem constitueram servare ordinem, æmulatione aliorum coactus, unde fiet ut Ptolemæus, & reliquus veteris Geographiæ apparatus, nec non Græcia, & alia quædam, paulo tardius quam putaveram, lucem aspicient; sat cito, si sat bene: quod assecutus videbor, si tibi labores hi nostri non displiceant. [2v] Nec enim hoc meretur, qui festinat placuisse; scis quam festino: ecce tibi, dum hæc in manibus, redux ex India R. P. Martinus Martinius, Imperii Sinensis tabulas una cum ejusdem descriptionibus secum adferens. Instat, ut edam; ego vero ceteris omnibus posthabitatis hoc opus urgeo, ut & voluntati ejus, & voluptati tuæ, Lector humanissime, nullo interposito alio opere, quam ocyssime satisfaciam. Vale & fruere laboribus nostris.

[2r]

IOANNES BLAEV  
LECTORI  
SALVTEM

Pergo tibi exhibere Terrarum Orbem, cuius tu decus es & Ornamentum: uti enim vasta & immensa cælorum spatia sibi servare voluit Majestas divina, tanquam gloriæ suæ illustrissimam & propriam sedem; ita nos, imaginem suam & propaginem, augustiore<sup>1</sup> hoc mundi sublunaris domicilio nasci & vivere, ut hinc in Autorem tantorum operum sublimi admiratione reflecteremur. Sunt huic domicilio suæ partes, quibus eadem Numinis providentia ambitionem & avaritiam humanam circumscrispsit, ne aut imperare unus universo, aut possidere quicquid ubique terrarum est, audax præsumeret. Stetit hactenus labor noster in ea potissimum Orbis parte, quam Europam vocamus. Hujus septentrionalia cœpi Tabulis complecti, præeunte in hunc ordinem Ptolemeo Geographorum principe, & cæteris fere omnibus. In his primas facile sibi vendicant Britannicæ Insulæ, & inter has Britannia Magna, cuius partes Anglia & Scotia: Angliam cum exactissimis G. Camdeni descriptionibus nuper dedi, quam eo excepisti applausu, ut plurium expectatione dignus videare. Fas sequi Scotiam, ne quas principes Sorores nexuit Creatoris manus, divellat Geographi. Dignum est hominum erectiorum contemplatione Regnum hoc Augustissimum, non ob situs solummodo honorem; nam à dextra mundi parte est; & soli dotes maximas: sed & ob ea, quæ nostra putamus, rerum in ea omni seculo gestarum magnitudine, & ingeniourum cultum eminentiamque. Eo vultu prodit, ut vetus omnis displicuisse possit; eo tabularum numero, quem non adæquat priorum industria; iis auctoribus, ut non peregrinis scriptoribus debere velit, sed suis dominatis & educatis, quibus uti amor studiumque est patriæ incorruptum prorsus, ita propiore nativi soli conspectu patere ipsis possint situs, spatia, majorum imperia, urbes, arces, rura, populorum mores, flumina, montes & circumfusa maria, portus, litora. Non utar ambagibus, nec loquar in os absenti. Opus hoc si Nobilissimo ac Magnifico viro, Ioanni Scoto-Tarvatio, imputaveris, suam prolem reddes [2v] suo patri. Sunt genitoris aliæ, fateor, aliæ educatoris, matris & nutricis partes, sed utrosque parentum nomine venire dudum credidit pietas. Non illis solum gratias debet Orbis, qui libros condunt, tabulas ad artem Geographicam continuant, terras cælo, cælum terris velut perpendiculo aptant: verum & illis, qui has operas suadent, urgent, corrigunt, augent, sumptibus & impensis promovent, languida roborant, amissa recuperant, deformibus formam & nitorem donant, ut nasci & renasci fœtus illustres & prodire in lucem & hominum ora speciose possint. Anni effluxere sedecim, ex quo in hanc curam incubuit Parens optimus, huic studio usque adeo deditus, ut ærarium suum, sumptuum minime parcus, concutere magnis motibus veritus non fuerit, certa publici boni spe, sui incerta & dubia Scotiam tunc animo agitante; visus fuit ad hanc rem idoneus adjutor Scotus Tarvatus, à cujus nomine sibi opem pollicebatur Scotia, ob conjugatas voces & conscientiam munieris, qua illi alligabatur. Accedebat, quod virum nosset acrem ingenio, memoria, quæ in hisce studiis non postrema est, validum, & in optima omnia, quæ intendisset, perseverantem: ad hæc in bonos effuse honorificum , literarum & literatorum cultorem summum, elegantioris doctrinæ succo imbutum; qui & eruditione præcellentes admirari, diligere, privato contubernio fovere, etiam foris posset & vellet. Hunc ergo ut obvium suis cœptis comperit, crebra literarum missitatione excivit ad edolandum hunc fœtum: Nec enim poterat edi in lucem & nasci Scotia, nisi obstetricante Scoto. Tabulas quippe, quæ inter aliorum manus aberraverant, mira industria & solertia, velut sacras è naufragio, recuperavit, & in tutum littus Amstelodamense apud nos deposituit, qui eas, ne perirent, iterum æri victuras incideremus in posteritatis usum. Nec satis fuit Scoto-Tarvatio, ab interitu vindicasse egregios Pontani labores; verum à præstantissimo Gordonio, Geographorum phœnlice, resumi illos, voluit, & novam manum adhiberi corrigendis hic illic perperam notatis. Pendebant adhuc multarum regionum delineationes interruptæ, minæque tabularum ingentes, quas præveniens Pontanum mors consummari vetuit. Huic rei applicuit noster Gordonios patrem & non

<sup>1</sup> i.e. angustiore ?

degenerem filium, Scotiæ lumina & Geographorum faces; qui, non longe semoti ab Helice, idem officium apud suos præstant Geographiæ studiosis, quod illa oceanum navigantibus. Horum cura affectæ, at nondum perfectæ, tabulæ complures, plenis tam toris & armis conspicuæ, natalium suorum felicem Catastrophen & [3r] ultimas lineas Scoto debent. Cumque maris & tempestatum injuria, quas Palladii mercibus irasci iniquum, aliquæ periissent, hanc literariam calamitatem duravit patiens, & desperante ad similes casus nemine non, propositi sui tenax, nec remissa cura perstitit in incœpto. Scripserat vir eruditissimus Iacobus Gordonius, cum apud Tarvatium viveret, novam Fifæ tabulam ad me missam. Eam cum in Duynkerkanorum manus incidisset, ut navigantium appulsus incerti sunt, non destitit Tarvatus varia uti circumventione, & omnem movere in Morinis lapidem, donec eruditum pignus Neptuni filii, quasi Læstrygonum manibus, extorsisset. In Synodo Scotica hoc effecit, ut edicto publico jussi fuerint Ecclesiarum pastores singuli operas suas ad Scotiæ descriptionem conferre, & in terras, quas insedisset quisque, inquirere diligentius, & quæ ad Geographos pertinent attentius observare. Sed cum nec præmia nec poenæ attentam redderent sedulitatem, languere obsequia, paucis solummodo officio functis. Fuere hi Maclellanus, Bonerus, Lauderus & Spangius, viri ut pietate, ita & doctrina insignes, & post Ecclesiæ curam, etiam in rerum egregarium scientiam intenti. Processissent ulterius Gordonii operæ, nisi bellis civilibus concussa misere Scotia industriam scriptoris interpellasset. Iis per Dei gratiam, qui pacis & boni ordinis Deus est, compositis, majora in spe habemus. Quin, ut operis hujus editionem maturaret Tarvatus, è Scotia nuper in Hollandiam trajecit, & in hac nostra urbe diutius moratus, post visos & salutatos perhumaniter Clarissimos viros, G. Vossium, & C. Barlæum, totos dies in ædibus meis exegit scribendo, dictando quæ ad illustrandas patriæ suæ Tabulas facerent, ea memoriæ fœlicitate, ut, à chartis & libris omnibus destitutus, dictaret regionum formas, situm, terminos, dominos veteres & recentiores, soli proventum, urbes, fluvios, & quæ de hoc genere plurima sunt & multa. Videbatur mihi vir iste esse sibi Scotia, & terrarum ejus ideam animo complexus; ut fœlicem illam arbitror, in qua, qui regni curis vacant, ita philosophantur. Mihi quoque otium omne displicere voluit & moram, nec trahi longius hujusce laboris fructum. Si quae deessent tabularum descriptiones, eas se concinnaturum promisit; si quae rerum steriles essent, locupletaturum suis additamentis. Est hic idem ille Tarvatus, qui, licet Cancellariæ Scoticæ, ut Caucaso suo, alligatus, tractet civilia; tamen in Musarum amœnissimos recessus subinde deflectens, post Buchananum, Melvinum, Ionstonum aliasque, carmen pangit seculo dignum. [3v] Ante annos non multos typis suo ære excudi fecit Volumina duo Poëtarum Scotorum, inter quos ipse micat, velut inter ignes Luna minores.

Hujus & meis laboribus fruere Lector, & Scotiam quam tenebræ involverunt hactenus, nunc clara luce, quavis sui parte lucidam fulgentemque adspice: Pontanum, Gordonium tabularum patres agnosce; Scotum Tarvatium susceptorem & tutorem, qui, si meam, si doctorum omnium voces audis, omnium prædicatione major, Scotorum fastis & his ipsis, quas sub ejus patrocinio edimus, tabulis inscribi & incidi meretur.

AD  
IOANNEM SCOTVM  
SCOTO-TARVATIVM.

Vel tibi SCOTE suum tradebat SCOTIA nomen,  
Sumebat nomen vel sibi SCOTE tuum.

J.B.

[4r]

**Amplissimo & magnificentissimo viro**

**IOANNI SCOTO**

**SCOTO-TARVATIO,**

**Regni Scotiæ Cancellariæ Directori, & in supremo Senatu juridico Assessori.**

*Iam tandem post multos exantlatos labores, diuturni temporis jacturam & qualia animus meminisse horret tœdia, Scotia nostra se visendam exhibet; & inter cæteras Vniversi regiones, in magno & celebri Viri Clarissimi & in hoc studiorum genere supra cæteros meriti Ioannis Blaeu theatro locum sibi vendicat. Non illa quidem, qualis sæpe à descriptoribus suis auditu hausta, miseris fabellis deformata, exiguis arctata papyris & plane sui dissimilis; sed qualem nobis ingeniosus Iuvenis Timotheus Pont, hujus operis protoplastes, in schedis reliquit. Cujus viri memoria, sine summæ ingratitudinis piaculo, neque potest neque debet obliterari. Ille enim in tenui re, nullo propitio Mecænate, ante annos quadraginta totum hoc negotii in se suscepit; univerfum regnum hoc (quod nemo ante eum alias) pedibus peragravit; insulas omnes infestis & barbaris incolis ut plurimum cultas, dissona à nobis lingua, vidit, audiit, à latronibus sœvis (ut mihi referre solebat) sæpe exutus, omniaque intuti itineris damna non raro expertus, nunquam tamen difficultatibus victus animum despondit. Cum autem redux adornaret laborum suorum editionem, Typographorum & librariorum avaritia victus, non potuit hæc ad calcem perducere. Meliora tempora expectantem, mors immatura subtraxit. Heredes, apud quos chartas suas in extremis agitans deposuerat, homines ad hæc inepti, omnia neglexere, chartæque male & incuriose custoditæ, à tineis & blattis depastæ jam fatiscebant, jam attentos oculos evanidæ fugiebant, cum munificentissimus Princeps Iacobus Britanniarum Rex, de his admonitus dedit in mandatis, ut ab heredibus pacta pecunia redimerentur & in lucem darentur. Sed Deus bone, de fumo in flamمام, incidere in manus eorum, quibus eas ut arcana Cereris servare in animo erat, & sic iterum mutatis custodibus delituerunt. Donec tu, Vir Illustris, bono reipublicæ literariæ natus, tantæ jacturæ misertus<sup>2</sup> coëgisti eas in publicam produci, cura non vulgari suscepisti, anxie quæsivisti, quinam fætui huic, immaturo adhuc & medicas manus postulant, admoveri possent, ut in lucem darentur. Vnde non immerito de te prædicare liceat, quod de se Vlysses in certamine de Armis Achillis; ergo opera illius mea sunt: sine te enim, te solo, sine invidia & assentatione dixerim, nihil harum rerum adhuc orbis vidisset, & tantis primi authoris ærumnis parta, male periissent; quem utinam in fatis fuisset suis laboribus supervixisse, & ex iis speratos honores, debita emolumenta hausisse, neque me illi succenturiatum imparibus gressibus in hoc stadio desudasse. Hanc ego telam, imbecillitatæ meæ mihi conscious, multum defugi. Exercueram sane ætatem ab ineuntibus annis in his stadiis,<sup>3</sup> nunquam tamen mihi animus fuit praeter oblectamentum animi mei, quod solum mihi placebat, aliquid quod in publicum daretur moliri. Non deerant impedimenta, numerosa proles, cura rei familiaris; refragabatur universus vitæ cursus alio versus, ætas in senectutem vergens, cupidus vita private et publicis curis exolutæ, civiles hi tumultus, qui jam multos annos nos exercent universis & singulis damnosus: ego in ea regione vitam agens, ubi omnium turbarum centrum, quod non raro magno meo malo passus, & quanquam omnibus præfidiis, quæ rogari poterant ab illustrissimis regni Ordinibus, te suasore, te impulsore, septus, nihil tamen adhuc sensi, vix adhuc sentio satis tutum, nondum enim apud nos detonuit. Vnde si quid minus emaculatum in hac editione prodibit, id temporum iniquitati, non meæ in curiae<sup>4</sup> habeatur acceptum. Lucubrationes enim has, quæ otium & tranquillitatem animi desiderant, in adversissima tempora incidisse, fatendum est. Atque utinam mihi licuisset omnia Timothei nostri autographa evolvisse, oculis hausisse, antequam sculptoris manum experta fuissent. Multa mutanda, addenda, delenda erant, quæ nunc iteratam editionem expectant. Iam quicquid hoc est operis, tuum esse, te genuinum parentem, te verum nutricium fateamur omnes*

<sup>2</sup> i.e. miseratus

<sup>3</sup> i.e. studiis ?

<sup>4</sup> i.e. incuriae

*necesse est; tu hæc è tenebris eruisti, te autore suo restituta sunt, tu mihi celestes jam inclinato ævo animi veternum discussisti; tu mihi magnos & claros amicos (cum in longinquis oris procul à Iove delitescerem) qui me foverent & hortationibus suis ad hæc impellerent, sine quorum præsidiis animum jam despondissem, imo adhuc desponderem, conciliasti: unde mihi Halcyonia hæc qualiacunque; quæ si mihi ad vota alluxissent, erat mihi animus multa addidisse, quæ felicioribus ingeniis relinquo. Neque despero, vividum Cl. viri D. Buchanani integerrimi amici mei ingenium honori patriæ periclitantis defuturum, & quas ille meditatur lucubrations, tempestive lucem visuras: aut si qui alii sint mihi ignoti ad hæc idonei, spes est, eos cum honore nominum stipem huc collatuos, etsi<sup>5</sup> quæ in chorographicis descriptionibus desiderantur, cum imbecillitati meæ parcendum sit, habeo filium qui in his exercitus jam publicum virium specimen cum applausu dedit. Hunc ego mihi succenturio, ut rude doner. Neque tamen stationem deseram, dum spiritus hos regit artus. Quod superest, tuam amicitiam mihi utilem, honorificam, tot jam annos expertus, moriar tui amantissimus.*

Abredoniæ 9 Cal. Februar. 1648.

---

<sup>5</sup> i.e. *et si*

[4v]

## PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

**FERDINANDUS TERTIUS, Divina favente clementia electus Romanorum Imperator Semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae & c. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ; Comes Tyrolis, & c.**

Augustalem in primis decet benignitatem, efficaciorem Cæsarei favoris ac patrocinii sui opem iis juvandis ac tuendis impendere, qui rei litterariæ ornandæ atque excolendæ vigilias, ac lucubrations suscipiunt laudandas; nominatim vero iis, qui in ea disciplina, quæ Universi Orbis Terrarum faciem ac formam, omniumque illius Regionum ac Provinciarum situm ac positionem uno intuitu, absque longa laboriosaque juxta ac sumptuosa peregrinatione, conspiciendum cognoscendumque exhibit, amplificanda, atque illustranda operam ac studium ponunt indefessum, pariter ac sumptus non contempnendos: Quum itaque Nobis Ioannes Blaeu bibliopola Amstelredamensis humillime exposuerit, se post editas jam pridem quatuor partes Atlantis, nunc quintam quoque partem, quæ Scotiam contineat & Hiberniam, tabulis, opera ac studio Timothei Pont, & Roberti Gordonii incisis ac confectis, elaboratam habere & absolutam; eamque tam in majori, quam minori forma, adeoque tabula etiam Scotiæ generali, publicam in lucem suis sumptibus dare constituisse; vereri autem sese, quum ejusmodi editiones ingentes requirant impensas, ne, dum ipse rei litterariæ promovendæ, aliorumque commodis augendis pro virili sua parte insudat, improba hominum alienis laboribus insidianum, quæstuique ac lucro proprio, vel cum aliorum noxa & jactura augendo, inhiantum cupiditate, sperato laboris atque impendii sui fructu destitutus insanabilem in re domestica faciat pauperiem: adeoque Nos supplicabunde rogarit, uti rationibus suis hac in parte consulere, seque contra cujuscunque lucripetæ dolum Cæsarei Nostri Diplomatici præsidio munire, clementer dignaremur. Nos itaque justis id genus precibus prædicti Ioannis Blaeu benigne annuimus, ac proinde ipsi Blaeu, ejusque hæredibus Cæsareum Nostrum [5r] Privilegium super editione præmemoratae Quintæ partis Atlantis, una cum tabulis tam in majori, quam minori forma, adeoque cum tabula Scotiæ generali facienda clementer concessimus, prout prudentes, scientes, animo bene deliberato, ac Cæsarea Nostra authoritate concedimus, facultatem eidem dantes, ut sæpedictam Quintam partem Atlantis, tabulasque ejusdem tam in majori, quam minori forma, adeoque tabulam Scotiæ generalem, si ita ipsi visum fuerit, excudere atque evulgare possit: ex adverso omnibus ac singulis Typographis, Bibliopolis, Bibliopegis, & librorum compactoribus, & aliis quibuscunque librarium negotiationem exercentibus, tenore præsentium inhibentes, ac vetantes, ne quis eorum prædictam Quintam partem Atlantis, ejusve tabulas tam in majori, quam minori forma, uti nec tabulam Scotiæ generalem, posteaquam omnia ista à sæpememorato Blaeu ita excusa, atque edita fuerint, intra duodecennium à prima publicationis die proxime computandum, intra Sacri Romani Imperii, Regnumque, Provinciarum, ac Dominiorum Nostrorum hæreditariorum fines simili, vel alio typo & charactere, vel forma ac tabulis, vel etiam per compendium, aut sub augmentatione alterius cujusdam Auctoris, in toto sive in parte recudere, vel alio recudendum dare, vel alibi etiam impressam, aut impressas importare, adducere, vendere aut distrahere clam vel palam, citra voluntatem ac consensum sæpedicti Ioannis Blaeu, ejusve hæredum, ausit præsumatve. Si quis autem secus faxit, & interdictum hoc Nostrum temerario quodum ausu migrare, negligere, transgredi & violare non fuerit veritus, is non solum hujusmodi libris ac tabulis perperam quippe & fraudulenter recusfis, atque importatis, (quos quidem, vel quas antedictus Blaeu, ejusve hæredes vel propria authoritate, vel magistratus loci illius auxilio apprehendere ac sibi vendicare paterit) de facto privari: sed viginti insuper marcarum auri puri puti, ex semisse in Ærarium sive fiscum Nostrum Imperialeum fraudis nimirum vindicem; ex altero vero semisse sæpementionato Ioanni Blaeu, ejusve hæredibus, tanquam parti læsæ, omni remissionis ac veniæ spe præcisa pendendarum mulctam dare damnas esto: hac tamen lege, ut prædictus Blaeu quaterna ut minus exemplaria dictæ Quintæ partis Atlantis, statim post finitam editionem aut impressionem, ad Cancellariam Nostram Imperialeum curet transmittenda; Quod si neglexerit, hac Nostra gratia ac Privilegio

neutquam frui, gaudere possit, sed eo statim privatus atque exetus esse censeatur. Mandamus ergo universis ac singulas Nostris & Sacri Imperii, Regnorumque, Provinciarum, [5v] ac Dominiorum Nostrorum hæreditariorum subditis cuiuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis aut fortunæ existant, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, præsertim vero iis, qui in magistratu constituti, vel proprio vel superiorum nomine ac loco jus dicunt, justitiæque exercent administrationem; adeoque Imperiali Nostro librorum Commissario Francofurti, ne quemquam Privilegium, & interdictum hoc Nostrum Cæsareum temere & impune transgredi aut violare quovis superius expresso, ac prohibito modo patiantur. Quin potius contumaces, si quos forte compererint, præscripta pœna mulctari, aliquique modis idoneis curent coerceri, ni gravissimam Nostram indignationem incurere, & eandum multam luere voluerint. Harum testimonio litterarum manus Nostræ subscriptione & sigilli Nostri Cæsarei impressione munitarum. Quæ dabantur in arce Nostra Eberstorffii, undecima die mensis Augusti, Anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto. Regnorum Nostrorum Romani decimo octavo, Hungarici vigesimo nono, Bohemici vero vigesimo septimo.

F E R D I N A N D U S.

V<sup>t</sup>. FERDINANDUS COMES CURTIUS.

*Ad mandatum S. Cæsareæ  
Majestatis proprium*

JOANNES WALDERODE.

[6r]

PRIVILEGIUM.  
OLIVER P.

**OLIVER, Lord Protector of the Commonwealth of England, Scotland, and Ireland, and the  
Dominions thereto belonging, To all, and singular whom it may concerne, Greeting:**

Whereas Iohn I. Blaeu, Printer at Amsterdam, hath at his great Charge and expence caused the whole Mappe of Scotland, and Ireland to be engraven and imprinted for publique use; Therefore Wee doe ( by advice of our Council) hereby expresly discharge, and inhibite all persons whatsoeuer within this Commonwealth, or the Dominions thereto belonging (other than the said Iohn I. Blaeu, and his Assignes, or with his or their leaue, and licence.) That none of them shall take upon them to imprint the said Mappe, or expose to sale any of them, within the space of fourteene Ieares, from and after the date hereof, under the penaltie of five hundred pounds Sterling, besides the confiscation of all such Bookes (containing the Mappe aforesaid) to the use of the said Iohn I. Blaeu, his heyres, and Assignes, as shal be imprinted, or exposed to sale contrary to these presents. Given at Whitehal this fourteenth of Iune 1654.

The Licence having beeene Signed under his Highnes hand, and shewed to the Councell and there recorded, it may and ought to be printed and published, that others may take notice of it, in regard of the penalty conteyned therin to such as shall presume to print such Mapps within 14 Iears without the licence of Iohn Blaeu.

[6v]

## PRIVILEGIE

**DE STATEN GENERAEL** der Vereenighde Nederlanden, hebben geconsenteert, geaccoordeert , en geoctroyeert, consenteren, accorderen, en octroyeren mits desen, aan Johan Blaeu, dat hy voor den tijt van vijf-en-twintigh naestkomende Jaren alleen in dese Vereenighde Nederlanden, geassocieerde Lantschappen, Leden, en Steden van dien, sal mogen doen drucken, uytgeven, en verkoopen alle de Kaerten en Beschrijvingen, soo generael, als particulier van de respective Provincien van Schotlandt, en aengelegen Eylanden, gemaect by Timotheus Pont, Robertus, en Jacobus Gordonius, by den voorsz. Johan Blaeu met groote kosten en moeyte bekomen, en in koper doen snyden ende drucken; Verbiedende allen ende eenen iegelicken Ingesetenen van de voorsz. Vereenighde Nederlanden, Lantschappen, Leden, en Steden van dien, binnen de voorsz.tijt van vijf-en-twintigh naestkomende jaren, de voorsz. Kaerten, en Beschrijvingen in 't geheel ofte deel na te drucken, doen nadrucken, uytgeven, en verkoopen, oft elders nagedruckt binnenden opgemelte Landen te brengen, op de verbeurte van alle de nagedruckte Exemplaren, en daerenboven van een Somme van drie hondert Carolus guldens, t'appliceren daer van een derdendeel ten behoeve van den Officier die de calangie doen sal, het tweede derdendeel ten behoeve van den Armen, en het resterende derdendeel ten behoeve van den voorsz. Johan Blaeu: Behoudelijck nochtans, dat den selven Johan Blaeu gehouden sal sijn op desen Onsen Octroye te versoecken, oock t'obtineren, Attache van die Provincie, oft Provincien, daer hy de voorsz. Kaerten, en Beschrijvingen sal willen doen drucken, venten, en verkoopen. Gedaen ter Vergaderinge van de Hooghgemelte Staten Generael, in den Hage, op den tienden Junii, 1654.

B. VAN GENT v<sup>t</sup>.*Ter Ordonnantie van de selve*

N. RUY SCH.

Met Attache van de Ed. Groot-Mog. Heeren Staten van Hollandt en West-Vrieslandt in behoorlijcke forme, onder 't kleyne Zegel van den selven Lande, den 16 Junii 1654, en ter Ordannantie van de selve Staten onderteekent.

*Herb<sup>t</sup>. van Beaumont.*

[7r]

ANDREÆ MELVINI  
SCOTIÆ  
TOPOGRAPHIA,

AD  
HENRICUM FREDERICUM  
PRINCIPEM.

*Si tibi adhuc puero carmen, Frederice, senile  
 Panxero; si leviore manu, breviore tabella,  
 Pinxero majorum sedes, Albinaque Regna,  
 Quam dissecta fretis, tam Regem invicta sub unum,  
 Quæ scepbris signat Pater & tibi debita servat,  
 Ecquid gratum erit officium natoque, patrique,  
 Ecquid in antiquam virtutem, animosque viriles  
 Rex pater, & fama, & virtus te accendet avorum?  
 Hoc sibi de te almus spondet pater: huc rapit ingens  
 Ingenii Geniique acris ceu fulminis ardor.  
 Nec vicina minus spes & res inclyta Regno  
 Finitimo, quod Regem optans te civibus ambit:  
 Quod nostrum annuerint nobis si carmina Phœbum,  
 Expediam his numeris & clara in luce reponam  
 Conspicuum illustri cultuque habituque locorum,  
 Ipse Caledonie virides Grampique recessus  
 Lustrabis mecum interea, ripasque virentes;  
 Mollis ubi, dum se exercet, chorus ordine longo,  
 Perfusæ vitreis pellucent Najades undis;  
 Quin circumfusi indigenas lustrare strionos  
 Oceani mecum & crebris freta consita ventis;  
 Ne dubita, te nave procul, te limite sicco  
 Deducam, incolumemque brevi sine Marte reducam.*

*Tempus erit, nec longa dies, cum te quoque in armis  
 Fulgentem patriis, & cœrula classe secantem  
 Pronus adoratis latè dabit oscula plantis  
 Oceanus, pedibusque tuis verniliter omnem  
 Substernet fluctumque undæ fremitumque procellæ,  
 Et fera monstra tuis submittet cuncta catenis.*

*Ergo age, rumpe moras, blandumque hunc suscipe morem  
 Quem sequimur suavi tingentem dicta lepore,  
 Qua fas verba jugo submittere barbara legum,  
 Atque levi passu percurre cacumina summa,  
 Mox gressu relegenda tuo, firmandoque gestu,  
 Ni refugis tenuesque sonos humilesque Camœnas:  
 Non te hic fuco usquam nec longa ambage tenebo.  
 Eja age Die Pater: Dux en Deus: I pede fausto  
 Inter se unanimis sceptrum molire Britannis.*

*Occiduo stat celsa mari, diductaque tellus  
 Europâ, Grajum Mufis Latioque cruore  
 Nobilitata, viris fœcunda atque ubere glebæ,  
 Nomine clara suo, & miranda Britannia factis;  
 Adversa tellure jacet Germania ad Ortum;*

*Spania ad occasum atque Hibernia, Gallia ad Austrum,  
Arctica Hyperboreo pulsatur ad astra profundo;  
Altera ceu triquetra Trinacria structa figura est;  
Sic promontoriis ut procurentibus ultro  
In diversa tribus consurgit; Cantio ad Ortum,  
Belerio occasum versus, gelidam Orcade ad Arcton  
Parte bipenni olim visa æmula, parte Leoni  
In pridem duplicitis duo sub fastigia Regni  
Discessit: notium axam it ad Anglia, Scotia ad Arcton,  
Arctoum vero Regem coitura sub unum.  
Et patrem & patri te mox Henrice secundum  
Fortunata nimis sua si bona noverit alto,  
Quæ demissa Polo gentes sub sidera tollunt.*

*Anglorum Romana olim Provincia, Regnum  
Quatuor in partes distinguunt quatuor amnes,  
Devam Sabrinamque inter stat Vallia triplex  
Depressa in valles; montes se attollit in altos,  
Sabrinam, Tamisinque inter, quæ Gallica spectat  
Littora pars: pars tertia quæ Tamisim inter & Umbrum est;  
Deniq; ab Umbro & Deva amne ad Tuedam & Soluæum  
Pars quarta . atque rigant sic regnum hi quatuor amnes,  
Ceu campos quondam Elysios, & amœna vireta  
Fortunatorum nemorum, bis bina fluenta  
Tygris & Euphrates nec non Phisonque Gibonque  
Amnibus arva sacris oblinavere beatis.*

*Scotum Anglo & Regnum Regno discludit ad Ortum  
Tueda amnis, quâ Sol medius stat mons Zeviota,  
Inde recens vallum qua Sol se condit in undas  
Labitur Esca amnis, nec non amnis Soluæus:  
At citra hos Regni fines ab littore Eoo  
Littus ad occiduum, Regionum hic lucidus ordo:  
Martia Tueda amni lœvo adjacet, inlyta campis  
Frugiferis, cui præsidio stant Bervica castra  
Limite in extremo, & creperi discrimine belli:  
Scotorum urbs & ager, sed quam nunc detinet Anglus.  
Martiam ad auroræ radios Forthæ alluit aestus,  
Ad medium vicina diem prædæ Anglia claudit:  
Hinc atque hinc affusa jacet Teviotia Tuedæ,  
Nomen ab amne altus Zeviota hanc dividit Anglis,  
Hinc Lidalia, & Evia, & Escia ab amnibus Arcta  
Lidalo, Evo, Esca, Regiones nomen adeptæ;  
Ultima ab Annando estque Annandia, qui hanc ferat amnis.  
Iuxta amnem Solvæum æquor se infundit Iernum.  
Forthæ æftus claudit Lothianam Solis ab ortu:  
[7v] Lamirii montes, Cokburnique invia saltus  
Hanc claudunt, vicina ipsam qua Marcia claudit,  
Quaque suo medius Sol est altissimus orbe,  
Paulum inflexa cadit qua sero Phœbus in undas  
Tuedæ amnis, Lauderæ urbis confinia tangit.  
Lauderam urbem arcet Launderia: Tuedia flumen,  
Per medium, Tuedam Eoum transmittit in æquor.*

*Tuedia ad erectum Solem, Solemque cadentem  
 Contingunt late Lidalia Nithia Glotta  
 Lidalo Nitho Glottæ cognominis amni  
 Lidalus Nithusque ruunt citi in æquor Iernum:  
 Fortham æstivo ortu, Glottam Hiberno undique spectat  
 Occafu Regio Lothiana, & culta, & amæna,  
 Frumentique ferax omnis, pecudumque, hominumque.  
 Hanc Tina, hanc Eska, hanc Letha, atq; hanc irrigat Almon  
 Eska duplex, dupli coëuns tandem alveo in unum.  
 Lammiriüs orti & pictorum montibus amnes,  
 Quos salsum in gremium exsorbet Bodotria Tethys  
 Dumbarum, Hadinam, Dalkethum & rupicem Edenam,  
 Et Letham & Limnuchum habet oppida copia opima  
 Rerum omni, humano & cultu hac Regio omnis abundat.*  
*Glottia ad occasum, Glottæ ad ripam amnis utramque  
 In longum porrecta duas diducitur una  
 In prafectorias, supera quarum in Regione  
 Est locus in collis modici tumulum editus unum;  
 Unde trium triplex fluviorum existit origo.  
 Tueda Caledonium, Neptuum Anandia pontum  
 Vergivium Deu, Glotta Caledonium mare magno  
 Impete protrudens spumosum interluit æstum.  
 Glottia habet Lanarcum urbem, velut arcum opulentam  
 Velleribus niveis balantum lanigerarum;  
 Invisamque diu multis, duplicemque Hamiltonum:  
 Una Duce nunc fert surrecta palatia cælo,  
 Altera dives agris plebi sua commoda confert;  
 Ex quo multiplici consternens fornice pontem  
 Arcuat è saxis, cui clarum est Glascua nomen.  
 Glascua Musarum soboles, atque inclita mater;  
 Glascua primitiae nostri in patria urbe laboris,  
 Et laudis, tibi quando ferens solennia pangam  
 Multa Sophocleo te carmina digna cothurno?  
 Tangit ab Occasu Hiberno hanc generosa Coila,  
 Inde dum in medium vergens Galvidea, cuius  
 Littore quod reliquum est regni tegitur latus illud,  
 A qua Cludano se Nithia separat amne:  
 Fertilior pecoris quam frumenti urget Iernum  
 In mare Vrum & Devam & Kennum Lussumq; Creamque  
 Collibus intumet, at montes non surgit in altos;  
 More lacus restagnat aquam convallibus, ante  
 Autumni luces æquatas noctibus illo  
 Piscantur pingues anguillæ gurgite Nassis  
 Vimineis questu magno, venduntque recentes,  
 Aut parco sale contingunt hyemique reponunt.  
 Extremum lateris quod prominet omne Novantum  
 Atque Retigomus sinus omnis ad ostia Lussi;  
 Hinc sinus adversus Vidogara forte, Rianus  
 Dicitur hic vulgo sinus, hos quod prominet inter  
 Procurrrens tractu oblongo Gallovidiai,  
 Indigitant Rinum indigenæ mulamque Novantum*

*Dixeris hoc rostrum, aut rictum aciem illud acutum.  
 A tergo Gallovidiae Vidogaram & infra  
 Declinat leviter Glottae ad vada salsa Caricta;  
 Stinsiarus Gravanusque eam uterque intersecat amnis  
 Hinc atque hinc villis longe præcinctus amœnis,  
 Qua modicos tumet in colles late inter & amnes  
 Pascua sunt fœcunda, & ager felix frumento;  
 Sufficit ipsa sibi dives terraque marique;  
 Nec tantum sibi, vicinis impertit abunde.  
 A regione Coila hanc Dunus seperat amnis  
 Dunus fonte lacuque ortus cognomine; cuius  
 Insula complexa cincta arxque est insula in ipsa.*

*Inde Coila die à medio hanc Galvidia claudit,  
 Glottiaque aestivo Phœbi contingit ab ortu  
 Amnis ob occasu Irvinus Cunigamiaque arva  
 Aera quam medianam pralustris dividit amnis;  
 Amnis & ad ripam emporium haud ignobile & urbs est  
 Littore arenoso & liquido cognominis amni;  
 Non frugum aut pecudum quantum fœcunda virorum  
 Fortium, arenoso quos multum exercet in arvo;  
 Res angustæ animos nimirum & corpora firmant.*

*Post hanc procurrit Cunigamia Cimbrica ad Arcton  
 Submovet & Glottam, & justi amnis more reductas  
 Cogit in angustum ripas. Hinc proxima ad ortum  
 Pagus adest, quæ Ranfrovana Baronia vulgo;  
 Quam duplici medianam rivo duplex secat amnis  
 Amnibus ambobus nomen cognomine Carthus.*

*Hinc Glotte ad ripam longe procurrit utramque  
 Glottia, & in pagos plures divisa profundit  
 A lœva Duglassum amnem, atque alterum Avennum  
 In Glottam intrudit, dextram secat alter Avennis,  
 Qui Lothianum arvum Sterlino dividit arvo:  
 Vindicat hoc tanquam proprium sibi nomen uterque,  
 Quod commune quidem cunctis fuit amnibus olim,  
 Ut diversa vocat dialecto Vallia Avonem.*

*Inde die à medio, quem diximus alterum Avennum  
 A Lothiano arvo Sterlinia dividit arva  
 Solis ab ortu aestus Forthæ, donec juga pontis  
 Fert pontus propter Sterlinum: ubi se minor ipse  
 Fluminis in morem justi stricto amne coërcet.  
 Hic Henrice puer celsa sublimis ab arce  
 Vndique prospectu late petis aquora campi  
 Despicis hinc saltus virides, & amœna vireta,  
 Silvestresque boves, torvosque à fronte juvencos,  
 Queis juba densa, leonino demissaque rictu,  
 Qui candore nives superant, qui cursibus auras;  
 Illinc & flexus varios, variosque reflexus,  
 Erroresque vagos, viridiisque in gramine rivos  
 Amnis: ubi curvis veluti Meander in undis  
 Ludit Focthasius, teneros & pascit Ocellos  
 Dive tuos, vitreaque unda campoque virenti;*

*Hic ille est Sterlinus ager, qui surgit in altos  
 Hinc montes, illinc valles descendit in imas,  
 Fluminibusque rigat fruges glebasque feraces.  
 Ad lævam tumuli ex terra, pacis duo duni  
 Arte manuque hominum exstructi Carrontis ad undam:  
 Inferius paulo structa est sine calce rotunda  
 Ædicula ex saxis firma compage coactis  
 Et lapide inserto lapidi, stat pondere ab imo, &  
 Paulatim ad summum veluti se angustat apertum  
 Sive Trophæum seu Templum, cui terminus hæret  
 A dextra Carrontis ager fere cætera planus  
 [8r] Prominet in collem medius qui se erigit inter  
 Ædiculam & pacis Dunos, in quo anguli ad ipsum  
 Flexum à Glottæ æftu ad confluxum Forthæ & Avenni;  
 Hic inscripti extant lapides sint, sive sepulchra,  
 Romanum in morem ceu partæ clara salutis  
 A ducibus monumenta ac centurionibus ipsi.*

*Vltra Sterlinensem agrum Levinia, Glottâ  
 A Renfrovana præfectura amne direpta,  
 Glascuavensi amne ut Kelvino, at Sterlinensi  
 Montibus: à pago Taichina flumine Forthæ  
 Definit in Grampi montis juga: cuius ad imas  
 Radices in valle cava sese explicat ingens  
 Lominius lacus, in Levinum qui ocius amnem  
 Ad medium lucem erumpit, qui ad Duno-Britannum  
 Atq; arcem atq; urbem ingreditur Glottam impete vasto:  
 Tollitur extremi Grampi Livonia in altum  
 Collibus extrema intercisis maris æstu  
 Exiguo, nomen cui Gerloch à brevitate;  
 Amplior hinc ultra sinus est re & nomine Longus,  
 Infuso à fluvio dictus, quo limite juncta  
 Inter se Levinia nec Covalia non est.  
 Hinc Covalia & hinc Argelia Knapdaliaque  
 Angustis finibus multis Glottæ amnis ab æstu  
 Infusis multas in partes jam dirimuntur.  
 Dicitur Insignis lacus hic à flumine Fino,  
 Quem recipit finis, qui in longum millia passuum  
 Porrigitur plusquam sexaginta. Est & in ipsa  
 Knapdalia lacus Avus, in hoc est Insula parva &  
 Arx minuta; ex hoc amnis diffunditur Avus  
 Deucaledonium in mare, qui hoc tractu exit hic unus.*

*Vltra Knapdaliam Hibernum ad Solem axe cadentem  
 Excurrit Canteira caput regionis, Iernæ  
 Occurrit, à quo modico disjungitur æstu  
 Longior ipsa quidem quam latior Isthmus; at illam  
 Knapdaliæ angustus conjungit faucibus arctis,  
 Quæ vix mille patent passus humiles per arenas:  
 Per quas naviculam traducens navita curvo &  
 Tergo humerisque ferens cursus compendia quærit  
 Knapdalam; Lorna hic Argatheliæ adjacet imam  
 Abriam ad usque, ferax frugum Regioque jacentes*

*Qua juga demittens in campos Grampius & mons  
 Pervius atque humilis magis hæc Braid dicitur Albin;  
 Albii enim pars est latissima, verum ubi in altum  
 Maxima se attollit Drum Albin, Dorsum indigitatur  
 Scotiae: & excelso sua per declivia multa  
 Magnaque devergit de Dorso flumina utrinque;  
 In mediumque diem pars, pars septem inque Triones,  
 Imprimis Taus ipse ingens, & pulcher Ierna:  
 Namque lacu ex liquido cognomine flumen Iernam  
 Evomit, eructans Hibernum Solis in ortum  
 Qui Perthum infra Taum sub ponte illabitur amnem.*

*Accepit Strath-Ierna infuso nomen ab amne  
 Strath lingua antiqua decursum ad fluminis omnem  
 Hinc atque hinc tractum signat, camposque jacentes;  
 Hunc inter Forthamque Taithia ab amne Taitho,  
 Qui medianam sulcat Regionem, est nomen adepta.  
 Excipiunt hanc Ocelli culta ardua montes  
 Parta ex magna ipsi, tum quod radicibus arvum  
 Adjacet uberius, pago accensentur Iernæ.  
 Quod reliquum ad Fortham est agri, hoc ambitio præceps  
 In varias præfecturas distraxit: in Arctam  
 Clakmananam, in Colrosianam & Cinrosianam,  
 Quicquid ab his nec non Ocellis montibus agri  
 Ad mare, fortunata omni glebae ubere fisa est;  
 Qua lacus hanc Le vinus aquis latissima scindit  
 Inde & in angustum castigat littora utrinque  
 Balcolinæum ad castellum & Caralia castra;  
 Hæc alios præterque lacus fluviosque liquefiant  
 Insignem fundit Levinum amnemque lacumque.  
 Oppidulis crebris littus præcingitur omne  
 E quibus hospitium Musarum est nobile Fanum  
 Andreæ, fanum hoc Reguli quondam Albam & aprugnam, &  
 Mucrefiam veteres lingua dixere vetusta.  
 Interius Cuprum media in Regione Fifani; huc  
 Conveniunt omnes ad jus omne accipendum,  
 Qua contingit Iernam Abrenethia Regia quondam  
 Pictorum vetus. Hic in Tavum se infundit Ierna  
 Ipse lacu longo bis dena ad millia passuum  
 Bisque duo Taus erumpit regnator aquarum  
 Albino è Drumo: qua Grampi se ad juga flectit,  
 Atholiam attingit Regionem fertilem, in ipsis  
 Saltibus Albinis subter radicibus, ejus  
 Pars se in planitiem Blaca explicat, arbore nuda  
 Atholeam infra ripam ad dextram adsedit amœna  
 Vrbe Caledonia & veteri modo nomine clara;  
 Infra Caledoniam duodena ad millia passuum  
 In viridi Perthum ripa consedit eadem  
 Ad levam Atholia, subter ripam amnis ad ortum  
 Nobilis est gravidis frumenti Gorea campis:  
 Inde sub hac patet Eskam inter porrecta Taumque  
 Æneja antiquis Scotis Angusia nobis,*

*Et quæ juxta alios Horestia dicitur, an quod  
 Hanc medianam secat unus & alter terminet Eska?  
 Qua Taus & duplex Ænejam allabitur Eska,  
 Eska Rosam Montanam in monte & valle Brechinum  
 Alluit hinc atque hinc sub colle Taus Taodunum  
 Editiore situm, hinc duodena ad millia passuum  
 Extra Taum occurrit directo littore Abrinca,  
 Inde promontorium Rubrum ad vada cecula longe  
 Conspicuum, Australis secat Eska ipsam, Borealis  
 Dividit à Mernia campestri ex parte, priusquam  
 Fordunum & Dunotrum ultra se dejiciat se  
 Grampius incurrens, paulatimque in mare sidat,  
 Vlterius testudineo Dea fornice pontem  
 Marmoreum ad passus bis mille, hinc Dona minorem  
 Perpetitur, geminum duplex urbs accolit amnem  
 Prisca recensque Deam nova Donam antiqua frequenti  
 Salmonum piscatu, mercaturaque frequenti  
 Clarior illa: olim hæc studiis ignobilis oft;  
 Vtraque nunc gaudet Parnasso umbraque Lycae.  
 Marria ab hac tam angusta inter duo flumina fronte  
 Incipit, ac sensim dilatat Badenacham usque,  
 Pro sexaginta in longum se ad millia tendens,  
 Perpetuo in mare dorso amnes evergit utrimque  
 Abria Badenachæ ad finis modice ad mare prona  
 Deucalledoneum dives terraque marique,  
 Felix frumento imprimis, & pascua felix  
 Squammigerum & læto proventu fertilis omni  
 Sylvarum jucunda umbras nemorumque virentes  
 Fontesque fluviosque & amœnis gramina ripis  
 [8v] Canali hanc longo penetrat mare per loca plana  
 Infusum atque alto paulo mage margine terræ  
 Arctatum in se ingens infundit latius æquor  
 Præbeat ut speciem Stagni, placidæque paludis  
 Sive lacus, fida hic ratibus statio: Abria nomen,  
 Hinc & vicinæ circum circa Regioni  
 Scotia qua patet in latum, tres hæc Regiones  
 Marria, Badenacha, atque hæc Abria complectuntur,  
 Quicquid & occiduum, quod pontum & inter Eoum est,  
 Ad Boream longæ Buchania proxima Marriæ,  
 Quæ divisa ab ea pinguescit flumine Donà,  
 Inque Caledonium se exporrigit omnibus una  
 Longius hæc Regio mare: fœtu & fruge beata  
 Ad vitam & sibi sufficiens. Salmonibus amnes,  
 Præter Ratram amnem, qui nullum admittit, abundant,  
 Admiranda quidem vasto spelunca recessu,  
 Littoreis excisum undis è rupibus antrum,  
 Cujus nativo jugi de fornice lympha  
 Guttatim laticum distillans, vertitur omnis  
 In lapidum cito pyramidas saxumque glaciemque  
 Inter naturæ ambiguæ atque friabilis: ut nec  
 Marmoris in robur durum umquam consolidescat,*

*Sed nec dissiliat glaciei futilis instar,  
 Quod nisi purgaret vis hanc humana subinde  
 Talibus illa brevi completeret molibus antrum:  
 Hanc ultra ad Boream Bonna est atque Ænia parvæ  
 A quēis Spæa amnis dirimit Moravica Tempe;  
 Spæa est Badenachæ flumen dorso ortus ab alto  
 Inde lucum facit unde erumpit lutea, qui se  
 Occiduum in pontum devolvit; ad ostia cuius  
 Nobilis urbs quondam cui Ennerlitea nomen.  
 Emporio locus aptus ibi arx Evonia, quondam  
 Regia, Dun Stephanum quæ nunc falso esse putatur,  
 Cujus adhuc arcis monstrat vestigia Lorna,  
 Exiguas Regionum aliquot Buchania, se inter  
 Nerea & occiduum queis nil memorabile claudunt  
 Spæam ultra ad Nessum usque Moravia nomine Varar  
 Creditur antiquo terram Germanicus inter  
 Hos amnes agit Oceanus Laxam inque cadentem  
 Vrget agens solem retro, curvoque recessu  
 Castigat: vastoque sinu læta arva coërcet  
 Frugibus armentis: pomis & amaena vireta  
 Præcipua oppida habet Elgiam Loxiam ad amnem,  
 Et Nessum urbem ad Nessum amnem semperq; tepentem,  
 Et nunquam glacie concretum aut frigore pigrum,  
 Verum hyeme egelida glaciëi fragmina in ipsum  
 Invecta undarum solventem & crusta tepore;  
 Vrbs Nessus, fluvius Nessus, lacus hic quoque Nessus,  
 Millia qui bis dena patet bis binaque longus;  
 Vnde amnis Nessus, quem Nessum urbs Nessus ad amnem est,  
 Hic coëat mare utrunque Caledonia Amphitritæ  
 Den'que Caledonius Nereus: ni millia ad octo  
 Obstaret terræ cervix anqustior, atque  
 Cætera pars esset liquido circumsona ponto  
 Insula. Quicquid Nessum ultra fluviumque, lacumque,  
 Faucesque angustas, quadruplex Provincia fertur  
 Rossia, longa magis, quam lata Navernia ab amne  
 Naverno & Sutherlandia finitima illis:  
 Atque tribus promontoriis Cathanesia clara  
 Rossia Nessi ultra lata ostia Solis ad ortum  
 Excelsis promontoriis excurrit in altum,  
 A mare recta Caledonio ad mare Deucaledunum  
 Qua sese in montes inculta atque aspera tollit,  
 Quo sese in campos late explicat omnis amœna  
 Vallibus irriguis, piscosisque amnibus, atque  
 Piscosis lacubus, quorum qui maximus omnium  
 Est lacus halecum fœcundas nomine Lubrum;  
 Deucaledonio occidui à maris æquore littus  
 Castigat, sensim se & Phæbi inflectit in ortum.  
 Littore ab extremo Oceanus, quod pulsat Eous,  
 Excelsasque inter rupes, scopulosque minaces  
 Interius sibi pandit iter tutosque receptus,  
 Inque sinum salsi spatiosum se explicat unda,*

*Perfugium undoso jactatis æquore nautis  
 Adversus tempestates portusque salutis:  
 Qui facilis proclivi aditu ingredientibus , atque  
 Ingressis tuti est statio placidissima portus.  
 Qualis Virgiliana sinu Carthaginis ora  
 Indigenæ Crommartæum dixere recessum.  
 Proxima cui gelidam extremæ Navernia ad Arcton,  
 Quam luce à Phœbi mediana Rossia claudit,  
 Solis ab Occasu & Septem-regione-Trionis  
 Deucaledoneus Nereus Cathanesia ab ortu:  
 Omnibus interjecta Suther quæ Landia fertur,  
 Finitima has aliqua tangit cœli à Regione  
 Solis ab occasu tangit Naverniam; ab Ortu  
 Rossiam, & à medio Phœbo Cathanesiam, ab Arcto  
 Montibus ostentat cudentia marmorata longè.  
 Ultima Hyperboream spectat Cathanesia ad Arcton  
 Quaque plaga occurrit vicina Navernia; duplex  
 Deucaledonio occidui maris æquore littus  
 Castigat sensim, atque astivum se flectit in Ortum.  
 Hæc Regio latam anguste in frontem extrahit oram,  
 Hâc tria se in fronte attollunt promontoria, altum  
 Maximè in occidua Navernia, & hoc Ptolomæo est  
 Orcas Tarvedumque: minus sublimia sidunt  
 Vervedrum nec Berubium non, nunc Bea Dunis  
 Radicem ad collis modicus sinus est, ubi portus  
 Naviculæ appulsæ retinent tritum Orcadis usum,  
 Gernica forte arx, hic nunc, quæ Cornavia quondam.*  
*Insulae Oceano in magno quæ Albina coronant  
 Littora, & imperio parent Regum Albigenarum,  
 In tres distinctæ triplici sunt ordine classes,  
 Vtputa in Occiduas, inque Orcadas inque Hethlandas,  
 Surgentem ad Solem & Boream in Thetide terna  
 Occiduæ Ebudæ, Acmodæ sunt Hebrides, atque  
 Hæmodæ, & variis tot nominibus vocitantur,  
 A priscisque novisque Mela Strabone Capella  
 Plinio & ingenti Solinoque & Ptolomæo,  
 Sexcentisque aliis genuit quos serior ætas:  
 Quas & Norvegi & Dani tenuere per annos  
 Centum & sexaginta, Donaldo à tertio ad usque  
 Tertium Alexandrum, cum sacrum dira sepulchrum  
 Bella per Artolatras Europæ Asiæque cieret.*  
*Victus vestitus ratioque domestica priscum  
 In morem parca est, est obsonatio & illis  
 Venatus nec non piscatio, fluminis unda  
 Infusa in cæsi pecoris pellem, aut in omasum:  
 Igne coquunt carnem, aut espresso sanguine crudâ  
 Pascuntur nonnunquam, ipsi in venatibus acres  
 [9r] Carnis & elixæ jus & sua blandia potant:  
 Quod serum multos conservent lactis in annos  
 Ad convivia lauta, hilares epulasque profusas.  
 Mos plerisque sitim puris extinguere lymphis;*

*Hordeum avenamque, modo regionibus illis  
 Proveniunt quæ sola, terunt vertigine saxi  
 Torquentes, fusaque undâ depsunt subiguntque,  
 Conficiuntque cibum suavem panemque salubrem:  
 Mane ex eo paulum gustant, venatibus inde  
 Invigilant, operive suo assuetoque labori,  
 Donec sera rubens accendat lumina Vesper.*

*Virgata gaudent variis quæ est veste coloris,  
 Purpureum & deamant fere ceruleumque colorem;  
 Verum nunc plures fuscum magis, æmula frondi  
 Quæque ericinæ adamant, ut ne lux florida vestis  
 Splendentis prodat recubantes inque ericetis,  
 His non tam tecti quam indutique in-que-voluti  
 Et sævas tempestates coelique ruinas  
 Defendunt sub Divo & nudo ætheris axe,  
 Et dulces ducunt somnos sub ninguida texta,  
 Quisque domi procumbit humi silicemque ericamve  
 Substernit; sed deorsum hanc radicibus actis  
 Frondibus & sursum versis, adeo hac ratione  
 Concinnant scite lectos, ut mollitie ipsa  
 Cum pluma certent longe superentque salubres;  
 Namque supervacuos languenti è corpore siccans  
 Exhaurit paulatim humores sana Ericæ vis,  
 Artibus & vires reddit membrisque vigorem,  
 Vespe lassi omnes læti de mane resurgunt,  
 Atque alacres vegetique; adeo Natura suis se  
 Deliciis pascit, dum gaudet simplicitate  
 Inculti horroris duro se robore firmans.  
 Non culcitram usquam curant, non stragula sternunt,  
 Seque suis in noctem involvunt vestibus ultro.  
 Et longos ducunt ronchos stertuntque supini,  
 Ne patriam ingenuamque animi duri atque severi  
 Barbara mollities corrumpens illecebrosis  
 Delinimentis contaminet asperitatem.*

*In bello arma tegunt hæc corpora: ferrea cassis  
 Et lorica hamis ferri conserta trilixque  
 Demissa ad talos, inque hostes tela sagittæ  
 Hamatæ eminulis barbis cum cuspidi utrinque  
 Lunatique arcus adducto in cornua nervo,  
 Nervum mammæ adhibent ferrum cum cuspidi ad arcum,  
 Nec sine vi magna & patefacto vulnere late  
 Educi queat hoc defixum in corpore ferrum:  
 Ensibus hi latis pugnantque securibus acres,  
 Non tuba in usu illis, conjecta at tibia in utrem  
 Dat belli signum & Martem vocat horrida in arma;  
 Namque & mole nova & magno molimine buccæ  
 Insignis tumidusque genas buccasque profusus  
 Pellicea tubulos teretes qui fixit in alvo,  
 Quum regit arguti, rectrix modulaminis ala  
 Dextrum fert humerum super axillamque sinistram  
 Subter Musæum varioque foramine Buxum*

*Multiplicem & digitas tractandum atque ore ciendum;  
 Ille ubi turgentesque genas buccasque fluentes  
 Æoliis inflare parat super organa ventis,  
 Horret ubi hirsuto mento super horrida barba  
 Canitiesque impexa gravi riget hirta capillo,  
 Librans auram indit labro, ligno oscula libat:  
 It, redit, ac nutu atque renutu mobilis alæ  
 Nunc premit & laxas nunc utri inspirat habenas  
 In numerum, alternans & crebro follibus auras  
 Diducens haurit liquidas, redditque reducens:  
 Concipiunt tubuli ventos, cita tibia ventis,  
 Argutisque loquax digitis & pollicis ictu  
 Multiplici varios expromit gutture cantus,  
 Castorium intendens accentum oblonga canoros  
 Dat per colla modos, mox & sine more modoque  
 Subsultim gravacuta crepans numerosque modosque  
 Ingeminat, flexu vario varioque reflexu;  
 Tunc rauco ore sonans per inexspirabile buxum  
 Intonat horrendum, resonat lacus omnis, & omnis  
 Pulsa palus, saltusque feri sylvæque virentes,  
 Fontesque fluviique & opacæ in montibus umbræ,  
 Et fauni Satyrique & monticolæ Sylvani  
 Barritu, mugitu & luctisono ululatu:  
 Iam nutant juga celsa, antra intremuere profunda,  
 Tartaream intendit vocem terra, & undique circum  
 Marmoris undisoni murmur resonantia plangit,  
 Littora, fluctifrago & fremitu scopuli astra fatigant,  
 Et tonitru procul horrendo cælum omne remugit.  
 Musica grata illis, fidibusque apponere vocem  
 Gaudent, queis cordæ aeratae aut nervi unguibus istos  
 Prælongis pulsant plectrisve sonantibus. Illas  
 Argento gemmisque ornant, ambitio sola hæc,  
 Pro gemmis cristallum adhibent, tenuis quibus est sors.  
 Gesta virum laudesque heroum carmine comto  
 Accinere, & Bardis & Senecionibus est mos;  
 Mutato veteri paulum sermone loquuntur  
 Gallorum, quali nunc Vallia, nunc & Iernæ,  
 Quique tuos habitant agrestis Scotia montes,  
 Deucalledonia quæ sparsæ in Thetide terræ,  
 Tercentæ occiduæ minimum dicuntur, & omnes  
 Vtuntur lingua Scotorum antiquâ; & iisdem  
 Moribus antiquis, quo possum has carmine pandam,  
 Quanquam difficile dare barbara colla poësi.*  
*Principio occurrit quæ prima est ordine Mana,  
 Non Mona, visum est multis Eubonia quondam,  
 Nec non Mevania vel Mœnavia, Manim  
 Prisca olim lingua. sedit sacra, sed Sodora  
 Infula non ita pridem pontificisque tyara  
 Cum sacra sacaret sparsis tot in æquore terris.  
 Æquali distant spatio Galvidia nostra  
 Cumbriaque Anglorum, nec non Hibernia ab illa;*

*Bis dena in longum patet & bis millia bina,  
 In latum octo; omnis prætenditur Insula Glottæ,  
 Amnis in æstu undoso & proxima & ardua rupes  
 Præceps undique & unum accessum præter Alisa  
 Humano cultu diserta, statis nisi in anno  
 Temporibus crebræ lembi piscantur Asellos;  
 Æquoreis avibus tamen anseribusque Solanis  
 Illa frequens ejus gaudetque cuniculus antris  
 Plurimus. Et æquo fere ad ortum Hiberna Carictum  
 Spectat, ad occasum æstivum Centenia terga;  
 At Boream versus bis dena ad millia, nec non  
 Bis bina alta aspris consurgit Arania saxis,  
 Quæ bis dena patens in longum millia, nec non  
 Bis bina, in latum se extendit millibus octo  
 [9v] Littoreus colitur tantum quique ad mare tractus;  
 Secessu in longo Molossa hic Insula portum  
 Efficit obducto laterum, quibus omnis ab alto  
 Frangitur inque sinus scindit sese unda reductos:  
 Hinc atque hinc vastæ rupes circumque minantur  
 In cælum scopuli, quorum sub vertice late  
 Æquora tuta silent, fessas non vincula naves  
 Villa tenent, unco non alligat anchora morsu,  
 Cæteraque in portu quæ florent Virgiliano.  
 Quodque magis mirum quam fictio dia Maronis,  
 Tanta est tamque ferax semper piscatio in undis  
 Tranquillis hic perpetuò, ut si forte quid ultra,  
 Quam quod in unam illi sit lucem sat, capiatur,  
 In mare projiciat velut in piscinam accola dives.  
 Nec procul hinc parvi tractus jacet insula Flada,  
 Cui fœcundus opes terebrando cuniculus implet.*

*Millia Bota octo longa est, & bis duo lata,  
 Interius Glottæ in gremio, quæ millibus octo  
 Distat ab Arania, idque æstivum Solis ad ortum.  
 Distat ab hac occasu æstivo Argelia passus  
 Quingentos; ortum ad Cunigamia millia sena,  
 Tota humilis, tam fruge ferax quam commoda pratis:  
 Botam habet urbem unam, hanc vertus arx Rosina decorat  
 Communisque urbem, ut pomæria lata; recessum  
 Ad sinuosum habet arcem aliam, sermone vocatur  
 Qui patrio Cames, Campsos Grajo ore vocetur.*

*Solis ad occasum hibernum jacet Insula mille  
 Porrecta in passus, quingentos lata, feraxque  
 Inque humili Mernoca solo: modicum inde dirempta  
 Cumbra in Glottæ æstu interius majorque minorque:  
 Illa ferax frugum, hæc fœcunda est platoceroton.*

*A promontorio Canteira abscessit Avena  
 Passus mille, sua naves statione receptans;  
 Dirigeret cum cursum ad eam olim Danica classis.  
 Inde & ab occasu Hyberno stat littus Iernæ  
 Contra Raclinda, & bis bina ad millia parva  
 Insula Caraia, & sex millia longa Gigara,*

*Et passus mille & quingentos lata. Dirempta  
 Millibus hinc bis dena in millia Iura,  
 Et bis bina in longum porrecta, usuque frequenti,  
 Et cultu assiduo celebratur littoris acta,  
 Interiora autem sylvis nemorumque latebris  
 Cervorum genus innumerum variumque recondunt;  
 Quos figit stricte hirsutis gens cincta pharetris,  
 Gens sylvas lustrare feras non segnis & arcu,  
 Immanemque manu duplici vibrare bipennem.  
 Hinc Gothis Deca est antiquitus appellata,  
 Sic quasi Romano cervus sermone vocetur.*

*Millia abest duo Scarba in bis duo millia longe  
 Excurrens, Ortum Occasumque inter, lataque mille;  
 Culta parum raroque suis habitata colonis.  
 Inter eam Iuramque aestus maris est violentus,  
 Vsque adeo ut certis nisi tempestatibus ullis  
 Nec velis remisque queas superare ruentem.*

*Insulae & obscurae sunt Bellacha sive Genista,  
 Et Gevrastilla & Longaja utraque, inde Fiola,  
 Garvae distinctae cognominibus tribus, & tres  
 Culbroninaque, Dunchonelque, Luparia, Belna  
 Vikerana, & Vitulina, Linuga, Seila, Serna;  
 Quae tres postremæ gravidatæ frugibus atque  
 Armentis Dominum agnoscent quem Argelia honorat.*

*Proxima & his Sclata est tegulas è rupe ministrans,  
 Quas Sclatas dixere; inde haec capit Insula nomen.  
 Naguisoga, Bidalfa inde & Skennia, & inde Thiana,  
 Lutea cui nomen dat noxia frugibus herba.  
 Regia Vberga, & Duffa, Sacroque Triaracha cœtu,  
 Ardua mox Humilis, Viridisque dein Ericæ  
 Arbor huic, caper hinc, hinc ecce cuniculus, illi  
 Otia dant nomen, quod ludum atque otia curent  
 Indigenæ & nil præterea. Mox deinde sequuntur  
 Abridica & Lisinora, ubi sanctus Episcopus olim  
 Argeliae sedem cathedralæ defixerat, octo  
 Millia longa, duo lata. Hinc effossa metalla  
 Quæ reliquis præter communia commoda cunctis,  
 Inde & Ovilia & inde Suina, inde Insula nomen  
 Cui trajectus, & abs ovibus dictum Insula nomen.  
 Quid numerem Fladam & Saxum & Groffum & male magnam  
 Ardistara subit Musadilla & Berneca Asylum,  
 Nobilis & Taxi Sylva, & celebris Melechasyne,  
 Dinacha spinetis sambuco & operta ruinis  
 Ruderibusque fabrorumque, & Vici Insula sylvæ  
 Fertilis, & Ransa, & Kervera; & Maxima magnam  
 Post Iuram, Occasum versus bis millia dena  
 Et bis bina patens in longum, lata bis octo  
 Ila, à Luce die media porrecta sub Arcton,  
 Cervorum & pecorum & frumenti fertilis atque  
 Plumbi, Dulcis habet lymphæ amnem nomine Levam,  
 Littoreumque sinum maris, in quo plurima sparsa*

*Insula dulcis aquæ lacum habet pellucidulum, in quo  
 Insula Falangama salis Regina Britanni  
 Insu-que lanorum cunctorum Regia Regum,  
 Regulus assumpto Regali ubi nomine agebat.  
 Inde propinqua minorque est insula dicta Rotunda,  
 Consilio à procerum bis septem, dicere jus queis  
 Assidue mos, & de rerum summa agitare  
 Consilia, & illorum summa & prudentia, & æqui  
 Cura domi atque foris pacem pariebat opimam.  
 Ilam inter Iuramque sita est parva insula, dicta  
 A lapidum cumulo. jacet australe ad latus Ilæ  
 Mulmoris, Colurna, Osrima, Brigidana, Cocksra,  
 Insula quæque humilis quæ Imersga, Beathea, Texa  
 Dicta ab ove Noasiga, Ranarda, Traseria, Cana  
 Atque Achnarra, atque insula magna, atque insula formæ  
 Humanæ, & Stachbadis, & Insula Divi Ioannis.  
 Angulum ad occiduum jacet Ilæ enormis Oversa  
 Torrentis fretum ubi est imper-que meabiis unda  
 Opportuna horis ni sumpta occasio certis  
 Vrgeat & rapidis transmittat cursibus undas  
 Insula Mercatoris: ad occasum spectans Vsabrasca  
 Æstivum, & Tanasta, & Nefa, atque Insula ab arte  
 Textoris. nec non & ab Ilæ millia ad octo  
 In Boream versa Orvansa, & Porcaria, sede  
 Proxima ab Orvansa passus Colvansa remota  
 Quingentos. Vltra Colvansam frigidam ad Arcton  
 Mulla jacet, distans duodena ad millia ab Ilæ  
 Æquè lata ac longa, in se quadrata patensque  
 Bisque duo & bis dena in longum millia: nec non  
 In latum totidem exorrecta, atque aspera multum,  
 Sed fœcunda tamen, sylvas cervosque frequentes,  
 Tutum habet & portum satis, è regione Columbi  
 [10r] Insulæ, habet binos amnes salmonibus ex se  
 Fœcundos, spatio & magnos, aliasque minores  
 Non steriles omnino; lacus quoque gurgite binos  
 Latifluo, duplex queis insula & arx quoque duplex,  
 Et mare diversis irrumpit tractibus æstu  
 Fluctivago, crebrisque sinus halecibus omnes  
 Efficit undantes bis binos. Quà abit in undas  
 Hiberno occasu Phœbus, jacet insula, nostris  
 Dicta Columbarum; jacet adque astivum Orientem  
 Era, bonæ pecori & frumento & piscibus ambæ.  
 Milia abhinc duo abest Sancti insula sacra Columbi,  
 Milia longa duo, mille & lata, fertilis omnium,  
 Gignere quæ solet hæc cœli plaga, nec monumentis  
 Non priscis, ut ei fas Genti est, nobilis una  
 More Columbi autem disciplinaque severa  
 Nobilior, Monachorum unum hic, unum hic Monacharum  
 Cœnobium, una autem modo curia, multa sacella,  
 Scotorum & regum, & rectorum ex mente benigna  
 Munificaque manu: postquam est Kubonia capta*

*Fraudibus Anglorum sedes hic Præsulis alma,  
 Inde fuit tristi hic veteris sub mole ruinæ  
 Nobilium multorum olim commune sepulchrum;  
 Tres tumuli inter se distant tribus intervallis,  
 Impositis tribus ædiculis ad lumina Solis  
 Surgentis, parte Occidua lapis indicat altum  
 Inscriptus tumulum cujusque. Hic corpora Regum  
 Scotorum sunt dena quater, sunt bisque quaterna:  
 Scotorum hic Regum tumulus medio inter utrumque;  
 In dextro incisus titulus, Reges tumulanter Iernæ  
 Quatuor hic. Tumulus Regum qui in parte sinistra  
 Norwegum est, quorum hic octo fert fama sepultos,  
 Ossaque nobilium reliquorum nomina signant;  
 Hanc cingunt huic sex donatæ munere Regum  
 Exiguæ sed fœcundæ. Soa commoda præbet  
 Pascua, & ex ovibus proventum avibusque marinis:  
 Fæminea inde dehinc Rudana, deinde Reringa hinc,  
 A Mulla passus quingentos Skennea distat,  
 Curio quam curat suus, omne & littus abundat,  
 Quæ fodunt sibi sub terris animalibus antra.  
 Ab hac & passus distat mille insula Eorsa,  
 Cœnobio hæ omnes parent Di voque Columbo;  
 Viva ab Eorsa autem distat duo millia; quinque  
 Milia longa; ferax frumenti & pascua felix,  
 Commodam & oblongis stationem navibus ejus  
 Portus habet. Lateri Austrino prætenditur ejus  
 Colvansa, & fœcunda agro sylvaque Colurna.  
 Iam sita ab hac passus pene est Gomatra trecentos,  
 Millia longa duo, in latum modo dimidium hujus,  
 A medioque die gelidam procurrit in Arcton:  
 Hinc medium in lucem Stafa bis duo milia distat  
 Vtraque portu opportuna. Hinc mille recedunt  
 Bis duo ad Æstivum occasum passus duo Burgæ,  
 Queis Kerni imponit nomen majorque minorque,  
 Circumvallatae præruptis rupibus, atque  
 Perviolenti æstus sævum torrentibus undis  
 Præsidio ut naturali & munimine tuta  
 Vtraque ab hoste et vi omni & inexpugnabilis extet.  
 Distat ab his passus tantum mille Insula, cuius  
 Nigra est terra omnis putri concreta vetusto  
 Sylvarum & musco, ejus glebas ignis ad usum  
 Desiccant; Monadum dicta inde est insula; Mossam  
 Dicimus Anglorum sermone, soli genus illud.  
 Lunga deinde in longum porrecta est fere millia bina,  
 Dimidioque minor Baca: ad declivia Solis  
 Millia sex Occa se hinc & Tireja recedit  
 Millia longa octo, tria lata, & rebus abundans  
 Omnibus ad vitam nostram ditissima tellus,  
 Et pecore & frumento & piscatu atque marino  
 Fætu avium. Hic & aquæ dulcis lacus. hic vetus est arx  
 Navibus & longis oportunas bene portus.*

*Hinc duo milia abest Guna, hinc spatio pare Colla  
 Millia bis sex longa, duo lata, omnium abundans  
 Fætuum, agri multum fœcundi; nec procul hinc est  
 Calfa umbris nemorum & sylvarum introrsus opaca.  
 Insulæ at hinc virides binæ, majorque minorque,  
 Ac totidem contra Nullam cognomine eodem.  
 Cæruleæ haud procul hinc Glassa, mox Insula & alta  
 Magni Equitis quæ Ardan-Rider Sermone vetusto  
 Dicitur; inde Luparia & Insula quippe Luporum.  
 Post quam est Insula magna Acolla. est Insula ad arcton  
 A Phœbo surgente ad labentem in cœrula Phœbum  
 Porrecta, in longum bisque octo est millia, lata &  
 Sex, excelsis & sylvosis montibus altè  
 Ardua Ruma locis rarís habitata. Marinæ  
 In campis passim deponunt ova volucres  
 Anseribus rupes sunt hospita tecta Solanis  
 Bis duo milia ad ortum hibernum hinc Insula equorum est:  
 Vnde est quinquecentos passus Porcaria, abundans  
 Rebus ad usum, in ea portus stat commodus, atque  
 Nidificat falco. Haud procul hinc Canna, Eggaq; & ipsæ  
 Fœcundæ, hæc etiam anseribus fœcunda Solanis.  
 Inde Soabritilla suæ modo sacra Dianaæ.  
 Hinc medianam ad Lucem Boreali à cardine Cæli  
 Porrigitur Scia dena quarter duo, millia longa  
 Lata alibi bis sex, alibi octo, montibus ipsa,  
 Et montes sylvis, & sylvis pascua abundant,  
 Et frugum & pecorum sunt fœcundi ubere campi,  
 Atque alias præter pecudes armenta & equarum,  
 Est magnis ingens Salmonum copia quinque  
 Fluminibus, multisque aliis sua copia parvis,  
 Omni à parte solum terræ penetrans salis unda  
 Salsa sinus tres præcipuos facit, inde tredenos  
 Fœcundos halecum omnes, hos mole minores.  
 Hic & dulcis aquæ Lacus; hic arces quoque quinque  
 Hæc prisco sermone Skianacha, nunc Skia vulgo  
 Dicitur, hoc alam notat, alatum notat illud;  
 Quod promontoria inter se, quæ Nerea fluctu  
 Cœruleum infuso admittunt, duo sint velut alæ  
 Obtentu umbroso. Circa hanc sparsæ ecce minores  
 Insulæ, Oransa ferax frugum pecudumque cuique  
 Gaudet in occultis habitare cuniculus antris;  
 Paba latrociniis infamis; Scalpa cadentem  
 Ad Solem æstivum inde octona ad millia distat  
 Præcipue innumeris umbrosa atque hospita cervis.  
 A Scalpa in Boream duo millia deinde Ruarsa  
 Septem milia longa, duo lata, agmina pascit  
 Betulcis vel cervorum quam plurima sylvis;  
 At Crulinga jacet statio fidissima nautis  
 Caronem sinuosum inter viridemque Raarsam.  
 Quingentos passus à Scalpa est Rona ericea,  
 [10v] Et sylvosa sinum portu interiore recondit,*

*Qui latrociniis male prætereuntibus instat.  
 Est & in ore sinus cognominis Insula Gerloch,  
 Millia sex à Rona Arcton versus sita Flada;  
 Verum à Flada millia bina Tuilmena distat,  
 Adque australe Skiæ latus est Oransa, minorque  
 Et major Buña. ad passus jam mille ab Oransa  
 Insulæ & hinc parvæ sunt quinque ignobiliores;  
 Post quas Isa ferax frugum juxta Ovia & illum  
 Hinc Askerma, inde & Lindilla & ad octoginta  
 Solis ad æstivum occasum projecta Sciam ante  
 Linga Gigarmena Bernera Megala Paba  
 Fladaque Scarpaque vervecum Sandera Vatersa  
 Piscatu opportuna, & portu accommoda magnis  
 Navibus & multis, sua cætera commoda præter.  
 Postremæ hæ numeroque novem sub præsule subsunt.  
 Pascere cui jus est populos rapido æquore cinctos.  
 At duo millia abest Bara hinc, qua millia septem  
 In longum porrecta æstivum adque usque Orientem  
 Solis ab occasu Hiberno piscatur asellos,  
 Haud frugum infæcunda. angustis faucibus illo  
 Insinuat mare se & spatio interiore rotundat  
 Latius, Insulam habet tantum unam, hæc Insula & arcem  
 Imprimis munitam omni munimine. Barræ  
 Assurgit collis Boreali à littore ab imo  
 Herbidus, ad summum summo de vertice rivus  
 Decurrit, detrunca gerens animalia secum  
 In mare subjectum, magnæ cui nomen arenæ  
 Littus arenosum fugiens linquit maris æstus.  
 Littore in hoc passim conchæ effodiuntur adultæ  
 Quas cochas dicit vulgus. dicunter ab illo hic  
 Seminio aut nasci aut capere incrementa per undas  
 Insulæ, at exiles sparsæque per æquora, multæ.  
 Barram inter Vistumque jacent Orbansa, deinde  
 Ovia, Halerseta, & Garulanga, & Flada, minorque  
 Et major Buia, Haia, Helisaia, atque Gigaia  
 Et Lingaia, Feraia, Fudaique<sup>6</sup> & Eriscaia.  
 Vistus ab his gelidam longè procurrit ad axem,  
 Terdena & duo bis longa, & sex millia lata.  
 Hæc duplice infuso maris æstu est Insula triplex,  
 Nudatis fugiente æstu una Insula arenis:  
 Dulcis aquæ lacus hic est plurimus, unus in illis  
 Præcipua qui mole patet tria millia longus,  
 Exesa tellure viam sibi pontus ad illum  
 Per rupes patefecit iter; ingentiaque inter  
 Insinuams se saxa coagmentata subinde  
 Aggeribus ruptis, quos objicit Insula ponto,*

---

<sup>6</sup> i.e. *Fudaiaque*

*Abscedens linquit pisces persæpe marinos.*  
*Piscis in hoc capitur Salmoni cætera perquam*  
*Absimilis, nisi quod ventrem albus, terga nigellus*  
*Nec Tectus squammis, instar Salmonis,*  
*Hic lacubus scatet innumeris, bona dulcis aquæ vis,*  
*Speluncæque erica tectæ, latebrosa Latronum*  
*Perfugia; hic numero, hic sacrorum curia ad usum,*  
*Quintuplici sacro sancta. inde octo millia ad Ortum*  
*Est vetularum Helscher Monacharum forfan Iovæ.*  
*Longius ad Boream paulo Septemque Triones*  
*Attollit medio in fluctu se Haveskera. Certo*  
*Tempore in hanc anni appellant vituli ecce frequentes*  
*Æquorei, qui nonnullos capiuntur in usus.*  
*Sexaginta ultra hanc fere millibus Hirta recedit*  
*Solis ad Occasum æstivum; hæc frugum pecudumque*  
*Atque ovium procerarum blandissima nutrix.*  
*Omnis inertes artis & omnis Religionis*  
*Incolæ, & infantes tinguntur flumine sacro*  
*Solsitio exacto cum vectigalia pendunt*  
*Verveces induratos bene Solis ad ignem,*  
*Et vitulos maris hirsutos volucresque marinas*  
*Procuratori & domino sine fraude quotannis.*  
*Quisque suos tingit si desit forte Sacerdos.*  
*Passus mille patet tota Insula pene quadrata*  
*Tota invisa aliis, præter tres littore montes*  
*Qui sese extremi attollunt, cernuntur enim illi*  
*Rupibus è celsis aliarum & vertice summo*  
*Eximia cernuntur oves forma in tribus illis*  
*Montibus, at violens æstus prope adire marinus*  
*Hos prohibit quenquam. Nunc ad Vistum ut redeamus,*  
*A cuius promontorio Septemtrionali*  
*Insula lata Valaia in passus mille, duploque*  
*Longior. Hoc inter promontorium Insulam & Heream*  
*Hæ fere sunt interjectæ; exiguae licet omnes,*  
*Non infrugiferæ tamen, hæ: Soa, Stroma, Pabaia,*  
*Burnecaia, Enisaia, Keligira, parvaque Saga,*  
*Sagaque magna, Hermodraia, & Scarvaia,*  
*Et Gria, Lingaque, nec non Gillinsa, hinc Hea & Hoia*  
*Et Ferolaia, Soa & parva, & Soa magna*  
*Isa, Seuna, minor majorque Taransa, Tuemen,*  
*Slegana, supra Haream, Scarpa, supraque Leogum*  
*Millia quinquaginta absunt versum æquinoctiale*  
*Occasum, quæ Havanæ septem Insulæ Casyla*  
*Sacra vocant, montes toti viridantibus herbis*  
*Consurgent vestiti omnes, verumtamen omni*  
*Deserti cultu humano, nec quadrupedem ullum*  
*Præter oves, multumque feras fere habent, sed ad usum*  
*Tum victus nullum cum venatu capiuntur.*  
*Est caro nulla illis, adeo sunt pabula læta,*  
*Sed pro carne cutis fulmentum, arvinaque pinguis,*  
*Aut caro tam male suavis, eum ut gustare recuses,*

*Ni malesuada fames persuadeat, inque periclo  
 Prædulcis vitæ extremo. Tractu quoque eodem  
 Edonum proprius Boream Granvellana, quod sit  
 Aspera, mox Lamba, & Flada, & Kellasa, duplexque  
 Bernera, & Kirta, & Buia, hæc majorque minorque,  
 Nec non Vexaia, & Pabaia, & Sigrama magna,  
 Quamque suis fœcundum animal sibi vendicat antris,  
 Parvaque Sigrama, Pygmæorumque Insula, parvis  
 Ossiculis capite & parvo cum copore parvo  
 Plurimo ibi effosso externis facit ut mereatur  
 Fama antiqua fidem, Pygmæos quippe sepultos  
 Hac Regione. olim Hibernum qua spectat in ortum  
 Ora Leoga, in terram irrumptū aequoris aestu,  
 Hinc Arctous, & hinc Austrinus nomine dictus,  
 Et sinus & lacus. anno omni captantibus ambo  
 Suppeditant pisces, tanta est ibi copia, abunde.  
 Ad medium lucem magis, ex hoc littore eodum  
 Et vergit Fabilla, Adamique Insula, & illa  
 Agnorum, Vncoilla, Hulmena, Haverera,  
 Et Laxa, atque Era, & Sancti Insula sacra Columbi,  
 Et Tora, & Iffurta, & Scalpa, & Flada, atque Seüta.  
 Insulæ ad Ortivum latus hujus, fornice curvo  
 [11r] Stat cameratum, alta & duri testudine saxi  
 Subterraneum iter, remis velisque subinde  
 Pervium, & oblongum celeris jactum ultra sagittæ,  
 Dum fugiunt violentum aestum, gestumque fragorem  
 Vicinum ad scopulum, magna formidine nautæ.  
 Nomine Castellum antiquum jacet Insula ad ortum,  
 Qui locus est naturali munimine tutus,  
 Squamigerum, frugumque ferax, ovisque, volucrum  
 Sufficiens victimum indigenis aliisque colonis:  
 Verum ubi terram aperit sinus, aestu intrante Briennus  
 Insula, & Eu umbrosa & sylvis sublustris opacis,  
 Vnde latro insidiis vim prætereuntibus infert.  
 Hinc Gruinorta jacet gelidam magis Insula ad arcton,  
 Intus opaca itidem; insessa & latronibus ipsa.  
 Inque plagam spectans cœli parva Insula eandem,  
 Dicta Sacerdotum, fert pabula, & ova volucrum;  
 Proxima Afulla, propinquaque Habræra, & magna minorque  
 Huic juxta Insula Equorum, & Mertaika insula rufus  
 Iuxta hanc, hæcque octo, ante sinumq; lacumq; Brienum  
 In Boream excurrunt. hinc Haraja, inde Leogus  
 Millia sexaginta patent in longum, lata bis octo:  
 Insulam enim unam faciunt hæc, non maris aestu  
 Infuso, at sicco divisæ limite agrorum,  
 Et propria dominorum omni ditione dirempta.  
 Pars luci mediae exposita est Haraja, ubi Mandras  
 Exstruxit monachorum Maclodius Roadillæ.  
 Quod sat ad annonam fœcundi hic frugibus agri:  
 Pascua sunt ovium pasturæ accommoda, cuius  
 Gramine mons altus viret ad fastigia summa.*

*Errantes cernas, certo & Domino absque vagantes  
 Lanigeras, annisque graves: quas fætibus auget,  
 Quod vulpes nusquam aut lupus insidietur ovili,  
 Aut tractu immenso hic se in spiram colligat anguis:  
 Sunt tamen hic cervique humiles, sylvæque frequentes,  
 In collimitio, Haraja dirimente Leogum.  
 Hic quoque cœruleis salmonibus amnis abundat.  
 In parte ad Boream sævum est projecta Leogum.  
 Culta frequensque satis fœcundi ad littoris oras;  
 Arx una, at quadruplex divinis curia rebus,  
 Majoresque amnes septem, bis sexque minores,  
 Pinnigeris perfœcundi salmonibus omnes:  
 Pluribus inque locis scissas penetrat mare terras,  
 Inque sinus fundit se, halecum copia abundans:  
 Proventusque ovium hic in saltibus, inque ericetis,  
 Ingens, quas & in angustum de more coactas  
 Antiquo vellunt, non tondent, idque quotannis.  
 Campestrisque soli constat pars magna ericetis,  
 In quibus ex musco putri est pernigra superne  
 Terra, diu sylvis jam putrescentibus orta;  
 Conscissa hac crusta oblongus fit cespes, in usum  
 Ignis, ubi ad Solem fuerit siccatus acutum:  
 Inde marina solum nudum bene stercorat alga.  
 Tum centena uno consurgunt culmina grano,  
 Tum lassus gravidis procumbit culmus aristis:  
 Plerunque est ingens hic copia Balenarum:  
 Et capitur tanta, ut decimas prægrandibus, uno  
 Tempore, septenis quarter, atque minoribus ultra  
 Ter quadragenias reddant de more solutas.  
 Est & in hac spelunca ingens, ubi marmoris æstu  
 Digresso manet alta maris permensa vorago,  
 Orgyam ad alteram, ubi redit æstu ad quattuor alta.  
 Hic genus omne, ævi & sexus, in rupibus altis  
 Dum sedet ingentem cito vim discrimine nullo  
 Squamigerum lino atque hamis subducit in auras.  
 Rona solo plano atque humili cultoque, Loego  
 Millia ad æstivum est ortum sita sexaginta,  
 Cultores hominesque rudes, & relligionis  
 Expertes omnino omnis; qui his dominatur  
 Assignat certum numerum pecudumque hominumque,  
 Commode ut & vivant, & vectigalia solvant;  
 Quippe farinæ vim magnam excussæ hordeo ovillis  
 Pellibus insutam, quantumque, & carnis ovillæ,  
 Atque marinorum avium, quas Solis ad æstum  
 Durarunt proventum ultra superaverit hornum.  
 Quod victum est ultra, ad dominium redit omne Leogum,  
 Qui superent capite illa supernumeraria turba  
 Tum fundi Domino à cultoribus annumeratur.  
 Sic nihil usque illis deest unquam, & cuncta redundant.  
 Hi mores antiqui, hæc pectora, quæ nec inerti  
 Perdita luxurie, nec avaræ obnoxia curæ.*

*O fortunatos nimium, bona si sua norint!  
 Fælices nimium si Christum & se bene norint!  
 Quantum infælices! quum nec se, nec sua norint.  
 Romano sacrum hac colitur tellure sepulchrum;  
 Cui ligo perpetuus comes, hoc, cum quis moritur, mox  
 Inveniunt designatum de mane sepulchrum.  
 Si qua fides, dum mira canunt, majoribus ævo  
 Aut pietas dum vana serunt cultoribus arcí  
 Ni Dis ipse malus miseris deludat hiantes.  
 Hic & Balenæ esca, hamo & capiuntur adunco.  
 Milia in occasum hinc bisque octo, milleque passus,  
 Longa Sülskeraja mari jacet Insula in alto,  
 Quæ, nec valle herbas, ericam nec montibus ullam  
 Progenerat, rupes tantum se attollit in atras.  
 Quas muscus tegit ater, & alba aperit maris unda.  
 Hic volucres passim ponunt varia ova marinæ,  
 Excluduntque suos pullos, prædaque saginant:  
 At prius enatis quam sulcent aëra pennis,  
 Turba frequens è vicinis adnavigat oris  
 Prædatrix; tribuitque dies his octo legendis,  
 Durandisque aura & Phœbi vertigine, donec  
 Naviculas plumis onerent & carne rigente.*

*Insula in hac rara, & peregrina avis indole Colca,  
 Ansere mole minor paulo, nec pondere major,  
 Nidificat, suaque ova locat quibus incubat, atque  
 Pulliciem in vestem excludit, fovet, educat, ultiro  
 Vesticipem linquit, pennis sine veste solutis  
 Ipsa petens undas, quas sese immittit in altas,  
 Nec pennis plumisque pedum, sed remigat alis,  
 Hibernam & vestem brumæ fera frigora contra,  
 Natura, non arte sibi texit levidensæ,  
 Delitîs dapibusque novis sese ipsa saginans,  
 Donec vere novo tepidi blanda aura favonî,  
 Vestitamque habitamque bene, fœtuque gravatam,  
 Remigio alarum revehat, pennisque reducat,  
 Quamquam nulla illi pennato in corpore caulis  
 Durior est, sed pluma levís, nec concolor albo  
 Corpus ab integro molli lanugine vestit.*

*Atque hæc de occiduis, quas cingunt æquora, terris  
 Quæ denso Albanum præcingunt ordine Regnum  
 [11v] et denso Albanum constipent agmine Regem,  
 Vt Bruti repeat fasces: marmorque reducat,  
 Quod viridi pascens niveos in gramine Cygnos,  
 Amplexu Tamesis molli fovet & tenet arctè,  
 Defenditque manu vibrante, & verbere linguæ;  
 Sive stili præacuta acie, sue cuspidé pennæ.*

*Insulæ in Oceano magno reliquæ ore canendæ,  
 Deuque Calidonio Germanoque æquore fparsæ  
 Orcades, à priscis retinent qui plurima Gothis;  
 Nec dubia antiquæ calcant vestigia linguæ:*

*Vulgi parca gula in convictu quotidiano:  
 Hinc rari morbo, at senio plerique soluti  
 Emigrant è vita; alios quantum ars medicantum,  
 Tantum illos juvat ignoratio delitiarum;  
 Hinc forma insignes, procero & corpore pulchri.  
 Proventus frugum exiguis, quam præter avenæ &  
 Ordia, queis ex iis panis vinumque recocum  
 Suppetit ex gregibus caprarum; oviumque, boumque  
 Copia, butirum hinc, hinc lac, hinc caseus ingens  
 Mole, frequens quæstuque, & plurimus usu:  
 Squammigeræque maris pecudes, volucresque marinæ  
 Immuneræ; unde illis victusque & pabula constant.  
 Pœnè venenatum aspectu aut deforme apud illos  
 Visum animal nullum: sunt corpore valde pusillo,  
 Et specie contemptibles, sed strenui ad omnes  
 Plusquam credi est fas usus. equuli, arbor in illis  
 Nulla, frutex nullus regionibus eminet usquam,  
 Si unam Ericam excipias; nec tam cœlive solive  
 Id vitio, quam segnitie ignava indigenarum:  
 Quod clarum arboreis facile ex radicibus exstat,  
 Quas non nulla dies in pluribus eruit arvis.*

*Extera vina bibunt avidè, potantque libenter,  
 Quando invecta, scypho magno multumque capaci,  
 Et multum antiquo, Magni illius hospitis olim,  
 Et Divi, ut perhibent, qui Christi lumen & auram  
 Primitus infudit Princeps ditionibus istis;  
 Is tantum exsuperat communia pocula, quantum  
 Longa breves olim Laphithum Carchesia conchas.  
 Ergo suum ad sese advenientem hoc præsulem ab uno  
 Principio explorant, plenum haustu hunc si ebbit uno,  
 Hinc magnum esse virum statuunt, multumque capacem,  
 Et largum, mensura ampla, & teretem, atque rotundum,  
 Quali alias se & nunc Cathanesia præsule jactat;  
 Qui Magno vicinus, & æmulus indole magna:  
 Seu immani hostem magnum stet poscere poclo,  
 Seu poscenti hosti stet respondere paratus:  
 Sicut operclum opifex poscit dignum omne patellâ.  
 Laudibus hinc illum attollunt ad sydera miris:  
 Hinc læto augorio divinant esse futurum  
 Hornus ut ingenti proventu exuberet annus;  
 Quique sequens præsentem in multos jugiter annos  
 Præcipiunt spe certa, animis spondentque futurum:  
 Vnde patet frugalem illum moremque modumque  
 Rebus ab angustis, non à ratione, profectam:  
 Nam fuit alma diu nutrix, ut Diva creatrix  
 Paupertas vitae frugi, morisque modesti;  
 Vicinis luxu corruptis, mox labefacta  
 Disciplina vetus: tandem ipsi seque dedere  
 Deliciis, sensus & blandimenta sequuti  
 Nec nihil adnarint commercia piratarum:  
 Queis metus in terram firmam dare se, hic ubi aquantur,*

*Aut victu, aut pretio vili, cum cætera, tum, quæ  
 Vina gulam irritant exotica, & illecebrosa  
 Permutavere, & perpotavere trahentes  
 Perniciem, exemplo in præsens ævumque futurum.  
 Quid facerent pauci dijecti in gurgite inermes  
 Vim contra? at blandis secura per otia rebus  
 Fræna voluptati permittere dulcius; atque  
 Vtilius multo, nec visum intutius ipsis  
 Principibus, nec præsulibus non: Cætera turba  
 Antiquæ frugis vel adhuc vestigia servat  
 Impressa in mores. Quid non mortalia corda  
 Et facere atque pati cogit morosa tyrannis?  
 Cum blandum inspirat virus malesana libido?*

*Ergo procellosis revocant nos Orcades undis,  
 Non tantum immani hic metuendus fidere Nereus,  
 Et violenti æstus vi, ventorumque procella;  
 Verum ex occiduo conturbatis & Eoo  
 Æstibus Oceano, & contra pugnantibus undis,  
 Angustas intra fauces brevis arcta freti vis,  
 Atque recurrentes adversis molibus undæ  
 Vorticibus in se contortis, exsuperari  
 Vt nulla velorum aut remorum agmine possunt.  
 Qui proprius conniti animis ac viribus audent,  
 Aut violeno æstu rursus pelluntur in æquor,  
 Aut rapido fluctu abrepti in rupes scopulosque  
 Navifragos compelluntur vi: aut fluctus ibidem  
 Torquet agens circum, & rapido vorat æquore vortex.  
 Tempestate fretum hoc duplici est superabile, quando  
 Tranquillum mare, conflictum dirimente relapsu  
 Æstuum, ubi aut pleno ad summum pervenerit alveo  
 Incrementum; vi jam languescente tumultum,  
 Conflictumque undarum illum quæ utrinque ciebat,  
 Fluctibus Oceano veluti recinente receptui,  
 Vorticibusque undæ veluti in sua castra receptis.  
 Inter scriptores numerus non convenit: Illum  
 Plinius ad quadraginta extendit: fere turba  
 Cætera triginta numerat: Orosius addit  
 Tres, verum accedens quam proxime: at inter easdem  
 Tresque decemque suis habitatæ utcunque colonis.  
 Cætera pars deserta vacat, pecoriisque relicta.  
 Sunt etenim plerique humiles, spatiisque locorum  
 Angustis, ut vix unum, aut duo tresve colonos  
 Si colerentur alant; squalent aliæ musto adapertæ.  
 Aut nudis scopolis; verum quæ maxima cunctis  
 Orcadibus, multis veterum Pomona vocatur.  
 Appellant hodie terram immanem, à mole, patente  
 Millia triginta in longum: Hæc & culta frequensque  
 Curiam habet sacram & numero multam duodeno,  
 Quæa sunt rure omnes: unum oppidum habet quoq; dictum  
 Crocaviaca olim Danis; nunc Kircua Scotis.  
 Hic binæ ac veluti modicæ modicumque propinque,*

*Altera quæ Regis, quæque altera præsulis, arces,  
 Quas inter, pro captu hominum genioque locorum,  
 Templum opulentum, ingens: sunt templum hoc inter & arces  
 Quas binas perhibent, hanc Regis, præsulis illam,  
 Vrbes, & tectis multum populoque frequentes:  
 Efficit & fidos portus tutosque receptus  
 Navibus, immenso jactatis gurgite ponti,  
 [12r] Quæque elapsæ aestus duplicitis pugnacibus undis:  
 Sexque locis plumbi nigrique albique metallo,  
 Quo melius vix quicquam orbe omni, hæc Insula abundat.  
 Hac Cathanesia abest bis denis bisque duobus  
 Milibus, unda freti rapido qua interluit æstu:  
 Dictus & à gente est Pictorum hic Picticus æstus:  
 Insulæ & hoc multæ undoso sparguntur in æstu:  
 Bis binis distat Cathanesio à littore Stroma  
 Milibus, haud infœcunda; Orcadibus tamen illa  
 Accensere vetat vicina Britannia, & illi,  
 Imperio quorum paret, Comitis Cathanesii.*  
*Orcadum ab hac gelidam quicunq; adnaviget Arcton,  
 Australis Ranalsa occurrit prima, Dunachi  
 Quæ à sinu abest, aut Duncani, bis millibus octo;  
 Quod spatium binis horis æstuque secundo,  
 Vt cessent venti, faciunt per fervida Nautæ  
 Cærula, transmissi tanta est violentia tractus;  
 Longa est milia quinque; satisque accomoda portu  
 Margaridæ Divæ, cui Augusto omne nomen.  
 Projectæ hinc paulum, qua Phæbus surgit ab undis,  
 Sunt binæ, exiguae, incultæ, pecorique relictæ  
 Insulæ, illi Holmas gentili nomine dicunt:  
 Herbida planities (hæc vox est versa Latinis)  
 Assita aquis, Boream ad Burra est: hanc inter & amplam  
 Pomonam binæ sunt Holmæ; Burra ab iniqua  
 Occasum versus Solem tres ordine, Suna  
 Et Flata & Flara; atque has inter Hoïa Valis,  
 Sive due, five una hæc Insula, ut æquidiali  
 Tempestate, recessu æstus, undis & arenis  
 Faucibus angustisque sibi Insula ut una cohærent;  
 Sic æstu redeunte mari interjecto ea forma  
 Effigiat binas incinctas æquore terras.  
 Hic celsi ante omnes transcendunt nubila montes,  
 Bis quinque in longum porrectæ milia; distant  
 Ab Ranalsa octo, à Donachi Fano quater absunt  
 Milia quina: at ab Arctoo, qua immobilis axe  
 Est Granisa freto angusto insita. Abest etenim Hoja  
 Pomonæ promontorio duo milia tantum.  
 Atque hæ sunt fere Pomonam Cathanesiam & inter.  
 Pomonæ latus occiduum mare spectat apertum,  
 In quo extat nullus scopulus, nulla Insula paret.  
 A promontorio paulum procurrit Eoo Cobesa,  
 Pomonam à Borea quæ ceu tegit umbra.  
 Littoreo propior tractu, Siapinsa, Orientem in*

*Paulum se inflectens, contra sita Cracoviacam,  
 Milia bina patens, vergit sex milia longa.  
 A parte Occidua Pomona est Rusa, duo ter  
 Milia longa. ab ea, qua Sol cum surgit, Eglisa,  
 Magnum ubi Magnum illum Divum fert fama sepultum.  
 Ad mediam lucem est Vera, Gersaque, nec procul illinc  
 Vestra, à qua decies octona Hethlandia distat  
 Milia. ab hac totidem omnino distat Papa, Stronsa,  
 Fara, jacet medio fere cursu hoc Insula Bella,  
 Quam Orcades Hethlandique suo de littore cernunt,  
 In promontoria assurgens altissima terna;  
 Rupibus excelsis præcinta est undique circum,  
 Vndique inaccessa est, si non æstivum orientem  
 Versus se paulum demitteret, & stationem  
 Naviculis tutam præberet; pauperius nil  
 Indigenis; piscatores, quos Anglia mittit,  
 Quos Hollandia, quos alii è regione propinqua  
 Oceano, quacunque omnes rapiuntque feruntque  
 Omnia pro arbitrio. Post illam proxima longe est  
 Maxima cunctarum, quas fert Hethlandia; terram hanc  
 Continuam indigent, in longum millia passuum  
 Sexaginta, octo bis lata; in plurima spargens  
 Se promontoria; ex his duo maxima; longum  
 Alterum & angustum rigidam procurrit in arcton.  
 Alterum in Hibernum pandit se latius ortum.  
 Littoreis cernas habitata maritima in oris:  
 At præter pictas adit interiora volucres  
 Pene animal nullum; paucis bonus incola ab annis  
 Latius in terras culturæ extendere curam  
 Tentavit, quam majores successu sine allo:  
 Divitiæ sunt à Neptuno, parte & ab omni  
 Omnibus objecta est piscandi summa facultas.  
 Hinc Boream versus bis quinque ad millia, lata  
 Octo Zeal, supra viginti millia longa;  
 Est adeo fera natura cælive solive,  
 Ingenio aut genio ferat ut non ullum animantem  
 Indigenam, præter quam in luminis edidit auras;  
 Hic Bremensen ajunt mercatorem affluere omni  
 Merce peregrina, quæ exotica commoda præstet,  
 Suppetat unde illis omnibus usu abunde.*  
*Hanc inter terramque illam quam diximus antè  
 Perpetuam appellari, insunt, sed mole minores:  
 Insula Linga, Orna, & Bigga, & Sanctferrea; ultra hanc  
 Vusta novem distat glaciantem millia ad Vrsam,  
 Sex lata, ac supra viginti millia longa:  
 Plana solo, at non inamœna oculis, nisi qua mare circum  
 Sævit, ab insanis apprimè immane procellis  
 Hanc Zedemque inter, Via, & Vra, atque altera Linga.  
 Extra eam ad occasum adspiciunt & Skenia duplex,  
 Burraque: ad ortum Auroræ, Balta, Honnega, nec non  
 Foclara in septem porrecta est millia: septem*

*A Vusta, à Zeale distans prope millibus octo,  
 Atque objecta freto Zeale, quod dividit Vstam:  
 Multa obscura dein prætenditur Insula Eoo  
 Perpetuæ terræ lateri, Mecla, Skenia triplex  
 Eoa, & Brasa, & Musa, Nostunda, atque Chualsa.  
 Occiduum latus Occidua omnis Skenia cingit,  
 Rottia, Papa duplex, Vonnedaque Valla, Freondra,  
 Burra, duplexque Havra, & totidem has sparsæ inter & Holmæ.  
 Hethlandis victus idem qui Orcadibus, usus,  
 Et ratio, nisi quod multis paulo asperior sit:  
 Commoda juxta domestica: Vestis ad usum,  
 Et ritum Germanorum, est utcunque decora.  
 Illis proventus panno ex crassoque rudique,  
 Quem Norvegia emit, facta ex oleo, intestinis  
 Piscium, & è butiro & piscatu. queis duo scalmi  
 Naviculis piscantur, & has Norvegia vendit.  
 Quos capiunt pisces, horum est captura per ampla,  
 Aut condire sale, aut vento siccare laborant;  
 Hæc divendita ubi, & collecta pecunia, solvunt  
 Vectigal; domus hinc, pars victus, cuncta supellex  
 Suppeditat. nitet in mensa quandoque salinum,  
 Aut argentum aliud. Germani moris ad instar,  
 Pondere, mensuris, numeris utuntur: & illis  
 Germanus sermo est vetus, aut fere Gothicus omnis.  
 Mense semel minimum invitant se mutuo; at omnem  
 [12v] Ebrietatem omnes ignorant, & sine rixis  
 Simpliciter, culpisque aliis quas ebrietas fert,  
 Traducunt hilarè hoc tempus, cænasque salubres  
 Concelebrant, tanquam sementa & pignora grata  
 Suavis amicitiae, & constantis vincula amoris.  
 Tantus amor, parcis tanta est prudentia Gothis.*

*Notum autem & priscæ frugis vitæque salubris  
 Exemplum nostro noster Laurentius ævo,  
 Qui cum consorte & vitæ mensæque thoriique  
 Octonus decies Phæbi transmiserat annos  
 Anfractus, reditusque, ac vita duriter acta,  
 Et consorte thori partusque laboribus acta  
 In senium mortemque & vitæ lumine cassa,  
 Alteram amat, tam cruda viro viridisque senectus,  
 Vxorem & dicit jam centenarius ipse,  
 Et viridi florentem ævo validaque juventa,  
 Cujus ab amplexu suavi sobolisque creandæ  
 Dulcibus illecebris operosæ ad pristina vitæ  
 Munia lætus abit, denos quater amplius annos;  
 Nec non lætus obit constanti & robore firmus;  
 Ergo quater denos deciesque exegerat annos,  
 Piscatum cum forte abiit, subitoque coorta  
 Ingens, ingenti cum tempestate, procella  
 Incubuit ponto, vir qua violentior æstus,  
 Adversusque Notus cursusque brevissimus undis,  
 Qua sævæ insanis obstabant molibus undæ,*

*Solus agit remis, & per maria aspera adurgens  
Naviculam in portum impellit, portuque potitus  
Littus in extremum pelago subducit ab alto.  
Inde dein senior, nec vita insuaviter acta,  
Curriculum ævi ingens in multos prorogat annos,  
Nec vi morbi ulla, at senii vix tabe solutus,  
Sensibus integris simul omnibus ultima verba  
Dixit, nuper agens animam, curasque reliquit,  
Et vita absque mali sensu cælum hausit apertum.*

[1]

ADNOTATA  
AD  
SCOTORVM  
ANTIQUITATEM,

Eorumque in Britanniam ex Hibernia alterum trajectum  
duce Reuthari, quem Reudam vocat.

*Auct. ROBERTO GORDONIO.*

Non erat necesse, de nostra antiquitate, regni primordiis, & in hanc insulam immigratione, longum sermonem instituere, cum maxima earum rerum pars, multis sæculis à nobis semota (sicut multarum aliarum gentium) caligine tecta lateant, & velut fluviorum scaturigines, ita & gentium origines, tenues, obscuræ, lapso demum tempore innotescunt. Aliter se res nostræ habent, cum majores nostri, uno eodemque tempore magno numero ex Hibernia in hanc insulam transvecti, statim à principio sub Regibus fuere, statim Reipublicæ formam habuere. Neque erat nihi necesse in hæc tam anxie inquirere, nisi Angli historici nobis quondam ex quotidianis diffidiis (ut vicinis gentibus sæpe usu venit) infesti, nostrum adventum in ea tempora conjicuunt, quibus Saxones, unde illi orti, ad Pictos & Scotos finibus provincialium Britonum arcendos, ab illis evocati sunt. Neque hæc omnia tanti erant, ut de iis gravis controversia institueretur, cum jam nobis cum illis in unum imperium coalitis, lingua, religione, moribus, satis bene conveniat, & multa in nos, studio partium, impudenter & contra rerum fidem prolata, retractaverint, quicunque in hisce studiis supra vulgum sapiunt. At cum quamplurima de hisce rebus scripta à quibusdam, iisque non minimis, sed qui familiam ducunt, latine edita ad exterios emanaverint, asserenda nostra erant, aut vadimonium deserendum.

Primum illis ludibrio fuit de Scota & Gathelo vetus narratio, quam nobis asserere, aut deserere non est animus, certe non video quomodo testibus idoneis fulciri possit, nisi fides sit chronographis nostris, qui semper hinc exordia sumpsere, quos omnes in eo suspectos iri non dubito, cum eorum antiquissimi tanto temporum intervallo, ab iis sæculis, quibus hæc gesta sunt, abfuerint. At detur antiquitati venia, cum non solum nostri in his peccaverint; in hunc censem venient Franci, Dani, Swedi, Hispani, & multæ aliæ Europææ gentes, quibus ante renatas literas idem vitii. & si vetera consulamus, jam Diodorus Siculus, jam Herodotus pandent Græcorum origines, quorum quotusquisque non à Diis prognatus, quæ, quanquam irrigui habeantur, historici illi ex earum gentium monumentis exscriperant, quæ illæ tum vera de se credebant. & quanquam his omnibus jure merito nunc exilium indictum sit, credibile est, nostros historicos rudibus sæculis hinc sibi modulum sumpsisse, præcipue vero ad viciniæ imitationem. Brutum Britannicum, ejusque fabulam, illis animos fecisse non inanis suspicio est, ne nostri in postremis haberentur, quam ante annos quadringentos à Galfredo Arturio cusam, aut à Cambro Britannis suis acceptam, latine, ut tempora illa ferebant, translatam, editamque; illo ipso tempore doctorum & fide dignorum hominum censura notavit. Unde mirari liceat eruditissimum, & omnis antiquitatis scientissimum virum, Guilielmum Cambdenum, tantum non adfuisse patronum, qui diserte fatetur, se ingenii nervos ad eam stabiliendam adhibuisse, sed frustra: nolle se tamen ei præjudicium adferre, sed intactam relinquere.

Idem, dum nostram antiquitatem acriter convellit, & in hoc certe, non uno loco omnes ingenii nervos intendit, majores nostros, ante inclinationem imperii Romani, hoc est paulum ante Saxonum adventum, qui demum anno Christi 449 huc appulerunt, nullas in hac insula sedes tenuisse, & paulo ante illa tempora, nostrum nomen primum orbi innotuisse condedit. At si gentium origines, & antiquitas ex Romanorum de iis notitia pendet, Deus bone! quot illustres gentes patria sua per multa [2] sæcula carituri sunt, imo Britanni ipsi, serius Romanis cogniti (prius certe Græcis) non effugient hanc notam, nisi Cæsar eos indigenas maximam partem pronunciasset.

At de immigratione patrum nostrorum in hanc insulam, gravior quæstio est, quam non tantis confusam tenebris, tantus rei antiquariæ dictator, non poterat non vidisse; eum igitur

*præjudicio laborantem hæc dissimulasse fatendum est.*

*Optimum harum controversiarum testem advocemus Bedam, in vicinia apud Nordan-Humbros Saxones (ipse Saxo) natum, educatum, quique in iis locis omnem exegit ætatem, quæ sane longa illi contigit, qui circa antum<sup>7</sup> salutis DCCXXXVI è vivis excessit, jam (si epitaphio ejus fides) nonagenarius. Is nostram gentem, Picticamque optime norat, cum iis vicinitatis & relligionis commercio multum versatus, cujus fides ipsi Cambdeno in omnibus multum laudatur; quem incorruptum & ingenuum veritatis & antiquitatis testem pronuntiat.*

*Ille, statim initio historiæ suæ ecclesiasticæ, incolas Britanniæ eorumque origines referens, primos recenset Britones, proculdubio antiquissimos, de quorum initiis, neque illi, neque ipsis, teste Cæsare, aliquid constabat: adeo illi omni prophana historia antiquiores. Proximos his adjicit Pictos, quorum adventus causas describit, temporum ignarus, qui, ut ait, navibus huc appulsi, jampridem plurima insulæ parte, ab austro incipiendo, à Britonibus possessa.*

*Subjungit deinde tertios incolas Scotos, in partem Pictorum receptos, qui duce Reuda de Hibernia egressi, vel ferro, vel amicitia sibimet inter eos sedes quas hactenus habent vindicarunt. Sedes autem hæ, Bedæ tempore (ut postea narrabitur) non excedebat æstuarium Glottæ, Saxonum potentia in has conclusi angustias. Quemadmodum, eadem de causa, idem, illis temporibus, Pictis acciderat.*

*Iam collocatis in insula tribus his distinctis populis, novo capite Romanorum adventum, tanquam rem quæ posterioribus seculis acciderat, describere aggreditur. Hæc, legentibus clara, perspicua sunt, nullis verborum ambagibus involuta, sed secundum laudatam patris hujus consuetudinem simpliciter tradita.*

*Scoti, referente doctissimo antiquario Cambdeno, paulo ante Saxonum adventum in insula conserderant; vix illud certe concedit; nam ex verbis Bedæ cap. XIII. referentis, impudentes Hibernos grassatores domum regressos, statim reversuros, & ex Claudiani loco,*

*Totam cum Scotus Iernen*

*Movit, & infesto spumavit remige Tethys.*

contendit, Scotos nondum hîc consedisse, sed ex Hibernia navibus advectos prædas egisse. Longe aliter Beda. Transmarinas autem dicimus has gentes, (ait ille, de Pictis & Scotis sermonem instituens) non quod essent extra Britanniam positæ, sed quia à parte Britonum erant remotæ, duobus sinibus maris interjacentibus, &c. Tum enim limes ad Glottam & Bodotriam stabat, extremis Romanorum in insula temporibus, ut postea narrabo, cum de Prætenturis sermo erit. Sed ad rem: Saxones huc accersiti trajecerunt, ut notum est, an. Dom. CCCCXXXVIII Fuerint in insula Scotti paucis ante annis, puta noveris.<sup>8</sup> Ergo Scotti anno CCCCXXXX primum insulam tenuerunt. At, referente Beda, jam ante Cæsaris primum adventum in ea sedes cœperant.<sup>9</sup> Ille autem, secundum eundem autorem, anno ante natum Christum sexagesimo, primum ad hæc littora appulerat, ita videtur Cambdenus decerpisse Bedæ calculo, à Cæsare ad annum CCCCXXXX, quingentos annos: ingens certe temporis intervallum. Supersunt adhuc anni qui Reudam & Cæsarem intercesserunt,

---

<sup>7</sup> I.e. annum

<sup>8</sup> I.e. novenis

<sup>9</sup> I.e. cœperant

quos nostri annales definiunt CXXXIX fuisse, & novem Regum tempora complecti, ut quinque priores principes à nostris enumerati non veniant in censem. Demus, nostros in annorum computo à Reuda (qui nostris Reutharis fuit) ad Cæsarem aberrasse; certe nemo non fatebitur plusculos annos intercessisse, neque in numerum nobis erit anxia inquirendum, cum iis omnibus annis subtractis, procul-dubio Cambdenus causa cadet; sed hæc æquo lectori judicanda relinquo.

Iam ad alia properanti moram injectit anthropophagiæ nota, priore libri sui editione majoribus nostris inusta, advocatis in testimonium Strabone, & Hieronymo. In Strabone nihil tale me legisse memini, neque apud illum aliqua Scotorum mentio, qui pauca & incerta de Britannia refert, ait, hoc se de Hibernis, qui Britannis feriores, & magis incolti (referente eo) audivisse.

At cavendum nobis ab Hieronymo erat, nisi quod videam posterioribus curis hujus viri, hanc nobis remissam noxam, & infame crimen hoc ad Attacottos relegatum: ex fide manuscriptorum codicum, ut ait, Erasmo consentiente, qui corruptum locum agnoscit; & antiquarius noster refert, se non posse non fateri, in diversis manuscriptis se Attigotti, Catagotti, Cattitti legisse. At fuerit verior lectio de Attacottis, populus ille, si non Scotti, cum Scottis censetur à Marcellino; unde, si Hieronymo fides, regio nostra, aut è nostris tribus aliqua, anthropophagis infamis erit. sed si quis recto hæc perpendit, tutior Romanis historicis qui iis saeculis vixere fides habebitur; illi sane, quibus incolæ harum regionum infestissimi [3] hostes, cum de incolarum ingeniis multa referrent, nihil tale scriptis mandavere; non Tacitus, Herodianus, Dio; non Marcellinus, nullus denique præter unum Hieronymum, hominem iracundum, & cui displicuisse nemo impune tulit.

Iam anxie à nobis exigitur ab eruditissimo antiquario nominis Scotorum etymologia. Fugillatur doctissimus Buchananus ignorantiae aut oscitantiæ; arguitur quod in hoc spem fefellerit: In re tam ardua dictator noster auxilium fert, facem præfert, ex conjecturis suis, suffragantibus quibusdam non magni nominis scriptoribus, & similitudine vocum, in Scythiam nos amandat, quibuscam regionibz aut populis, nihil majoribus nostris unquam fuit commercii. Post multa tandem, ex farragine plurium infimæ classis deprompta, concludit, amle metuere se quod ad originem ne Σκοτα\_οι semper futuri simus. Magnum profecto crimen ad antiquarii tribunal causam dicturo. Bene se habet quod non soli nos rei. Iam reddant rationem Romani, cur Hellenes, Græcos; cur Transrhenanas gentes, Germanos dixerint: reddant rationem nominis sui, Franci, Alemanni, Suevi, Catti, Gotthi, Alani, Vandali, imo ipsi Hispani, Galli, & innumeræ aliæ gentes, aut censori huic non erit fatisfactum. Vult ille supra omnem antiquitatem in hæc inquiri, supra illa tempora quæ Varro adela, & mythica dixit. Ille tamen, tam acerbus harum rerum exactor, in Britanniæ etymo misere se torquet. Sed quando illi cum Luddo, homine ex veteribus Britannis oriundo, linguæ Britannicæ antiquæ peritissimo, & in hisce antiquitatibus non leviter exercitato, non conveniat, nescio quam fidem conjectura ejus merebitur: Conjecturam autem suam fatetur quæcumque de ea re profert. Neque quicquam certi statuere audet. Nos tamen quod non aliquid de nomine nostro conjiciamus, homini severo vapulamus.

#### ADNOTATA AD PRÆTENTVRAS quæ Scotos & Pictos à provincialibus distinguebant.

Cum doctissimus Cambdenus omnia lustaverit & collegerit, quæ ad hanc rem faciant, non erat opus hanc cramben recoquere, nisi subasset controversum quid, de iis qui diversis temporibus has Prætenturas statuerunt. Ego sic existimo; Iulium Agricolam primum id conatum fuisse potius quam perfecisse; tractum illum inter Glottam & Bodotriam, eam præfidiis firmasse refert Tacitus at de vallo aut muro nihil.

Neque illa præfidia arcuisse hostes sub Trajano, aliis curis, Dacico scilicet & Parthico bellis, intento, Spartanus innuit: subactos tamen; id est, ut ego conjicio, intra priores terminos conclusos

hostes.

Sequitur Adriani imperium, qui primus celebre munimentum per transversam insulam duxit. vallum hoc fuisse ex Spartiani verbis conjicere licet, ad modum castrensis munitionis, sed majus firmiusque, ad ferendam ætatem, adjectis per intervalla crebis munimentis, ubi cohortes qui non excubarent se reficerent, semper tamen ad repentina parati. Cardo rei est, ubinam terrarum Imperator hiceam posuerit. Contendit Cambdenus ibidem positam, ubi postea Severus suam Prætenturam statuit: videtur mihi potius inter duo prædicta freta collocata fuisse.

Nullus erat locus commodior, nullibi tam angusta insula; jam Agricolæ opus ad hoc eum invitare potuisset: neque verosimile est illum tanta regione cessisse hostibus, quanta has duas prætenturas interjacet, quæ recenter ante eum pars imperii habebatur. Quod adfert Cambdenus de ejus longitudine ex Spartiano, exigui roboris est, cur non mihi liceat dicere esse mendam in numeris, & pro octuaginta, triginta debere reponi, cum ille in numeris valli Severi hoc sibi licere vult, ubi enim Eutropius habet triginta quinque mil. pas. Reponit ille octuaginta. ubi Orosius habet centum viginti duo, retrahit ille ad octuaginta; ita in numeris parum præsidii. At quæ adfert de munimentis præsidiariis, quæ ad vallum Severi statuta, Adriani nomen referebant, ut Pons Ælia, Classis Ælia, Cohors Ælia, Ala Sabiniana, quam invalidum hoc? quis nescit legiones, cohortes, alas, semel lectas & ad militiam compositas, nominibus distinctas, semper postea, ubicunque militarent, nomina sua retinuisse; quod exemplis multarum ætatum probare est facillimum. Vnde ala Scriboniana, legio septima Galbiana, Iovii, Herculii, quæ nomina viguere longe post illos extintos, qui primi illos ad militiam ascripserant, & nomina dederant. Neque moror Scotum illum de quo ille refert qui rotam temporum scripsit, neque Boethium nostrum, quorum ille ut sibi consentientium meminit qui nihil hic præsidii adferre possunt nisi testem antiquitatem proferant. Sed neque Lolii [4] Vrbici tertia Prætentura locum aut veritatem habet; nam si totum hoc inter duas Prætenturas, quarum vestigia supersunt, probe vestigetur, nullius aut tenue vestigium aut suspicio invenietur, cum regiones illæ montibus ut plurimum horridæ, præsertim in mediterraneis, talibus operibus cessuræ non erant; neque Legati alicujus cum exiguis copiis talia moliri partes erant. duæ tantum legiones sub illo tum præsidia agitabant, ut eorum temporum lapides inscripti testantur; Legio secunda Augusta. Legio vigesima Valens, victrix è vallo hoc, unus erutus sic præfert.

LEG. II  
AVG.

Alter, qui adhuc in celebri loco extat, sic se habet:

IMP. CÆSARI. T. ÆL.  
ADRIANO. ANTONINO  
AVG. P. PP. VEXILLATION.  
LEG. XX. VAL. VIC. F. P. M.  
P. III.

Posterior hæc inscriptio veritatem de Lollo Vrbico, testatur illum nullum novum murum aut Prætenturam excitasse, sed suum opus quod Antoninum Imp. præfert, cuius ille erat legatus, veteri Hadriani Prætenturæ superstruxisse.

Imperante Commodo, res hic se pejus habuere, donec Severus imperator cum ingenti exercitu advenit, qui seipsum, & hostes fatigavit, senioque confectus vitam in provincia finivit, nondum sopito contra hostes bello. Certe cum sæpe evolvissem bellicosissimi hujus Imperatoris in hac insula acta, in multis fateor ab auctoribus non mihi satisfactum esse, adeo confuse multa literis mandata sunt. in confessu est eum, aut filios, celeberrimum illum murum statuisse; cuius magna pars hodieque extat ab Ituna ad Tinam procurrens: sed quomodo tanto agro cesserit hostibus, nulla necessitate coactus, (quem ut nullius usus, ut quidam volunt, non despixerunt posteri Imperatores) manete bello, non equidem capio; & tamen scriptores volunt, hoc ipsius opus fuisse. Si dixissent,

**mortuo patre filios male concordes, ad capessendum imperium Roman properantes, cum hostibus pepigisse, & hoc opus statuisse, credibilia retulissent.**

Certe Prætentura hæc, & novus hic limes semper postea litibus, bellis, cædibus, æterna semina præbuit. nam cum Scotti, Picti, Attacotti, Dicaledones, Vetturiones, Mæatæ, suis sedibus divisi, sed sub duobus principibus Scotorum & Pictorum nomine, ut paulo ante ex Beda monui, primum ab Agricola rejecti ultra Bodotriam & Glottam, tota occidentali ora erepta Scotis, & orientali depulsis Pictis, illi ad omnes motus intenti ad sua recuperanda, magnas turbas sub diversis Imperatoribus dederant, semper tamen coerciti, & ad Agricolæ seu Hadriani vallum rejecti, donec Severus tanto agro iis cessit, quantum optare quidem, sperare autem non possent. Videtur sane, si Romani postea Severi vallo se continuissent, eos vicinos non hostes habituros fuisse. At postquam, ut referunt quidam non infimæ notæ historici, Carausius, imperante Diocletiano (qui postea in insula tyrannidem aliquamdiu stabilivit,) iterum ad Bodotriam promovit limitem, & imperante Valentiniano, Theodosius Imper. Theodosii parens, teste Marcellino, agrum omnem Prætenturis interjectum in provinciæ formam redigesset Valentiæ nomine, hostes nihil non moliti contra Romanos tanquam fædifragos, quæ amisissent tanquam sua repetebant. sed frustra Romanis adhuc dominantibus; illis quæ ceperant constanter retinentibus quandiu stetit incolumē imperium, & Prætentura illa quam primam molitus fuerat Agricola, pene postremus mansit limes. illam Gallio Ravennas munierat, ut ex Beda clarum est, illam videtur Stiliconem muniisse. illa postremum amissa, postquam Romani insulam deseruere, ad vallum Severi munitiones retractæ, in quibus absentibus Romanis, & juventute delectibus exhausta, nihil erat firmi. Hostes cædibus efferati in Provinciales crudeliter sævierunt, neque finis antequam advocarentur Saxones.

Hæc ideo fusius prosecutus sum, ut belli causas quas tot Scriptores intactas prætermiserant aperirem, ut videatur illos hostes, illos barbaros tanta pertinacia bella continua ex bellis sevisse, non sine legitima ut illis videbatur odii causa, cum hæc omnia Romanis imputarent, qui limites legitime statutos avaritia sua violassent.

**De vestigiis valli Adriani hæc sequentia habeo è Scheda Tim. Pont, quæ quia barbaris nominibus constat, neque leporem latinum patiuntur, descripsi sermone nobis vernaculo.**

*The trace of this fortification beginneth betwinx Abircorn and the Queens ferry, besyd the rampier and ditche, with the rownds stof all along it had many squar fortifications in form of a Roman camp. it went west from Abircorn towards Kinneil, then to Inner-ewin at Langtoun a myl be-east Falkirk a fort, at ye rountree-burne-head a fort, at wester Cowdon above Helins Chapell one. at the Croyhill one, and at Cailly-bee, that is the Dick wood over against te Croyhill, on the top of the Bar-hill a great one, and at Balchastel over against the Bar-hill, at Achindevy, at Kirkintillo, at East [5] Calder, at Hiltoun of Calder, at Bal-muydie, at Simmerstoun and ovir Kelvin river, at Carrestoun, at Achter-minnie, at the Roch-hill ovir agains the westerwood at Bankir ovir agains Castel Cary, at Dunvass.*

Hactenus chartula illa, & multum adhuc ad Britannodunum superest, quarum rerum investigationem optarem, cum his mihi nunc ætas interdixerit.

***De origine & causis linguae Saxonice apud nos, quæ hodie in Anglicam mutata est aut deflexit.***

Non injuria sæpe quæritur, quo modo nobis usu venerit ut cum majores nostri ex Hibernia huc advecti una secum linguam illam advehentes, jam ut plurimum eam dedidicerint, eique successerit Saxonica primum, quæ variante dialecto apud Anglos ita apud nos variaverit, neque ulla re differamus, nisi quod paulo apud nos pronuncietur accentu diverso, minusque quam apud illos culta, præsertim in vulgo, quemadmodum in diversis regnis non eadem ubique linguae puritas, ut in Hispania, Gallia, Italia, Germania videre est, neque certius peregrinitatis signum quam sermo. Apud Anglos qui purius loquuntur peregrinis vocibus quotidie civitatem dant, neque illud inopia, sed luxu sermonis & novitatus aviditate; unde variæ apud illos provinciæ qui longius absunt, ab hac vocum recens affectarum (ut ita dicam) officina longius absunt, illam novitatem serius hauriunt præfertim vulgus. Nostratisbus, qui quam longissime inde absunt, & quam minimum talia curant,

sermo antiquior in usu; quem delicatuli isti novatores fastidiunt, & ut obsoletum aspernantur, ita à primæva Saxonica tam longe recessum est, ut si legatur, nemo eam amplius intelligat, & quemadmodum hodierna Gallica à Celtica sic à sua matrice ista abiit. Anglica ista jam totum fere nostrum regnum pervasit, si oram occiduam excipias à freto Glottæ ad Septentriones, ubi profunda barbaries priscum sermonem apud vulgus retinet. at nemo illic cultior, qui non & nobiscum loquatur.

Iam videamus quomodo adrepserit nobis sermo hic ab initio peregrinus, & cum tempore tam altas radices egerit, ut noster primævus in extremas oras deportatus exulet. Non imperatorum edicta, non Romani imperii vis, quantumvis in hoc enixa, provincialem linguam potuere vulgo excutere. imperatorum edictis fateor nunquam fuisse provincialibus suum sermonem vetitum, sed latine solum apud tribunalia jus dabatur, latine publica negotia tractabantur, tam pro majestate imperii, quam ut provinciales eam necessario ediscerent, cujus in tota vita tantus usus.

Cum mutatio hæc non fuerit repentina, neque fieri potuerit, jam facta tantum sentitur, & quemadmodum alluvies in fluminibus solum nata cernitur. Vnde apud historicos altum de ea silentium.

Quidam ex commercio & communione nostra cum vicinis Anglis primordia hujus rei manasse volunt, postquam Saxones Christianismum amplexi, & sub uno rege haberi coepi sunt, maxima sane inter has vicinas gentes amicitia fuit, præserim postquam nostri vendicaverant, sibi, quæ Saxones Nordan-Humbri jure belli de iis ceperant, mansitque amicitia hæc sartatecta, donec Edwardi primi fraudibus & vi tota diffiluit. at si verum æstimeremus, nulla talis aut tanta consuetudo eas tenuit, ut sermoni nostro aliquid decerpi potuerit, neque videtur conjectura hæc vera aut vero similis.

Alii ad tempora Milcolumbi tertii ejus nominis Regis nostri hæc referunt, quæ incident in paucos annos ante Normannicam in Anglia procellam quæ accidit anno Dom. I tum enim Eadgarus legitimus Regni hæres, sceptris exclusus cum tota cognatione in has oras advectus, liberaliter à Milcolumbo susceptus est, qui ipse non ita pridem exul, in illo regno tutum perfugio locum invenerat, & ad sua redeunti ut Macbethum tyrannum regno usurpato depelleret, multos, eosque non infimi ordinis comites habuerat; unde succendentibus rebus, ille liberaliter eos agris, prædiis, honoribus, remuneratus est. Testantur nostri annales, multas claras familias, quorum posteri hodie supersunt, huic eventui suas debere origines. manent eorum cognomina, quæ numerosa prole diffusa sunt. Eadgarus igitur liberaliter habitus novæ affinitati ansam dedit. Margareta ejus foror, castitate, sancitate, omnibus Christianis virtutibus lectissima virgo Milcolumbo desponsa est: unde quibuscumque Anglis cum Normannis non bene conveniret, tutum hic erat asylum: inde expeditiones & bella suscepta, ad coronæ Anglicæ jus repetendum, sed irritæ, cum jam plebs, Ecclesiastici omnes, qui tum multum poterant, & maxima procerum pars manus dedisset. At neque Eadgari comitatus, aut ante eum Milcolumbi reducis socii, qui non numerosi, advenerant tantum potuere, ut linguam nativam extinguerent; non erat ea turba, quæ populo & plebi prevaleret: & res hæc certe suffragiis nititur, mera hic Democracy, aut quod deterius Ochlocratia est. plebs, populus sermoni præest. Neque in imperantis manu est, ut aliter fiat.

Iam quid sentiam, expediā: & si quis aliquid verosimilius, quod meo præponderet sensui, afferat, æquo animo feram, pedibus in sententiam ejus ibo, adeo mihi non obluctari veritati constitutum est.

Cum primum majores nostri, & anti illos [6] Picti sedes in hac insula tenuissent, paulatim se diffudere, & crescente sobole auxere limites, primum Æstuarii Fortha & Glotta uterque populus coercitus tanquam naturali limite, ultra ab utraque parte processum est. Picti sequuti Orientalis littoris ductum Lothiano multumque agri ab ea parte sibi vindicarunt; si limitem quæras videntur possedisse totum illud, in quod pulsis illis nostri successere. Scotti vero Occidentalem oram trans Glottam sibi quæsivere. Prima utrisque certamina cum Britonibus erant, donec Iulius Agricola cum exercitu Romano item diremit, ita nostri Pictique intra duo æstuaria rejecti, & limes hic constanter ad Severum mansit, qui quanquam sæpe perruptus, nihil tamen possessum, præmium belli populatio agrorum erat. Primus Severus limitem mutavit, & vallum de nomine suo dictum aut ille

aut filii statuere. Sed Carausius sub Diocletiano & Maximiano protulit munimenta, & iterum ad Adriani vallum terminum fixit, quem postea secuti duces Romani constanter retinuerunt, quamdiu Britanniam habuere, nisi demum extremis temporibus ad Severi vallum redditum est, quod regressis Romanis non potuit arcere hostes.

Tum advocantur Saxones, eaque medicina afflictis rebus adhibetur, quæ omne malum excessit; perfidia enim sociorum plus miseræ genti nocuit;<sup>10</sup> quam ulla hostium crudelitas, illi non contenti pactis stare provinciam sibi vendicant: nec imperare contenti ut antea Romani, aut miti victoria cum victis in unum corpus coalescere, ut Franci Gallis, eorumque nepotibus postea Dani, non ante excisam gentem aut in avia ablegatam quievere, ut in vacuas sedes succederetur: illi multis ducibus diversa loca invasere, at omnibus idem studium vastitatem facere, & nova regna condere. Qui Septentrionalia invasere, Nordan-Humbrorum nomine assumpto, valido exercitu sub duobus ducibus duo regna Deiræ & Berniciæ constituere. illi quicquid Severus Scotis Pictisque reliquerat, de quo postea tantis cladibus certatum erat, jam iterum Scotis Pictisque eripuere. limitem suum ad duo freta protulere, neque inde ulla vi etiam post susceptum Christianismum divelli potuere, donec primum discordiis civilibus postea incumbentibus Danis debilitati & fracti tum demum Scotti & Picti in sua rediere, leniterque victoria usi, populo ut plurimum sedibus suis permisso, domini regionum facti sunt, quas postea à Danis & Anglis constanter in hunc diem tenuere.

Harum rerum usque ad Saxoniam procellam satis quæ dicta sunt testantur, cum de prætenturis verba facerem, at quæ successere, Bedam autorem habent, qui omnium, qui de iis scripsere, ea optime norat. ex eo multa haurire licet, quæ veritatem hanc stabiliant, quanquam mutatio hæc ætatem ejus plus centum annis sequuta sit. Meminit ille fluvii Twedæ, Mailrossi cœnobii, Abircurni item cœnobii ad fretum Bodotriæ, meminit quoque Episcopatus Candidæ casæ, quæ hodie in Gallovidia agnoscitur. hæc omnia & longe plura operi ejus inspersa leguntur, ut regni Berniciorum (quod ex Northumleanis regnis magis ad Septentrionem vergebatur) membra, illudque solum agnoscentia, neque illa ex auditu, sed quæ suo ævo oculis hauserat. Refert ille Regem Oswyn gentem Pictorum magna ex parte (hæc ejus verba sunt) Anglis subdidisse circa annum 660. Refert quoque Aidanum Scotorum regem cum numeroso exercitu contra Nordan-Humbros infæliciter conflixisse, unde postea nemo illis de provinciis bello partis controversiam facere ausus est: atque hic erat rerum status Bedæ tempore.

Sed contusis & fractis Saxonum opibus, nostri Pictique in sua rediere, & quæ bello amiserant, bello cepere. venere autem non in vacua, sed in loca Saxone jam Christiano plena. Victores posita iracundia victoria clementer usi sunt, dedititiis parcitum est, & agrorum culturæ, cui affueverant, dati sunt, donec in unum corpus cum victoribus (ut postea factum est) coalescerent. mansit linqua mere Saxonica, neque ex iis regionibus quæ Forthæ & Glottæ ad austrum sunt exigi potuit, nisi inducis novis Colonis, quod tentatum non videtur, neque ulla ejus rei memoria. novi Domini antiquis colonis imperarunt. Regiones hæ tertiam regni partem constituunt, si terrarum spatia æstimentur. at si agrorum ubertatem, incolarum numerum, situs opportunitatem, non multum toto quantum superest cædit. Si vero cultum, opes, incolarum mansueta præ cæteris ingenia, facile primas tenet. Vnde Regia neglectis ulterioribus hic sibi sedem fixit. Inde jus, imperium, negotiatio, quicquid denique ad bene beateque vivendum à mortalibus avide quæritur, his supra cæteras regni provincias reperire est. cum igitur, ut dixi, tractus hic terrarum ingens tantis temporibus à Saxonibus possessus, regnique Berniciorum magna pars, iis cedentibus,

---

<sup>10</sup> i.e.,

**nostrisque eum sibi vendicantibus, antiquis colonis cum nativa sua lingua maximam partem manentibus, consentaneum vero est, hinc nos sermonis hodierni cunabula repetere debere.**

[7]

**ROB. GORDONII  
DE THVLE  
INSVLA  
DISSERTATIO.**

Thule insula, vatum carminibus, etiam historicorum relationibus, apud veteres celebris, hodie in tanta literarum luce, tanto ingeniorum proventu, adhuc latet, & nisi Ptolomæus huc digitum intendisset adhuc lateret; cum ea orbis Britannici aut pars esset, aut appendix haberetur, nil mirum exteris, aut appendix haberetur, nil murum exteris de ea parum sollicitos. Non sane effugiffet sagacissimum Camdeni ingenium, si huc animum advertisset, sed hæc illi extra tabulam erat: quanquam enim laboriosissimo suo opere universum Britannicum imperium complexus est, fatetur, quicquid operæ præter Angliam in reliqua impendit desultoria levitate se solum attigisse. Deerant illi proculdubio debita huic labori subsidia. nondum innotuerat orbi legitima insularum quæ nostrum regnum circumambiunt geographia. Recentiorum scriptorum nonnulli, qui hanc insulam è tenebris eruere conati sunt, Shetlandiæ hodiernæ Thulen attribuerunt; eo argumento ducti, quod illæ insulæ, in nostro orbe ultimæ sint: Nam de Islandia longe postea inventa nemini unquam quod sciām tale aliquid in mentem venit. at Romanos vidiſſe Shetlandicas insulas, aut eo usque navibus perrexisse, sentire vanum est. Claudii Imp. classis primum Orcades aperuit, quas poëtarum adultatio eum domuisse refert: non erat magni negotii eas subjugasse, ubi nullum victoriæ operæ pretium præter famam, quam Imperator ille desultoria illa in Britanniam expeditione aucupabatur, eamque abunde consecutus est. Iulii Agricolæ classis insulam circumvecta plures insulas ad Occidentem detexit, quas omnes, sicut & Orcades, sicuti etiam septentrionalia regni nostri despexerunt; ad lustrandum, non advincendum aut possidendum instituta navigatione: finis enim Britanniæ quærebatur, at hæc loca ut inutilia neglexerunt, his maritimis itineribus oram legentes, propter immensi & procellosi oceani metum, littora & littoribus proxima vidisse contenti fuere. neque mirum, cum hodie maria illa tot insulis disseminata, quamvis omni glacie semper immunia, non semper navibus pervia sint; ventis, procellis, & vorticosis æstibus infamia. Fretum illud, quod Scotiam & Orcades insulas interjacet, Picticum dictum, ignaris, & sine perito nauclero non facile trajicitur. Quid igitur de Romana in Shetlandiam navigatione, ut ibi inveniatur Thule sperandum est? est quoque illa regio è multarum insularum congerie compacta, cum Thulen unius insulæ nomine agnoscamus, quam Romani non auditu, sed visu hauserant, illuc quandoque appulsi. Est inter Shetlandicas una, plane ex iis quæ maxime in Boream vergunt, exigua sane, scopulus verius quam insula, cui nomen Fule: nonnulli ex cognatione nominis hic Thulen quæsivere. Alii insulam quæ Faire-y-le, id est, pulchra insula, medio inter Orcades & Shetlandiam itinere, aperto & procelloso mari ad Thulen retulere; sed illa nullo modo Ptolomaicæ descriptioni quadrat, cum ille Thulen, non exigua, sicut pulchra illa est, sed insignem magnitudine nobis exhibeat, cuius medium & quatuor latera expassis numeris signat. alibi igitur quærenda est, & revera talis quam Romanæ classes adire ausæ sunt, hoc est, non procul à continente, & quæ magnitudine sua numeris ejus aliquo modo respondeat.

Si quis ergo Ptolomaicam tabulam accurate ad numeros ejus descriptam sibi ob oculos ponat, deinde mutet plagas cæli, & quæ ille ad dextram, ut Orientalia, imaginetur Borealia esse, sicuti revera sunt; quæ vero ille pro Borealibus in universa tabula descriptsit, pro Occiduis habeantur, invenietur non inconcinna totius regni nostri descriptio, quod ab hodierno terrarum situ non multum abhorrebit. ille vir tantus, male sane de Orcadum vero positu edoctus, eas in Occasum præter veritatem deflexit, & è tribus in opposita continente promontoriis, illud quod maximè Occasum respicit, Orcadis nomine insignivit, quod hodie Parro-head, vel Farro-head nominatur. Orcadibus inventis, de quibus nullum est dubium, Thule investiganda est. Hic præter unum Ptolomæum, nemo quicquam certi ultra nomen nobis retulit; at si illum ducem sequamur, obversa ut dixi tabula, & plagis mutatis, in occidentem [8] tendendum est, ubi prima & omnium quæ in illo mari sparguntur maxima insula occurrit, Leogus Buchanano dicta, aliis Levisse, communiter Lewis, cuius pars australis tenui isthmo reliquæ insulæ adnexa Haray nomen habet,

tota hæc quadraginta sex millaria nostra in longum patet, quæ in Italica resoluta quinquaginta septem dabunt. latitudo inæqualis, quibusdam locis quindecim mil. Ital. quibusdam angustior. illa longe ab Orcadibus in occasum dissita, non tamen longe abest Skia insula, quæ continenti fere adhæret, unde non difficilis & brevis trajectus: illa omnium in illo mari ultima, ut non sine ratione ultime Thules appellatio ei jure quadret.

[7<sup>2</sup>]

ROBERTI GORDONII  
AD  
VETERIS SCOTIÆ  
TABVLAM  
ADNOTATA.

Terras, flumina, maria, aut exiguum, aut nihil situ variare in comperto est: unde quanquam nomina mutentur, (quod novis colonis & migrationibus populorum debetur ut plurimum) illa tamen immutabilis rerum facies, ad investigandas veterum & novorum locorum differentias, quæque in iis convenient, aut quibus differant, quasi manu dicit. Comparatur igitur hodiernum regionis nostæ situm cum illo quem prioribus sæculis habuit, exactam hodiernæ tabulam Ptolomaicam item oculis subjecimus hanc, ea lege, ut obversa tabula, quæ ille deflexit ad ortum, nos tanquam in septentriones tendentia respiciamus. Certe, si hic nevus ei remittatur, regio nostra non incommode ab eo descripta invenietur, & ille solus plus cæteris omnibus præstítit; nisi eo duce omnis noster labor in vanum cecidisset. Adjunxi etiam quæ ex historicis nostris nancisci potui ad hanc rem necessaria. omnia haec satis imperfecta, cum maxima hujus regni pars extra Romanum orbem posita sit, & nostri historici plus satis harum rerum incuriosi. Regiones regionibus aptare non est arduæ operæ, at in oppidis, quæ sanæ pauca sunt, difficilior investigatio est, & si in nonnullis ab aliis dissentiam, venia opus est, cum ad veritatis normam collimem, quam si non in omnibus assequar, aut vera, aut vero similia sectabor.

Incipiendo à limite australi, & ad mare Vergivium spectante, Itunæ æstuarium nos ab Anglis dividit, secundum oram hodie Sulway fyrth, ubi regiunculæ Liddesdail, Ekdail, Eusdail, Wachopdail, & proxima his ad occasum Annandail, deinde Nithesdail, à fluminibus quibus irrigantur nomina sortitæ. Romanis temporibus Selgovæ ea loca tenuerunt. Nith fluvius antiquorum Novio satis respondet. Oppida vetera censebantur Ooxellum, Carbantorigum, Trimontium: hodie in eo tractu sunt Annand, Dumfreis, Loch Maban; nescio quam vetera, cum ea videre non mihi contigerit; an vetera defecerint & nova surrexerint, non est mihi conjectandi locus.

Magis ad occasum in ea ora fuere Novantæ, complexæ chersonesum insignem, cuius extimum promontorium, quod fretum Glottæ concludit, hodie *the mule of Galloway* incolis dicitur. Deva fluvius antiquorum in hoc littore fere nomen retinet, & Dee appellatur, prope est vetus oppidum Ptolomæo Lucopibium, ubi doctissimus Cambdenus apposite reponit λευοκίδιον hodie Wittherne, Latine Candida casa. & multa in Ptolomæi exemplaribus mendosa, multa luxata innuunt, Gerardi Mercatoris in eundem autorem eruditæ lucubrations. hæc vera esse Antonini itinerarium in multis evincit. unde nobis audacia quædam non sine ratione variandi. Iona æstuarium hodie Wigtoun Bay. ulterius paulo Rerigonius sinus, nunc The Bay of Glenluce, cui ex adversa chersonesi parte respondet Vidogara æstus, hodie Loch Rian. quæ vetera sinuum horum nomina eruditissimus Ge. Buchananus contendit mutari debere, ut veteri nomenclatura respondetur, cui non obluctor, nisi refragabit Rerigonii oppidi nomen, posita ad sinum sui nominis, ubi est, aut haud longe abest hodie Glenluce urbcula, cum cænobio olim celebri.

Prætervectis chersonesum aperit se Glotta æstuarium, parum à veteri nomine degenerans, vocatur enim *the fyrth of Clyd*; fretum autem vel sinum nostri fyrth vocant, sicut prisca lingua omnes sinus, præserim minores, lacuum nomine appellant, unde apud eos distinguuntur lacus, in dulces & salsos. Germanis hoc idem in usu hodie video, qui lacus maris nomine, cum adjectiva alicujus loci nota, designant, ut in Lemanno, Acronio, & multis aliis cernere licet. Ad initia sinus Glottæ extendunt se Novantæ populi, ubi hodie Carrick. At intimum recessum Damnii tenuere, ubi nunc præfecturæ Kylle, Cuning-hame, & Renfrew. imo tractus Glottæ fluminis videtur eorum agri pars fuisse, illis enim ascribitur Cozia, ubi hodie Ruglan, & Colania, ubi nunc Lanrik, (quorum uterque hodie in vicis abiit, Glascua officiente eorum luminibus. Vanduara veterum satis apposite respondet fitui urbis Ayre.

Historici nostri totam illam oram, quæ Gallovidiæ nomine nunc agnoscitur, Brigantes antea tenuisse referunt. Doctissimus Da. Buchananus videtur universam oram ab [8<sup>2</sup>] Ituna ad

**Chersonesum iis tribuere. illi autoritate, ille rationibus pugnat. neque libet meum interponere judicium.**

Damniis ad ortum proximi fuere Gadeni, aut, ut vere sentire videtur Cambdenus, Ladeni, quibus accensebatur universa Lothiana, vel ut hodie effertur Laudian, magis ad Ladenos proximante voce. in iis Alauna urbs procul dubio, si situs intueatur, Edinburgo respondet, quam autor noster Damniis attribuit, quos ad utriusque freti intimos secessus habitasse describit, Sterlinensem agrum & Leviniae partem illis attribuens. Lindum Sterlino antiquo oppido respondet, at de Edinburgo Bedam siluisse mirum est, cum de Guidi oppido lineam valli meminerit. Sed Bedæ ætate non erat illud tanti nominis, cum regia Berniorum alibi terrarum esset, ejus autem regni tum pars habebatur.

Sequuntur Ottadeni, de quibus nobis cum eruditissimo Cambdeno nonnihil controversiae. ille, ex ratione nominis, eos ad Tinam fluvium, qui Novocastri urbis mænia subit, trahit, nullum ejus nominis fluvium nos habere asserens, cum duos habeamus; unum in Lothiana cui Hadiva vetus oppidum adsidet, qui haud procul Dumbaro oceanum subit; illius situi secundum Ptolomæum Alaunus fluvius egregie quadrat. Alter ejusdem nominis in Fifa provincia est, ut dicendum erit. Nihil illi opus erat de Ottadinis tantopere sollicito fuisse, cum Mæatae, Ptolomæo indicti loca illa Vallo Severi proxima tenuerint, ut testantur Scriptores ejus ætatis graves. Non illa satis Ottadinos nobis eripuisse, Vedram fluvium auferre conatur, & Tinae accommodare suo, cum situs magis Tuedæ faveat. hoc deficiente nullum ille fluvium antiqui nominis invenit qui Tinam referat. Esto, leve hoc est, nam si ille apud veteres, quantumvis sagax, omnia evolverit, multi illi in Anglia sua insignes exsiccabuntur fluvii, neque nos extra Romanum orbem hujus cladis immunes erimus. Ptolomæus quorundam meminit, multos prætermittit, & chorographiæ, ut ipse testatur, remittit. unde non est antiquarii flumina suis alveis avertere. ille Æstuarium Humbri, Abus fluvii ut videtur comprehendit. quot igitur egregia flumina Cambdeno peribunt, si Ptolomæo stabitur.

Sequamur quæ in manibus nobis sunt. Sequitur Bodotria notissimum æstuarium, Ptolomæo Boderia, hodie Forth, cuius nominis fluvius principia ejus constituit. Fortham vel Bodotriam transgressis prima occurrit Fifa, Venniconum veterum sedes. Historici nostri testantur eam Rossiam quandam dictam à situ, quod inter duo freta posita peninsulam referat, quod Rossiæ nomen prisca lingua notabat. Nostris itidem Othlinia dicta. in hac alter Ptolomæi Tina fluvius, incolis adhuc Edin, manente prisca nominis memoria, haud procul Andreapoli (quæ antea Fanum Reguli) oceanum subiens, ad cuius ripam autor noster locat Orream urbem, quæ in Cupræ nomen videtur transiisse. Interius Victoria oppidem eidem memoratur, ubi nunc Falcolandia sedet. sed Damnios hucusque extendit, unde nulla oppido fraus; situm enim suum satis tuetur. Taoduni insignis ad Taum urbis nulla apud illum mentio, cum illo longe recentior sit. ejus sub Allecti nomine nostri an ales meminere.

Supra hos in mediterraneis locati fuere Vacomagi, Lelannonium sinum (qui hodie Loch-Fyne) attingentes. Lomundi autem lacus nulla apud veteres mentio, nam sinum maris solum Ptol. memorat, qui inter plures in æstuario Glottæ maximus est. Britannodunum, ad Levini amnis ostia, autori nostro indictum, non item Bedæ, sub nomine Al-chuth Damniis accensendum est. ficut tota Levinia provincia, historicis nostris Elgoniæ nomine cognita. Vacomagi autem tenuere mediterranea & montium juga, à sinu Lelannonio ad Taum, non jam æstuarium sed flumen, etiam secundum Ptolomaicos numeros. ultra hæc, partem Atholæ insederant; recenset ille Tamiam eorum urbem, jam inventu difficilem, nisi Pertham, tum fortasse tenuem ut tempora erant, quis suspicetur; quam ego, si illa tum extitit, potius Caledoniis inscriberem. At Vacomagi late per montes extensi, & per Grampii montis asperrima & editissima iis locis culmina, ad Deæ fontes sese extendisse videntur. Proximi illis Caledonii, supra cæteros celebres, quorum frequens apud poëtas mentio, unde sæpe toti genti nomen, videntur late coluisse ante Ptolomæi ætatem, quanquam ille eos arctis satis limitibus constringat. At Caledonia silva multum terrarum pervagata, ut historici nostri referunt, à Glotta fluvio ad Deam, magnos sub iis terrarum tractus fuisse testatur. fortasse Ptolomæi ætate mutatis rebus, aut, quod magis consentaneum, ille non habebat satis exploratum harum gentium regiones, qui mediterranea, silvestria & montana loca tenebant. oppidum eorum

Caledoniæ nomine ad Taum, hodie Dun-calden, nominis antiqui ejus nominatissimæ gentis vestigia servat, ut notat doctissimus Ge. Buchananus.

Ad alterum æstuarii Glottæ latus contra Novantas sedes tenuere Epidii, humili & angusta chersoneso à cæteris divisi, (hodie Cantyr regio illa audit.) meridionale ejus latus promontorio clauditur, quod incolæ olim Epidium prom. the mull of Cantyr hodie appellant; recentior hæc vox caput terræ significat. Autori nostro occidua hæc ora male explorata, neque chersonesus hæc apud eum sui similis. at fatis [9] erit cum illo populos lustare, quæ hodie ora universa raro habitata colono, aspera, scopulosa, crebis sinibus lacinata, quamplurimis insulis prætextata, quarum paucæ magnitudini responent, multæ autem verius scopuli quam insulæ. cum hodie hæc sit rerum facies, quid de Romanis temporibus sperandum est.

Cerones populi tenuere, quicquid Argatheliæ vel Argadiæ, ut volunt nonnulli, nomine censemur, etiamque plura. nam sub his populis censemur Covallia (Cowel) inter sinum longum hodie dictum & Lolannonium nobis jampridem memoratum; Cnapdalia, quæ proximos Epidios attingit; Lorna, & cætera adusque sinum quem Itys fluvii nomine describet autor noster, qui hos à Loch abria dividit. Nominat in hoc tractu ille longum flumen in oceanum occiduum erumpentem. sed nullus toto illo tractu quantivis pretii fluvius; unde justa suspicio est, sinum illum jam dictum, qui longi nomen habet, reponi debere, & nomen fluvii, ubi nullus est, delendum.

Legendo adhuc littus illud, primi occurunt Creones, quas sedes hodie tenent varii dinastæ, territoriolis & barbaris regiunculis distincti, omnes ad oram maris. earum hodierna nomina non possunt latiali ore efferri, referam tamen ut se habent. Ardgaur, Keangherr-loch, Morvern, Ard-na-Murthen, Suyneord, Muydeord, Arisaig, Murron, Knodelord, Glen-Elg, Kintail, & ipsa Lochabria, quæ vel spatio terrarum, vel earum ubertate prævalet illis omnibus. Itym flumen in hoc tractu collocat autor noster, qui revera sinus est, usque ad Inner-Lochiam, celebrem in Lochabria arcem, ubi primis regni nostri initii reges gratam sedem habuere. Illic Lochius fluvius, multis minoribus auctus, in illum sinum effunditur, qui hodie Loch-y-oll nomen<sup>11</sup> habet.

Proximi in ora sunt Carnonacæ, ubi terras irrumpt sinus Ptolomæo Volsas dictus, hodie lacus Briennæ nomine (Loch Broome) nomine notus, halecum piscatura nobilis. Tota hæc ora, usque ad prom. Orcadis nomine, mirum quanta sinuum frequentia lacinetur, quam ab initio mundi fuisse hic rerum faciem arguunt scopulosa ubique littora, quæ nunquam Oceano cessere. populi hi Carnonacæ Rossiæ partem constituant, cum illa ad utrunque mare pertingat. Nabeus fluvius, in regiuncula Assynt hodie dicta mare petit, Tralligir nomine. Terra hæc, sicut & contermina Ei-edir-da-cheulis (quod si interpretere, sonat terram inter duo freta,) sterilis, aspera, inculta, neque quicquam hic insigne præter promontorium illud in ultimos Septentriones tendens, Orcadis vel Tarvedri nomine, quod hodie Parro, vel Farro-head appellatur.

Ab hoc promontorio, cui Tarvedro vel Orcadi antiquum nomen, littora in ortum reflectuntur, usque ad alterum in ea ora cui Veruvii apud autorem nostrum nomen est, hodie Dunsbey head, cui objacent Orcades, freto navigantibus periculo paucorum millium interjecto, inter hæc duo, paulum prominet tertium,<sup>12</sup> Ptolomæo Virvedrum, hodie incolis Row-Rachy aut Strathy-head. Interiora tenuere Carini, Cornabii, Mertæ, ubi Ileas fluvius, incolis Helms-dail. Regiones hæ Strathnaverniam & Cathenesiam comprehendunt, ubi antiqua arx Gernigo, (cujus nomen non ita pridem in Castel Sinclair mutatum) vestigia Cornabiorum retinuisse videtur. Sequitur Ripa alta oppidi nomine, cuius hodie nulla superest memoria, imo nullum tale ibi locorum fuisse justa est suspicio, sicut neque Loxæ fluvii in his oris, qui in Moravia ad Elginam urbem hodie nomen antiquum nulla mutata littera retinet: unde videntur hæc non suis aptata locis. Quod vero Boëthius Ripam altam ad Cromartie transfert, næ ille verum locorum situm indagarit, cum hæc longe ad austrum his locis abest, celeberrimo sinui sui nominis adposita. Logi populi, qui proximi

<sup>11</sup> abbreviation ‘nome’ expanded

<sup>12</sup> abbreviation ‘tertium’ expanded

fuere, Sutherlandiae respondere videntur, ab Ilea fluvio secundum littus hodie porrecti, ad sinum Ptolomæo indictum, qui hodie Nomine Tayn vel Dornoch agnoscitur, ab oppidis ad utrumque littus positis.

Proximi Cantæ ea tenuere quæ Rossiæ partem Orientalem constituunt, adusque Vararis æstum. Varar, vel ut hodie effertur Farrar, in intimo sinu mare subit, unde videtur antiquum nomen sinui fuisse, quæ vox nunc latius diffusa hodie ingenti sinui qui à Veruvio ad Tæzalum promontorium (de quo proxime dicendum) se diffundit sub nomine Murray-fyrth, nomen dedit.

Sequuntur Tæzali, à dicti Vararis initio ad Deam fluvium colentes; magnus terrarum tractus, multis populis habitatus. illic hodie Moravia, Ainia, Boëna, Buchania, Marria, Gariocha, Strath-Bogia, & plures regiunculæ, præter eos qui mediterraneæ & montana tenent. At à Varari sequendo littus, prima est Innernessa urbs, Ptol. indicta: vetus urbs ad ostia Nessi fluvii, qui è lacu sui nominis ad quatuor supra urbem mil. pas. effusus, sinum ingreditur. ad lacum Vrchart arx est, antiquorum regum opus. proprius orienti in littore Narnia urbecula est, procul omni dubio Ptolemæi Alata castra hic fuere, olim majoris famæ, flumine Narniæ itidem nomine alluente, ubere solo quondam, quod adgestis arenis mare ut plurimum nunc inutilem reddidit. manent vestigia celeberrimæ olim arcis, sed nunc fluctibus obruta. Sequitur in littore Tuesis urbs & Tuesis æstuarium, urbecula sane Forres situi respondet, culta antiquis nostris Regibus, ubi parietinæ magnificæ arcis supersunt, amæno & fertili [10] solo posita, ut nullum illic æstuarium, nullus littoris flexus aut receffus, qui aliquando sinum fuisse testetur. Findornus fluvius ad duo milliaria unde oceanum subit, reflexo in occidentem ostio, unde nautis subeundo difficilis. Vnde conjicere licet, vel æstuarium hoc ex exemplari delendum, cum nullum tale fuerit: vel nomen hoc ad Cromartie in diversa ora, quæ paucis milliariis in adversa ora hinc abest, ablegandum. illic sinus egregius, capacissimus, tutissimus, vestigantibus facilis, huc tanquam ad anchoram sacram adversis rebus in tota illa ora fuga nautarum est, qui scopulo seruat priorum sæculorum faciem. alter & proximus ei in illo littore sinus, quem dixi Sutherlandiam à Rossia dividere, id est Logos à Cantis, importuosus & navibus infidus est. Spæa deinde fluvius, totius regni à Tao secundus magnitudine, Ptolomæo ignotus, sequitur; ille navium impatiens nullum portum habet. At ejus Celnius fluvius in eodem littore magis ad ortum Dovernæ pulchre respondet, qui Banfiam urbeculam auctori nostro ignotam alluit.

Ab hoc flumine, ubi littus paucis milliaribus in ortum processerit, incipit in meridiem reflecti, ubi cernitur Tæzalum promontorium, hodie nomine Buchannes notissimum. hoc loco regio quam maxime in ortum procurrit, inde abest Diva fluvius ad viginti quatuor milliaria, interjectis duobus fluminibus Vgio & Ythanna, Romano sæculo innominatis. at Diva, paulum inflexo vocabulo, Dee hodie nominatur, qui ad duum milliarium in ostio interstitium Donam fluvium comitem habet, veteribus indictum. Devanam urbem longe supra in mediterraneis locat Ptolomæus, ubi nullius unquam urbis, nec vola nec vestigium: hanc ego, conjectura nominis ductus, ad Deæ ostia collocavi, ubi hodie Aberdonia, clara urbs. Ad utrumque fluvium positæ urbes sunt veteres & novæ, nominibus distinctæ. Testatur Ge: Buchananus se in veterum scriptis invenisse hanc ad Deam Aberdeæ nomine appellatam. Hanc ad Deam Gregorius res auxit, palatio ibi structo, & monetaria officina instituta. acta hæc sunt circa annum DCCC. Vidi ego monetam illic cusam, sed posterioribus sæculis; longe vetustiorem urbem fuisse arguit loci celebritas, præsertim uberrimo è duobus vicinis fluminibus salmonum piscatu, qui ab omni ævo nunquam defecit, cuique in hoc genere tot regno nihil par.

Post Deam Sequuntur Mernia & Angusia, hodienis nominibus dictæ provinciae, ubi Pictorum regnum ad Boream initium capiebat. hic autem Grampii montes in mare desinunt. Ptolomæus horum locorum ut Tæzalum partis meminit. At Tacitus Horestas nobis commemorat, cum Agricolam post victum Galgatum in Horestas cum exercitu deflexisse referat, quod fecisse videtur ut milites maritimis copiis reficeret, nam classis qui eum comitabatur videtur Taum subiisse: in hac ora ad Escam fluvium est Montis Rosarum oppidum, hodie Monros, scriptoribus nostris Celurcæ nomine agnita.

[11]

BREVISSIMA  
REGNI SCOTIÆ  
DESCRIPTIO,

Ex lib. i Hist. GEORGII BUCHANANI Scoti desumta.

Insularum, quæ veteribus Britanniæ vocantur, quæque inter Hispanias & Germaniam magno terrarum spacio Galliæ prætenduntur, reliquas magnitudine duæ longe præcellunt Albium, & Hibernia. De his primum dicam: deinde, ut commodum erit, cæterarum situm & nomina explicabo.

Prima magnitudine est Albium, quæ nunc sola nomen Britanniæ retinet, quod antea omnibus erat commune. De ejus longitudine ac latitudine cæteri fere scriptores cum Cæsare consentiunt: effe videlicet longam à Septentrionibus in Meridiem octingenta millia porrectam, quia vero latissima est (ut quidam sentiunt) qua Galliam spectat, aut (ut aliis visum est) à Meneviæ angulo ad lati<sup>13</sup> fluminis ostium, fere ducenta millia patere: inde paulatim in angustum cogitur, donec ad Scotiæ limitem sit perventum. Romani, quibus ulteriora nondum satis erant nota, totam insulam triquetram crediderunt; Verum paulatim ulterius progressi cognoverunt ultra vallum Adriani eam se latius sensim diffundere & ad Orientem æstivum procurrere. Hæc in summa de ejus magnitudine dicta sint. Cœlum Gallico temperatus ut ait Cæsar, verum utroque mitius est Hibernicum. Aër raro serenus, sed caligine densa plerumque obscurus, ac hieme satis miti magis pluvius quam nivosus. Terra benigne fruges gignit, ac præter fruges etiam omnis generis metalla. Pecore tota fœcundissima. Qui partes insulæ extremas, ac magis frigore infestas habitant, avenaceo pane utuntur, vinum è frugibus corruptis conficiunt: plerique serum lactis excoquunt, ac in dolis complures menses defodiunt, isque multis potus non solum salubriter, sed etiam jucunde bibitur. De nomine Britanniæ nulla inter veteres controversia fuit, nisi quod Græci Bretanian, Latini Britanniam eam nominabant. Cæteræ gentes aut hos, aut illos pro suo quisque arbitrio imitabantur. Nuper emerserunt homines non tam veritatis cupidi quam contentionis, qui ex hominum clarissimorum fugillatione clarescere se posse sperarent. Neque enim fieri posse existimarunt, ut non in magna eruditionis opinione vulgo effent, qui cum tota antiquitate certamen sibi proposuissent; & quanquam de re non admodum magna lis effet, tamen quia de nomine ipso patriæ ageretur, tanquam pro aris & focis omniq[ue] totius gentis vetere gloria sibi contendendum putarent. Tria vetusta insulæ, ut ipsi volunt, nomina diversos habent assertores, Prudania, Prytaneia, & Brittannia. Pro Prudania totis ingenii viribus Luddus: pro Prytaneia Thomas Æliotus eques Britannus, sed modestis studiis contendit: Britanniam cæteræ fere gentes retinere conantur. Pro Prudania utitur Luddus fragmenti cuiusdam veteris ea auctoritate, quam situs, & caries, & temporis longinquitas pene sacrosanctam facit. Eam, tametsi per se firmam, tamen & etymologia, & Bardorum carminibus, & patrii sermonis consuetudine, & vetustatis venerandæ quadam rubigine confirmat. Fragmentum quidem illud, in quo cauffæ columen & firmamentum est positum, ante omnia interrogo unde? quando? aut quo patre natum prodiit? aut quid tandem ait, quod pro caussa faciat? De loco, de tempore, de auctore forsitan inquies. Hæc omnia, quod incerta sunt vetustatem ejus probant. Praeclara sane probatio. Ex ignorantia, ignobilitate & obscuritate, certitudo, fides & auctoritas testimoniorum pendet: & quod ad rem controversam explicandam assumitur, plus habet obscuritatis, plus infirmitatis, quam caussa, ad quam probandum affertur. Quis testimonium hîc dicit? nescio. Quid pro testimonio dicit? ne id quidem scio. Illud autem audivi, in illo fragmento Prudaniam nominari. Quid ista Prudania? monsne, an fluvius? vicus, an oppidum? vir, an mulier est? nescio?<sup>14</sup> sed Britanniam hoc nomine significari puto. Age vero, Prudania Britanniam significet. Quid tandem pro te facit hic tuum fragmentum? Illud feire velim,

<sup>13</sup> i.e. Iari

<sup>14</sup> i.e. :

verumne nomen insulæ Prudaniam esse affirmet, an eorum inscitiam coarguat, qui falsum hoc nomen insulæ tribuunt? Ne hoc quidam scio, sed sonum Britannicum hic quidem [12] agnosco, visque sermonis Britannici in ipsa vocis etymologia se ostendit. Est enim Prudania, quasi Prudcania, hoc est excellens pulcritudo, à Pryd, quod est forma, & Cam, quod est candidum, emollita paulum asperitate vocis. At ista ratione non Prudaniam, sed Prudamiam factam oportuit: quam vocem in patro sermone Prudam Bardi pronunciant. Omitto hic quam sit levis, fallax, & plerumque ridicula tota hæc originis vocum quærendi ratio. Omitto M. Varronem, aliosque excellenti doctrina viros, qui in hoc genere sæpenumero ridentur. Totum Platonis Cratylum taceo. Hoc tantum affirmo, facilius æquis auribus me probaturum Cambros è canibus & brutis esse factos, quam tu Prudaniam è Prudcamia coaluisse persuadebis. Isto enim modo quidlibet è quolibet licebit effingere. Sed quam parum sit in his omnibus firmamenti indicat Luddus, qui istis præsidiis parum confisus accersit in auxilium Bardos, sane pervetustum genus hominum, sed quos veteres nihil scripsisse asseverent. Sed de eis alias nobis plura erit dicendum. Ad ultimum Luddi perfugium veniamus. CÆSAR (ait) qui primus Romanorum hujus insulæ nomen Latinis literis commendavit, eam Britanniam appellavit, quem omnes fere Latini scriptores secuti, idem nomen haud mutavere. Hic ab illustri mendacio Luddo visum est ordiri, quod videlicet Cæsar primus Latinorum Britanniam nominavit. Nam ante Cæsarem natum Britanniæ Lucretius meminit, Aristoteles longe prius apud Græcos, & non multo post Cæsarem Propertius, cum ait

*Cogor & in tabula pictos ediscere mundos.*

Indicat sua ætate mundi descriptionem parietibus affigi solitam. Te ipsam<sup>15</sup> rogo, credisne Cæsarem illum in omni liberali disciplina eruditum decriptionem orbis nunquam vidisse? aut visam non legisse? aut cum reliquus orbis describeretur, Britanniam insulam unam totius orbis maximam jam tum Latinis & Grajis monumentis tam illustrem in tabulis illis omissam fuisse? credisne illum, qui de rebus Britannicis tam diligenter sibi inquirendum putavit, qui homines eam regionem & tum, & jam olim habitarent, quæ stirpium, quæ animantium genera in ea nascerentur, quibus legibus & moribus viveretur: eum, inquam, credis cum de his tam fuisset sollicitus, in universæ regionis nomine tam fuisse negligentem? aut qui tanta fide & diligentia sua Gallorum urbibus nomina reddidit, Britannos antiqua sua gloria fuisse fraudaturum? Vetus autem (quoniam in hac maxime parte se Luddus jactat) cur nomen Prudaniæ existimet, nihil video, nisi forte è putris chartæ situ etiam verba senectutem contraxerint. Hæc satis ad Luddum in præsentia, qui testibus domo productis, suisque insomniis adversus omnium, qui usquam sunt, aut fuerunt doctorum hominum consensum certandum sibi putavit. Cum Ælioto minus erit negotii. Is non modo conjecturis verisimilibus, sed non obscuris etiam auctoribus inductus, credit aliquando eam regionem Prytaneiam fuisse appellatam. Non enim incommodo existimat insulam omnium rerum, quæ ad vitam instruendam vel ornandam sunt necessariæ, copia redundantem sic dici posse. Hic si caussas nominum expendere oporteat, Sicilia Prytaneia potius dici debebat, nonnullæque aliæ tanto Britannia fertiliores, quanto terrarum spacio sunt minores. Præterea apud auctores, quorum testimonio nomen Prytaneia confirmatur, facile apparent scripturam esse vitiatam. In Stephano quidem summa inconstantia est. In voce *Albion*, inquit, eam esse insulam Brettanicam, secutus, ut ipse ait, Martianum. In vocibus *Iuvernia*, & *Iuverna* Prætanica scribitur. Alibi inquit, esse in Oceano insulas Brettanicas, quarum cultores Brettani dicantur. Sed Martianum & Ptolomæum in iis vocibus P literam primam facere. Quos locos si quis conferat, comperiet procul dubio scripturam esse corruptam, Stephanumque ipsum sentire Brettaniam per B primam, & duo TT, scribi debere. Hæc Æliotus, cum opinor, non ignoraret, quæ homines gloriæ famelici ad ostentationem eruditiois undique convertunt<sup>16</sup> admonuisse quantum satis est contentus, suum lectori judicium relinquit.

---

<sup>15</sup> i.e. ipsum

<sup>16</sup> i.e. converrunt

Luddus vero, ut hic ingenium<sup>17</sup> noscas, è tribus nominibus insulæ maximæ id maxime probavit, quod paucissimos habuit assertores, nempe Prudaniam. Proxime Prytaneiam amplectitur. Britanniam vero, quod nomen jam per omnes nationes erat illustre, quod (ut ait Plinius) Græcis & Latinis monumentis erat celebratum, velut corruptum rejicit, & sero tandem, idque à C.Iulio Cæsare ait corruptum, quem falso existimat (uti dictum est) nomen Brittanniæ Latinis literis commendasse primum, cæterosque secum in eundem errorem traxisse. Ego vero antiquitatem vocis hujus *Britannia* multis, & quidem locupletissimis testibus probare possem, si res in controverso esset: & à Cæsare non vitiata, sed per manus à majoribus, & quidem puram fuisse traditam, nisi quod veteres geminum TT scribere foliti videntur. Hinc factum opinor, ut Lucretius istius nominis primam syllabam fecerit longam. Nunc autem alterum T solet omitti Latinis, quod in voce Britto perpetuo retinetur. Græci, qui Brettaniā scribunt, proxime ad patrii sermonis prolationem accedunt, quam & ipsi Britanni, & omnes vicini adhuc retinent. Nam & Galli propiores Brettas appellant omnes fæminas Britannicas, & Bretter Britannice loqui, & [13] promontorium Aquitaniæ vulgo Capbretton dicitur; & utrique Scotti, hoc est Albienses, & Hibernenses sic loquuntur. Id tantum interest, quod qui Germanica dialecto gaudent, interdum transpositione literarum utuntur, ac Berton pro Breton proferunt. Dionysius autem Afer in illo versu:

\_Ω κεανού<sup>18</sup> κέχυται ψυχρ\_ς \_όος \_νθα Βρετανοί.

---

<sup>17</sup> Abbreviation ‘ingeniu’ expanded

<sup>18</sup> i.e. \_Ωκεανο\_

In altero T rejiciendo usus est licentia poetica, quemadmodum idem in Σαμάται pro Σαρμάται, fecit. Hic tot nationum pene ab initiis usque rerum consensus, & inter se, & cum vetustissimis Græcorum & Latinorum, pluris apud me erit, quam omnia Luddi rhaconata è luto ad ludibrium collecta, ad ignominiam servata, & ad falsum testimonium<sup>19</sup> adversus antiquitatem dicendum quamlibet impudentem habeant patronum, tamen nondum egredi ausa. Proferat ille, si potest, qui ante Aristotelem scripserit Prudaniam. Id autem, ut in omnia se vertat, nunquam efficiet: cum certum sit, post Aristotelem aliquot seculis, Bardos nihil scripto commisisse. Facessat illa gloria, dicam, an stolida jactatio antiquitatis, cuius nullum argumentum, nullum vestigium, imo ne vestigii fragmentum reperiri potest. Inter has variarum opinionum discordias, diversasque loquendi consuetudines, Luddus putat consultissimum, vetustatem, & patrium loquendi morem velut Cynosuram quandam semper spectare, atque inde omnis sermonis cursum dirigere. Ab eo ego non magnopere diffentirem: siquidem quod in veteri consuetudine positum est, & ideo certum existimatur, id semper teneri posset. Sed pluribus de caussis id fieri non posse animadverto. Primum, quod in omni sermone vetustissima inveniri sit difficillimum, tutiusque sit hic sequi doctiorum consuetudinem, quam retro semper origines, velut Nili fontes, vano & ridiculo labore perquirere: præsertim cum vocabulorum initia non à sapientiorum judicio pendeant, sed à vulgi maxime rudis & inculti arbitrio, cuius consilium anxie inquirere, supervacaneæ cujusdam est diligentiae, & ubi inveneris, non magnum feceris operæ precium. Nam ut in reliquarum omnium rerum generatione, quæ sponte naturæ proveniunt, aut ab hominibus ad usus vitæ excogitantur, primi fœtus quodam modo imperfectiores, & non solum ad usus commodi, sed aspectu minus jucundi exeunt. cultu deinde mansuescunt, & tractando paulatim levigantur. Eadem certe est in sermone ratio, qui primun ab hominibus crassis & rudibus editus, asper plerunque, & insuavis, & impolitus est exortus, mox tractando sensim genitalem horrorem exuit, & mansuetus & jucundius ad aures accidebat, & multo facilius in animos hominum influebat. Itaque in hac parte, ut si qua alia, consuetudini politiorum hominum aliiquid indulgendum censeo, & voluptatem minime illam illiberalem, & inhumanam, quatenus moribus est innoxia, minime abominandam. Quod si quis ita Musis iratus est natus, ut Catonis & Ennii sermonem potius amet quam Ciceronis & Terentii, & inventis frugibus, glandibus tamen vesci malit, jubeamus miserum esse libenter, quatenus id facit. Sed hæc nostra disputatio non est de puritate & elegantiâ sermonis Latini. Ad hanc enim nihil interest, quo sono Britanni olim literas efferrent. Hæc enim tota contentio eo tendit, ut Latini Britannicum, non Britanni Latinum sonum discant. Quod ad me attinet, malim ignorare veterem illam & anilem priscorum Britannorum balbutiem, quam dediscere quodcunque hoc est sermonis Latini, quod magno cum labore puer didici. Neque aliud est, cur minus moleste feram priscam Scotorum linguam paulatim intermori, quam quod libenter sentiam barbaros illos sonos paulatim evanescere, & in illorum locum Latinarum vocum amoenitatem succedere. Quod si in hac transmigratione in alienam linguam necesse est alteros alteris concedere, nos à rusticitate & barbaria ad cultum & humanitatem transeamus: & quod nascendi infelicitate nobis evenit, voluntate & judicio exuamus. Aut si quid opera & industria poffimus, id omne eo conferamus, ut linguam Græcam & Latinam, quas orbis pars melior tanquam publicas recepit, pro viribus expoliamus, & si quis ex contagio barbari sermonis adhæsit situs, & squalor, quoad fieri possit, extergeamus. Quid? quod hæc nimis anxia diligentia in nominibus peregrinis, præsertim in alienam linguam transferendis, nec servari potest, nec si posset, expedit. Quæ enim non literas & sonos habet, quæ alterius sermonis characteribus omnino exprimi non possunt? Quæ natio præter Germanos *W*literam proferre potest? Quis Latinis literis cum<sup>20</sup> sonum reddet, quem Hispani, Brittones, & Scotorum pars in literis D. G. P. T. X. & Z. efferunt? Ob hanc opinor soni absurditatem Plinius enumerans Hispaniæ oppida, quædam negat Latiali sermone dictu facilitia.

<sup>19</sup> Abbreviation ‘testimoniu’ expanded

<sup>20</sup> i.e. eum

Alia vocat ignobilia, & barbaræ appellationis: alia citra fastidium nominari posse negat. Quid hic rogo faceret Luddus, si ei Latine sit scribenda historia Britannica? ipsa genuina Brittonum nomina quomodo enunciaret, cum tota sua barbarica rubigine opinor non haberet. Nam cum tam anxie se torquet, quomodo Luddum scribat, Lhuydumne, an Ludum,<sup>21</sup> an vero Luddum, quorum nullum nec Latinis literis exprimi, nec ore Latiali efferri, nec ab auribus Latinis sine fastidio audiri potest. Si verum sonum retineat, non Latinam, sed semibarbaram faciet orationem. Sin ad genuinum Latini sermonis [14] sonum inflectet voces peregrinas, non minus flagitiose peccabit, quam Cæsar in verbo Britannus fecisse dicitur. Quid igitur Luddo faciemus, ut hominem & molestum & morosum placemus? Prudamiam dicemus, potius quam Britanniam? Hoc nec Luddus tam severus aliorum censor exiget; Permittet enim ut è Prudam Prudaniam declinemus. Quod si quis Britanniam aut Brettaniā ausit dicere, quid aliud quam sacrosanctæ vetustatis violatæ, & sermonis antiqui, sincerique contaminati, & è robusto illo & masculo sono in muliebrem mollitiem fracti reum pereget? Nihilne ergo ex horroris vestusti squalore mutare nobis fas erit: aut si non mutare, saltem male tornata perpolire vocabula? & ab inulta illa immanitate paulatim ita inflectere, ut saltem vox hominem sonet? & quod majores nostri in Morinis, & Morematusa,<sup>22</sup> & Armoricis fecisse videmus, ut si has voces donare civitate Latina non possimus, certe in eis amictum & incessum Latinum imitemur? Sed per Luddum, ut video, non licet. Ad augustum illam nos revocat Prudanorum vetustatem, & à Bardis & Senecionibus vetat usquam divertere. At vetustissimos Græcorum & Latinorum nunquam hæc religio tenuit: Neque postquam sermonis antiqui rigor se remittere cœpit, quisquam fuit, qui famul, & volup retinere maluerit, quam quæ in eorum locum successerunt, recipere, & in transferendis è Græco-Latinis, aut è Latino-Græcis summa libertas fuit. Quis unquam Latinis vitio vertit, quod Polydeucem in Pollucem, quod Heraclea in Herculem, quod Asclepion in Æsculapium verterint? aut Græcis, quod pro Catulo Catlum, pro Remo Romum dixerint? Quid in Barbaris ad se transferendis? num Græci dubitarunt, *Al*, Punicum in ultimas dictionum syllabis in *As* converttere? num si quis Annibas, pro Annibal, dixit, omnem historiæ majestatem proculcavit, veritatem corrupit, aut Pœnorum linguæ maculam ullam inussit? Videte quantum veterum Saxonum, & Danorum, qui posterius immigrarunt in Britanniam, humanitatis, & cultus studium, ab hac Luddi immanitate, & squaloris affectatione dissident. Illi inculti, & omnis eruditionis ignari, cum venissent ad homines Barbaros, & balbutientes, non solum eorum stribilagine se passi non sunt infici, sed gustata semel Græci & Latini sermonis suavitate multum ex eo, quem ipsi invexerant horrore, abstarserunt: quædam vocabula asperiora levigarunt ita, ut sine ulla aurium offensione tolerari possint, qualia sunt Oxonia, & Rossa, pro Oxonfordia, & Rauschestria, & pleraque alia, ne repugnante quidem Luddo. Sed nec ipse quidem in hoc genere parum sibi permittit, qui in uno Britanniae nomine, cum tam duræ severitatis est exactor, in tot aliis sibi tantum assumit licentiam. Nunc, contra veterem omnium gentium consuetudinem, pro novo, obscurō, & incerto vocabulo tam pertinaciter nititur: nimirum ne regium illud nomen Luddi è Cimbrorum prosapia ductum, & velut palladium in hunc usque diem servatum, in oblivionem veniret. Id ne fieret, Luddus adversus multitudinis consensum, temporis vetustatem, atque adeo ipsam veritatem sibi certamen instituit. Est & in vocabulo *Britannia* illa adhuc observatio, quod apud exteris scriptores id insulæ totius est nomen. Britones autem & Angli, qui res Britannicas literis mandarunt, nunc cum exteris consentiunt: nunc tantum Britanniae nomine censem eam insulæ partem, quæ provincia Romana fuit: idque varie, prout belli eventus limites mutavit, interim enim Adriani interim Severi vallum finem imperio faciebant: reliquos, qui extra vallum erant, nunc Barbaros, nunc transmarinos appellabant. Beda libri primi initio sic scribit. *Itaque petentes Britanniam Picti habitare per septentrionales insula partes cœperunt. Nam austrina Brittones occupaverant.* Idem cap. 34. *Aidanus rex Scotorum, qui Britanniam habitant.*

<sup>21</sup> i.e. Lludum

<sup>22</sup> i.e. Moremarusa

Et lib.4.cap.4. dum redditum Colmani ex Anglia in Scotiam scribit, ait: *Interea Colmanus, qui de Scotia erat, relinquens Britanniam.* Et alibi: *Exinde cœperunt per plures dies de Scotorum regione venire in Britanniam.* Item: *Occisus est Oswaldus juxta murum, quo Romani ob arcenos Barbarorum impetus totam à mari usque ad mare præcinxerant Britanniam.* Eadem loquendi forma est apud eundem lib. 2. cap 9. Hanc peculiarem Britannis loquendi formam non videtur ignorasse Claudianus, cum scribit legionem Romanam, *que Scoto dat frena truci prætentam fuisse Britannis,* hoc est oppositam Scotis, ut eorum furorem à Britannis propelleret, in extrema quidem Britannia ac Scotia limite. Frequentissime hoc genere sermonis utuntur Gulielmus Malmesburiensis, & Galfridus Monumetensis, non obscuri inter Britanicarum rerum scriptores, apud quos facile cuvis erit animadvertere Britanniæ vocabulo nominari, quod intra Severi vallum tantum continetur. Id apud eos etsi adeo perspicuum est, ut neminem latere possit. tamen magnus<sup>23</sup> apud ætatis proximæ scriptores peperit errores, qui Alvredum & Athelstanum, aliasque nonnullos Saxonum reges totius insulæ aliquando potitos scriptum reliquerant, cum tamen Severi vallum nunquam transcederint. Nam cum legerent eos totius Britanniæ tenuisse imperium, totam insulam ab eis possessam existimabent. Nec diffimilis interim observatio est in horum nominum usu (Britannus) & (Britto). Veteres enim omnes totam insulam Græci & Latini scriptores Britanniam, incolas autem ejus omnes sine discrimine [15] Brittanos vocabant. Primus quod sciam, Romanorum Brittones nominavit Martialis in illo versu:

*Quam veteres bracchæ Brittonis pauperis.*

Brittones fere vulgus appellat peninsulæ Gallicæ habitatores: quanquam & ipsam, Britanniam, & incolas, Brittanos Gregorius Turonensis semper vocet. Romani suos provinciales constanter Brittanos dicunt, quanquam ipsi provinciales sese Britones appellari gaudeant. Vtriusque vero nominis una radix & origo est, Britannia. Et sicut utrumque nomen ab uno fonte promanat, ita res eadem prorsus utroque indicatur. Id autem maxime perspicue ostendit Ausonii poëtæ carmen:

*Silvius ille bonus, qui carmina nostra lacessit:*

*Nostra magis meruit disticha Britto bonus.*

*Silvius hic bonus est. Quis Silvius? Iste Britannus,*

*Aut Britto hic non est Silvius, aut malus est.*

*Silvius esse bonus Britto, ferturque Britannus.*

*Quis credat civem degenerasse bonum?*

*Nemo bonus Britto est: si simplex Silvius esse*

*Incipiat, simplex desinet esse bonus.*

*Silvius hic bonus est: sed Britto est Silvius idem,*

*Simplicior res est dicere Britto malus.*

*Silvi Britto bonus quamvis homo non bonus esse*

*Ferris, nec se quit jungere Britto & homo.*

---

<sup>23</sup> i.e. magnos

Qui Brittanos Gallorum colonos esse contendunt, hi Herculem è Celto puella Gallica  
 Britannum filium genuiffe, produnt, à quo gentem Britannam propagatam. Hanc nationem Plinius  
 vicinam Morinis, Atrebatis, Gessoriacis collocat. Qui è Græcis hæc confirmant non desunt  
 Grammatici, Souidas, & qui Etymologicon magnum scripsit. In eadem sententia mihi fuisse  
 videntur C. Iulius Cæsar, & C.<sup>24</sup> Cornelius Tacitus, aliqui scriptores Latini non indocti, non ita  
 celebres tamen. Item sacra, sermo, insituta, gentiumque quarundam ad mare Gallicum habitantium  
 mores, id confirmant, è quibus mihi Britanni transmigrationibus exhausti, Morini paulatim  
 consumpti videntur. Morinus quidem à More (id vetere Gallorum lingua mare significat) suam  
 mihi originem testari videtur. Venta Belgarum, & ab Icio dictum Icenum etiam in alienum solum se  
 cum cognominis loco patriam vocem extulisse fit verisimile: atque in ipso statim aditu occurrentes  
 Britannos, velut progeniem agnoscentes, domum suam tanquam in hospitium deducere velle.  
 Morinus enim Gallis veteribus marinum, & Moremarusa mare mortuum significat: quanquam hæc  
 postrema duo nomina Gorropius, dum suos Advaticos nimis ambitiose vult excolere, pene nobis  
 surripuit. Nec Aremorici aut Armorici se nostri generis negare possunt. Habemus enim majores &  
 propinquos penes nos obsides. Nam Ar vel Are vetus est præpositio linguæ Gallicæ, quod ad vel  
 super indicat, quasi dicas ad mare, vel super mare, hoc est maritimum. Moremarusa vero à More,  
 hoc est mare, declinat ultima syllaba producta in morem participii Græci. Aremorica quidem, seu  
 Armorica (qui statim auditum non agnoverit, is veterem linguam Gallicam prorsus ignorat) &  
 ipsum quoque (maritimum) significat, vel Strabone interprete, qui Græce pro eo semper nobis  
 reddit Apoceanitas. Cæsar de Armoricis hæc lib. 5. Magnas Gallorum copias earum civitatum, quæ  
 Armoricæ appellantur, oppugnandi sui causa convenisse. & lib.7. Vniversis civitatibus, quæ  
 Oceanum attingunt, quæque eorum consuetudine Armoricæ appellantur. & lib.8. Cæteræque  
 civitates positæ in ultimis Galliæ finibus, Oceanoque conjunctæ, quæ Armoricæ appellantur. Cæsar  
 quoties harum civitatum meminit, semper adjicere solet, QUÆ APPELLANTUR: sed ita adjicere, ut  
 non nomen proprium esse intelligas, sed aut epitheton, aut loci cognomen. Sed nec apud quenquam  
 alium idoneum scriptorem id civitatis noman fuisse reperitur, cum tamen latissime in illa ora vox  
 illa vagaretur, ab Hispania videlicet ad Rhenum: interque tot scriptores unum Plinium reperiam,  
 qui genuinam nominis vim non videatur intellexisse. Omnem mamque Aquitaniam ita putat  
 aliquando fuisse appellatam. Sed hæc in præsentia: nam plura nobis de sermone Gallico  
 disputandum erit.

---

<sup>24</sup> i.e. P.

Antiquissimum insulæ nomen creditur fuisse Albion, aut ut Aristoteles, vel potius Theophrastus, in libro qui De mundo inscribitur, recenset, Albium. Sed hoc nomen magis è libris eruitur, quam in communi sermone usurpatum, nisi præsertim apud Scotos, qui se Albinich, suam regionem Albin adhuc vocant. Multi nomen inditum inde putant, quod appellantibus è Gallia albæ rupes primæ occurrant. Mihi vero absurdum in primis videtur, Britannici nominis originem è Latino sermone repetere, tam raro tum inter feras gentes commercio. Sunt qui ab Albione Neptuni filio id nomen inditum putent, quem aliquando Britanniæ fuisse regem comminiscuntur: audaci prorsus mendacio, & nullo penitus antiquitatis testimonio nixi. Super hoc tamen tam invalido cognati nominis fundamento, regnum extruere eos non puduit. Nullam enim aliam hujus commenti ex historiis occasionem datam video. Meminerunt enim Albionis & Bergionis è Græcis quidem Diodorus Siculus, & Strabo: è Latinis Cato, Hyginus, & Mela è quibus id fere colligi potest, Albionem & Bergiona Neptuni filios Ligures ex agro Albicorum itinera, quæ in Italiam ferrent, latrociniis infesta habuisse. Hi cum Herculem ex Hispania Gerione victo redeuntem præda exuere tentassent, tam atroci prælio [16] eum exceperunt, ut pene desperatis rebus Iovis auxilium implorare sit coactus: eum, ut filio laboranti opem ferret, imbreū lapideum cœlo demisisse. Ejus pugnæ indicium ad posteros mansisse campum lapideum. Neque ego tamen abnuerim ab albo & insulum & latronem nomen accepisse. Verum album contendo plurimarum gentium commune fuisse vocabulum, apudque eos non modo coloris, sed altitudinis nomen fuisse. Et Festus quidem Pompejus, quæ Latinis Alba dicuntur, ea Sabinis Alpa vocari asserit, indeque Alpibus nomen inditum, quod perpetuis nivibus albescant. Ego quidem (ut de altero assentior) Album & Alpum pro eodem à veteribus fuisse dicta, non Festi solum, sed etiam Strabonis auctoritate fretus: ita Alpes potius ab altitudine, quam à candore nominatas arbitror. Primum quod cum Alba multarum sit in Italia, Gallia, Hispania urbium nomen, omnes in collibus, aut prope colles sint sitæ. Deinde quod Strabo absque discrimine hæc nomina Alba, Alpa, Alpia, Albionia, Albici, in significatione altitudinis velut ab eadem radice declinata agnoscat: ideoque has voces usurpari maxime ostendat, ubi Alpes se attollere incipiunt. Hinc in Liguria Albinaunum, & Albium Intimelium. In Iapodibus autem jugum est editissimum, ubi Alpes desinunt. Sunt & alia loca, quæ ab altitudine nominata possunt videri. In Italia quidem Albula fluvius ex Ethruriæ, Albulæ aquæ è Tiburtinis montibus effusæ. In Gallia Narbonensi Albici populi montani. In Germania Albis fluvius, in Boemorum montibus natus. In Asia Albanus fluvius è Caucaso defluit: & Albani populi velut eisdem montibus infusi. Ex his opinor non abhorret à vero, Album non unius, sed multarum gentium fuisse vocabulum, cumque omnibus quos nominavi locis altitudo perpetuo & immutabiliter albescere vix paucis mensibus, nec omnibus semper accidat. Faciunt ad hanc quoque conjecturam & ipsa Gigantum Ligurum nomina Albion, & Bergion, utrunque<sup>25</sup> ut opinor à proceritate corporis impositum: ac de Albo jam quid veteres senserint, diximus. Germanis vero Berg pro alto dici notius est, quam ut pluribus indicandum sit. Et Gallis olim eodem intellecto dictum fuisse ostendit locus Plinii libro tertio, quem ita legendum<sup>26</sup> contendit: Vnde Bergomates Cato dixit ortos etiam nomine prodentes se altius quam felicius sitos. Albion igitur, & Bergion homines, ut videtur, cæteris vicinis corporum proceritate præstantes, & fiducia virium in ea Ligurum ora latrocinium exercentes, quos Hercules, cum illac iter haberet, armis compescuit. In Britannia autem regnasse nemo veterum eos prodit, & rem omnino dissimilem veri facit rerum qui tum erat Gallicarum status. Nec verisimile, Britannicum multo fuisse tranquilliorem: qua in terra regnum maximum magnus ille Albion reliquit, ut domi latrocinaretur. Nos vero, etsi non multum ab eorum opinione discedimus, qui Albionem ab Albo dictum fuisse scripserunt, ita non colorem, sed altitudinem montium occasionem nomini imponendo dedisse arbitramur. Qui autem hoc nomen imposuerunt, puto nonnihil impulsus comparatione Angliæ cum Hibernia, inter quas angusto mari navigatur. Nam cum alterum littus

<sup>25</sup> Abbreviation ‘utrunque’ expanded

<sup>26</sup> Abbreviation ‘legendum’ expanded

totum in montes consurgere viderent, alterum depresso & humile in campos æquales explicari, illam ab altitudine Albionem dixerunt. Huic autem ab humilitate an nomen aliquod dederint longinquitas temporis, & incolarum negligentia in memoria rerum vetustarum prodenda fecit incertum. Huic præterea meæ sententiæ etiam illud suffragari videtur, quod nomen istud insulæ ab albo ductum, sive Albion, sive Albiū sit, adhuc in Scotia, velut natali solo pertinaciter hæret, neque inter tot mutationes habitatorum, regnorum, linguarum, aliarumque rerum vicissitudines unquam extirpari potuit. Hæc etsi nobis aut vera, aut veris proxima videntur, tamen si quis afferet meliora, facile in ejus sententiam transibimus. Hactenus de vetustis insulæ nominibus. Proximum esse videtur, ut terrarum situm exequamur. Ac Angli quidem domestici scriptores satis diserte atque explicate singulas regiones tradiderunt. Hector autem Boëtius in Scotiæ descriptione quædam parum vere prodidit, & alios in errorem induxit, dum ipse, quibus ea inquirendi dedit negotium, nimis credulus eorum sententiam temere vulgavit: nos, quæ comperta erunt nobis, leviter, & perfunctorie attingemus, quæ aut obscure, aut minus vere prodita videbuntur, quoad poterimus, corrigemus. Angliam commodissime, quod ad nostrum institutum spectat, dividunt quatuor flumina, duo in mare Hibernicum decurrentia, Deva, & Sabrina: totidem in mare Germanicum, Tamesis, & Humber. Inter Devam & Sabrinam triplex regionibus distincta includitur Vallia: inter Sabrinam & Tamesim totum illud latus Angliæ, quod Galliam spectat: inter Tamesin & Humbrum interjectæ regiones tertiam portionem constituunt: quartam, quicquid terrarum ab Humber & Deva ad Scotiam pertinet.

Dirimitur autem Scotia ab Anglis primum Tueda fluvio, Zeviota monte altissimo, & qua mons deficit, vallo non adeo pridem facto, ac deinde Esca, & Solvæo fluminibus. Citra hos limites à mari Scoto ad Hibernicum regiones hoc ordine jacent. Marcia, in qua Bervicum oppidum nunc Angli tenent, sinistrum Tuedæ latus attingit: Ad Orientem Forthæ æstuario, ad Meridiem Anglia clauditur. Ad [17] Occidentem ad utrumque Tuedæ latus est Teviotia, à Tevioto amne nomen adepta, Zeviota monte dirimitur ab Anglia. Post hunc regiones non magnæ Lidalia, Euia, & Escia, à tribus fluminibus cognati nominis Lidalo, Euo, & Esca nominatae. Vltima Annandia, & ipsa ab Annando amne prope medianum dividente appellata, secundum Solvæum in mare Hibernicum decurrit. Iam ut rufus ad Fortham redeamus, is ab ortu Lothianam claudit: Coburni saltus, & Lamyrii montes eam à Marcia separant. Contingit deinde paulum ad Occasum inflexa Lauderiam, & Tuediam, alteram à Laudero oppido, alteram ab amne Tueda medianam secante. Tuediam ad Meridiem, & Occidentem contingunt Lidalia, Nithia, Glottiana. Nithiæ Nithus amnis nomen dedit, per eam in mare Hibernicum labens. Lothiana à Lothro Pictorum rege nominata; ab Oriente æstivo sinitur<sup>27</sup> Fortha, sive mari Scoto; vallem Glottianam spectat ab Occidente hiberno. Hæc regio humanitatis cultu, & rerum necessariarum ad usum vitæ copia cæteras longe præcellit. Quinque amnibus irrigatur, Tina, utroque Esca (qui antequam in mare cadant, in unum alveum coëunt) Letha, & Almone. Hi partim è Lamyriis, partim Pictlandicis montibus in Fortham defluunt. Oppida habet Dumbarum, Hadinam, vulgo Hadintonam, Delkethum,<sup>28</sup> Edimburgum, Letham, Limnuchum. Magis ad Occidentem jacet Glottiana, utranque Glottæ fluminis ripam complexa, quæ ob longitudinem in duas præfecturas dividitur: In superiore præfectura collis est non admodum editus, è quo in tria diversa maria flumina effunduntur, Tueda in mare Scoticum, Annandus in Hibernicum, in Deucaledonium Glotta. In ea urbes insigniores sunt, Lanarcum, & Glascua. Hanc ab Occidente Hiberno Coila contingit. Vltra Coilam est Gallovidia. Ea separatur à Nithia Cludano

<sup>27</sup> i.e. finitur

<sup>28</sup> i.e. Dalkethum

amne, tota fere in meridiem vergens, ac ab littore ejus reliquum illud Scotiæ latus tegitur. Vniversa pecoris quam frumenti fertilior. Amnes habet in Hibernicum mare decurrentes, Vrum, Devam, Kennum, Cream, & Lussum. Nusquam fere in montes attollitur, sed collibus tantum frequentibus intumescit. In convallibus inter eos aqua restagnans innumeros prope lacus efficit, è quibus primis ante æquinoctium autmnale imbribus rivi augmentur, unde multitudo incredibilis anguillarum descendit, quas accolæ nassis vimineis exceptas sale condunt; ac non modicum inde quæstum faciunt. Extremum lateris est Nonantum promontorium, sub quo in ostio Lussi fluminis sinus est, qui Ptolemæo Rerigonius vocatur. Ei ex adverso influit, ex æstuario Glottæ, sinus vulgo lacus Rianus, Ptolemæo Vidogara: quod inter hos sinus terriæ<sup>29</sup> procurrit, incolæ Rinum, hoc est Gallovidiæ aciem appellant. Ab eisdem Nonantum Mula, hoc est rostrum, sive rictus nominatur. Tota autem regio Gallovidia (nam Calloid priscorum Scotorum lingua Gallum significat) appellatur. Infra Vidogaram à tergo Gallovidiæ leviter declinat ad Glottæ æstuarium Carieta. Eam duo amnes intersecant, Stinsiatus, & Grevanus: uterque multis amoenis villis cingitur. Inter amnes, qua in modicos colles tumet, pascuis fœcunda, nec infelix frumento est. Tota terrestribus, maritimisque copiis non modo sibi suffiens, sed vicinis multa suppeditans. Dunus amnis eam à Coila separat, ortus ex ejusdem nominis lacu, qui insulam complectitur modicæ arcis capacem. Sequitur Coila, quam à meridie Gallovidia claudit; ab ortu æstivo Glottianam attingit: ab occasu Iruino fluvio à Cunigamia distinguitur: medium Aera amnis dividit. Ad eum sita est Aëra emporium non ignobile. In universum regio est feracior virorum fortium, quam frugum, aut pecorum; tota quippe tenui & arenoso solo: quæ res hominum industriam acuit, & parsimonia vires animi & corporis confirmat. Cunigamia post hanc ad Septentriones procurrit, & Glottam submovet, ac prope ad justi amnis modum coërcet. Nomen regioni Danicum est, quod eorum lingua regis domicilium significat: quæ res indicio est, eam Danos aliquando tenuisse. Proxime ad Orientalem ejus plagam fita est Renfroana, ab oppidulo in quo conventus ejus celebrari solent, appellata: vulgo Baronia dicta. Medium eam secant duo amnes, quibus utrisque Carthus est nomen. Post Baroniam est Glottiana, ad utramque Glottæ ripam protensa; & ipsa in plures jurisdictiones ab magnitudinem divisa. Amnes nobiliores fundit: à lœva Avennum, & Duglassum, qui in Glottam decurrunt: item à dextra, alterum Avennum, qui Lothianam ab agro Sterlinensi, dirimit. Hi duo fluvii communem amnium appellationem loco proprii nominis acceperunt, quemadmodum in Vallia diversa dialecto is, quem Avonem vocant. Sterlinensem agrum à Meridie separat à Lothiana Avennus, ab Ortu æstuarium Forthæ, donec paulatim seipso minor ad justam fluminis magnitudinem redactus, prope Sterlinum pontem patitur. Secat regionem fluvius unus, qui memoratu sit dignus, Carron, juxta quem aliquot vetusta sunt monumenta. Ad lœvam Carrontis duo terreni sunt tumuli, hominum opera (ut res indicat) ædificati: vulgo Duni pacis appellantur. Inferius autem ad eundem amnem, ad duo fere millia passuum, est ædificium rotundum sine calce, sed saxis asperis ita conformatis, ut superioris lapidis pars in inferiorem se inserat, ita ut totum opus mutuo complexum,<sup>30</sup> [18] & saxorum pondere se sustineat, paulatim ab imo ad summum in arctum se colligens. Summa pars aperta est. Vulgus alium atque alium usum, & auctorem ejus ædificii pro suo quisque ingenio comminiscitur. Ego certe aliquando conjectura fui inductus, ut crederem templum Termini fuisse, quod (ut accepimus) rotundum & superne apertum ædificari solitum erat. Nonnihil etiam conjecturam nostram juvare videbantur Duni pacis propinquai: quasi facta ibi pace, cuius monimentum hi colles essent, quod illic terminum suæ ditionis Romani statuissent. Neque alia res me ab hac opinione deduxisset, nisi rescissem ex hominibus fide dignis in insula quadam compluria esse ædificia: cætera quidem ædiculæ, cuius meminimus, similia, nisi quod majuscula et laxiora essent. Duo item in Rossia simili forma sunt sacella. Ea rea suspendere sententiam me coegit, ac judicare monumenta rerum gestarum hæc esse, ac potissimum trophyæ, ac pene extra orbem terrarum, ut

<sup>29</sup> i.e. terrae

<sup>30</sup> i.e. complexu

tuta ab injuria hostium essent, constituta. Sed certe sive hæc trophyæ sunt, sive (quod quidam suspicantur) clarorum virorum sepultra, fuisse credo monumenta ad æternitatem memoriae perpetuandam consecrata, sed ab hominibus indoctis, incultisque ad similitudinem, illius ædiculae, quæ est ad Carrontem constructa. A dextero Carrontis latere ager fere cætera planus in colleum paulum prominet, medio fere spacio inter Dunos pacis, & ædiculam: in eo ad ipsum anguli flexum modicæ urbis vestigium adhuc apparet. Sed murorum fundamenta, & vicorum descriptio partim cultu rustico, partim eruendis ad propinquas ditiorum villas construendas lapidibus quadratis confusa est. Hunc locum diserte Beda Anglus Guidi vocat atque in ipso valli Severi angulo collocat. Multi præclarri scriptores Romani ejus valli meminerunt: multa vestigia extant, multi lapides inscripti eruuntur, quibus aut testimonia salutis per tribunos & centuriones acceptæ, aut sepulcrorum inscriptiones continentur. Et cum ab Adriani vallo (ut utriusque vestigia indicant) raro minus centum millibus passuum distat hoc vallum Severi ab eo, quod ante Adrianus construxerat: aut magna inscitia fuit eorum, qui res Anglicas scripserunt, si Latinos, qui hæc tradiderunt, non intellexerunt: aut incuria, qui dilucide tradita tam confuse reddiderunt.

Vtrumcunque sit autem, res mihi digna est visa, si non reprehensione saltem levi admonitione, præsertim cum ex monumentis jam dictis, & Bedæ Angli historia satis constet, ibi aliquando inter Brittones & Scotos limitem fuisse. Qui vero hic Camelodunum fuisse fabulantur, iidem contendunt quam diximus ædiculam Claudii Cæsaris fuisse templum, vanissimo in utroque mendacio, cum & Camelodunum Colonia Romanorum ultra trecenta millia passum ab eo loco absit, si Ptolomæo & Antonini itinerario fides habenda sit. Cornelius Tacitus hunc eorum errorem apertissime ostendit, cum reliqua tota narratione, tum maxime quod Romanos amissa Cameloduno in templum Claudii Cæsaris confugisse salutis tuendæ caussa scribit. Ædicula autem illa, sive templum Termini, sive alterius rei monumentum fuerit, sine foribus, quarum nullum habet vestigium, & superne ad jactus lapidum patens, ne decem quidem milites non modo tegere, sed vix quidem continere potuerit.

Quid? quod quadragesimo fere anno post Claudii Cæsaris expeditionem Iulius Agricola Romanorum primus in eas partes penetravit? quod quinquagesimo post Agricolam anno Adrianus limitem provinciæ inter Tinam & Escam vallo ducto statuit; cuius adhuc multis in locis vestigia supersunt. Septimius autem Severus, circa annum à Christo nato ducentesimum decimum Britanniam ingressus, ultra limitem ab Amsiano factum centum millia passuum ab æstuario Glottæ ad confluentem Forthæ & Avenni, vallum duxit, cuius adhuc plurima & perspicua remanent indicia. Accedit ad ad hæc, quod in antiquis monumentis nusquam comperimus summam rei Picticæ non<sup>31</sup> Cameloduni fuisse, sed Abrenethii & regiam & primatis Episcopi sedem, quæ postea ad Fanum Andreæ translata est. Quod si quæratur, quid Romanos impulerit, ut coloniam illuc deducerent, & quomodo eam in agro tam sterili, & tum (ut res erant) silvestri, & inculto, & hostium ferocissimorum obnoxiam quotidiani injuriis aluerint; respondebunt, opinor (nam non video quid aliud respondere possint) copiis maritimis eam fuisse sustentatam, quando adverso Caronte tum naves ad urbis usque portas appellere solerent. Id siquidem verum fuit, necesse esset agros ad utranque ripam Forthæ jacentes tum inundationibus Oceani obrutos, ac perinde steriles fuisse, quos tamen in illo tractu solos frumentarios esse oportebat. Illa prope difficilior occurrit quæstio, quod cum utrinque circa Fortham loca aquæ marinæ obtinerent, cur illic Romani non potius vallum finirent, quam supervacuo labore ulterius per multa millia passuum producerent? Vltra Sterlinensem agrum est Levinia, à Renfroana præfectura Glotta, à Glascensi Kelvino amne divisus,<sup>32</sup> ab agro Sterlinensi montibus, à Taichia Fortha dirimitur: tandem in montem Grampium desinit, ad cuius radices per vallem cavam Lominius lacus se explicat, viginti quatuor millia passuum longus, octo latus. Supra viginti quatuor insulas complectitur. Præter multitudinem aliorum piscium habet & sui generis esu non insuaves, [19] Pollacas vocant. Tandem erumpens

<sup>31</sup> ‘non’ is to be deleted

<sup>32</sup> i.e. divisa

meridiem versus Levinum amnem, qui regioni nomen dedit, effundit: qui prope Britannodunum arcem , & eodum nomine oppidum in Glottam ingreditur. Leviniæ partem extremam Grampii montis ultimi colles attollunt, sinu maris exiguo, quem Gerlochum à brevitate appellant, intercisi. Vltra hunc est sinus multo amplior, quem Longum vocant, à Longo qui in eum cadit fluvio. Is limes est inter Leviniam & Covaliam. Ipsa Covalia, Argathelia, seu potius Ergathelia & Cnapdalia, multis sinibus angustis ex æstuario Glottæ infusis, in multas partes dirimuntur. Vnus inter cætera insignis lacus Finis vocatur, à Fino fluvio, quem recipit. Is ultra sexaginta millia passuum in longitudinem porrigitur. Est & in Cnapdalia lacus Avus, in quo est insula exigua, & arx munita. Ex eo fluvius Avus effunditur, qui unus in illis regionibus in mare Deucaledonium exit. Vltra Cnapdaliam ad Occidentem hibernum excurrit Cantiera, hoc est regionis caput, Hiberniæ occurrens, à quo modico freto dirimitur, ipsa longior quam latior, adeo arctis faucibus Cnapdaliæ conjungitur, ut vix mille passus expleant, idque spaciū nihil aliud quam arena sit, adeo humilis, ut per eam naviculis traductis nautæ plerunque navigandi compendium quærant. Hanc attingit Lorna Argatheliæ adjacens, & usque ad Abriam pertinens, regio plana, nec infœcunda. Qua Grampius mons humilior est & magis pervius Braid Albin regio vocatur, hoc est, quasi altissimam Scotiæ partem dicas; ac ubi maxima pars illa attollitur Drum Albin, id est Scotiæ dorsum vocatur, nec omnino sine caussa. Ex eo enim dorso flumina in utrumque mare decurrunt, alia in Septentrionem, alia in Meridiem. Ex Ierno enim lacu Iernam fluvium in orientem hibernum fundit, qui in Taum illabitur ad tria millia passuum infra Perthum. Ab hoc fluvio cognomen accepit ad utramque ripam affusa, vetere Scotorum lingua Strathierna dicta. Strat enim regionem ad fluminum decursum jacentem appellare solent. Inter montes ejus regionis, & Fortham porrigitur Taichia, à Taicho fluvio, qui medium secat, nomen adepta. Excipiunt eam Ocelli montes, ipsi quidem magna ex parte, atque ager ad eorum radices adjacens, in Iernensi præfectura censentur. Verum reliquum agri ad Fortham usque ambitio in varias præfecturas dissecuit, Clacmananam, Colrossianam, & Kinrossianam. Ab his & Ocellis montibus quicquid agri à lateribus Fortha, & Taus claudunt, in Orientum anguste cuneatur ad mare. Ea uno nomine vocatur Fifa, omnibus rebus ad usum vitæ necessariis sibi sufficiens: qua lacus Levinus eam scindit, latissima: inde utrinque se colligens in angustum usque ad Caraliam oppidum. Amnem unum qui memoratu sit dignus, Levinum fundit. Totum littus frequentibus oppidulis præcingitur, è quibus maxime est memorabile propter bonarum artium studia Fanum Andreæ, quod prisci Scotti Fanum Reguli appellant. Interius in media fere regione est Cuprum, quo reliqui Fifani ad jus accipendum convenientiunt. Qua Ierniam contingit, est Abrenethium vetus Pictorum regia. Hic in Taum influit Ierna. Ipse autem Taus è lacu Tao, qui est in Braid Albin, viginti quatuor millia longo erumpit, fluviorum Scotiæ facile maximus. Is se ad Grampium montem inflectens, Atholiam attingit regionem fertilem in ipsis Grampii saltibus collocatum. Ejus partem sub radicibus montis in plantitiem explicatam Blaram vocant, quæ vox liberum arboribus solum significat. Infra Atholiam ad dexteram Tai ripam sita est Caledonia oppidum, vetus tantum nomen retinens, vulgo Duncaldem, hoc est tumulus corilis consitus. Corilus enim cum per inculta se latissime funderet, & silvarum opacitate agros tegeret, & oppido & genti nomen dabat. Caledones enim, aut Caledonii gens olim inter Britannorum clarissimas alteram partem regni Pictorum faciebant, quos Ammianus Marcellinus in Caledones & Vecturiones dividit, quorum nunc vix nominis vestigium aliquod superest. Infra Caledoniam ad duodecim millia passuum in eadem dextra ripa est Perthum. Ad sinistram ripam sub Atholia ad Orientem spectans, est Gorea frumentariis campis nobilis. Et sub hac iterum inter Taum & Escam porrecta Angusia, sive ut prisci Scotti loquuntur, Æneia. Sunt qui Horestiam, aut juxta dialectum Anglorum Forestiam dictam putent. In ea sunt urbes Cuprum, & quod Boëtius<sup>33</sup> patriæ fuæ gratulans ambitiose Deidonus vocat. Vetus enim nomen Thaodunum<sup>34</sup> fuisse reor, à Duno id est

<sup>33</sup> i.e. Boëthius

<sup>34</sup> i.e. Taodunum

colle ad Taum fito, sub cuius radicibus oppidum est extrectum. Extra Taum ad 14 millia passuum recto litore occurrit Abrenethea, alio nomine Abrinca . Deinde Rubrum promontorium satis longe conspicuum. Esca fluvius cognomento Australis medium secat: alter Esca Septentrionalis eam à Mernia dividit. Ea ex magna parte solo est campestri & plano, donec ultra Fordunum & Dunotrum comitis Martialis arcem occurrat Grampius, paulatim se demittens, & in mare subsidens. Vltra eam ad Septentriones est Devæ, vulgo Deæ fluminis ostium: & plus minus mille passus ulterius Dona. Ad alterum Abredonia est, salmorum piscatu nobilis, ad alterum Episcopi sedes, & scholæ publicæ omnium ingenuarum artium studiis florentes. Hanc citeriorem invenio vetustis monumentis Abredeam appellatam. Nunc utrunque oppidum Abredonia veteris & novæ cognominibus [20] distinctum vocatur. Ab hac tam angusta fronte inter hæc flumina incipit Marria, ac sese paulatim dilatans, ad sexaginta in longitudinem millia se protendit Badenacham usque. Ea regio perpetuo dorso continetur, & in utrunque mare flumina evergit. Badenachæ confinis est Abria, ad mare Deucaledonium modice prona, regio (ut inter Scotos) in primis copiosa maritimis & terrestribus commodis. Est enim & frumentis & pascuis in primis felix, & præterea nemorum umbris, & rivulorum fontiumque amoënitate jucunda. Piscium vero proventu adeo fertilis, ut nulli prope Scottiæ regioni cedat. Nam præter fluvialium copiam, quam tot rivi sufficiunt, mare longo canali per planum solum infusum penetrat, ibique terræ paulo altiore margine coercitum se latius diffundit, ac speciem stagni, aut verius lacus præbet: unde Abriam, id est stationem, patrio sermone appellant. Idem quoque nomen regioni circumcirca vicinæ dant. Qui Anglice loquuntur, utramque, hoc est & sinum illum maris, & regionem, perperam, & absurde Lochabriam vocant. Hæ tres regiones, Abria, Badenacha, & Marria, latitudinem Scotiae inter duo maria complectuntur. Ad plagam septentrionalem proxima Marriæ est Buchania, Dona fluvio ab ea divisa. Ea omnium Scottiæ regionum longissime se in mare Germanicum exporrigit. Pascuis oviumque proventu admodum felix, cæterisque<sup>35</sup> commodis ad vitam necessariis sibi sufficiens. Fluvii ejus cum salmonibus abundant, Ratram amnem tamen id genus piscis non ingreditur. Est in ejus littore spelunca, cuius natura prætereunda non videtur. Aqua è naturali fornice guttatum destillans statim in lapidum pyramidas vertitur, ac nisi opera hominum antrum subinde purgaretur, spaciū usque ad fornicem brevi completeretur. Lapis autem qui ita gignitur, velut mediam naturam inter glaciem & saxum obtinet; est enim friabilis, neque ad marmoris duritiem unquam consolidescit. Nos cum Tolosæ essemus, circiter annum salutis CIC IC XLIV, accepimus ex hominibus fide dignis, similem per omnia huic speluncam esse in proximo Pyrenæo. Vltra Buchaniā ad Septentriones duæ sunt regiunculæ, Boina, & Ainia, quæ usque ad Spæam flumen pertinent, qui separat eas à Moravia. Oritur autem Spæa à dorso Badenachæ, cuius meminimus: nec longe ab ejus fonte lacus est, unde erumpit Lutea, ac se in occiduum mare devolvit. Ad ostium ejus ferunt oppidum nobile fuisse, à fluvio Enerluteam nuncupatum. Certe sive terræ vicinæ species ingenium, sive navigationis, & subvectionis maritimæ commoditatem, locus est admodum emporio aptus. Prisci quoque reges has opportunitates secuti, aliquot seculis ibi habitaverunt in Evonia arce, quam nunc multis falso persuasum est, esse Stephanodunum. Ejus enim arcis rudera & vestigium adhuc in Lorna monstrantur. Sunt regiunculæ aliquot exiguae inter Buchaniā & mare Occiduum interjectæ: sed cum nihil habeant insigne, ac narratu admodum memorabile, non est quod in eis explicandis immoremur. Vltra Spæam usque ad Nessum sequitur Moravia, olim (ut creditur) Varar dicta. Inter eos amnes Oceanus Germanicus velut retro in occidentem terram agens, sinu vasto ejus laxitatem castigat. Tota quanta est hæc regio frugibus & pascuis fœcunda, amoënitate vero, & fructiferarum arborum proventu totius regni facile prima. Duo memorata digna habet oppida, Elginam ad Loxiam amnem, qui nomen antiquum adhuc retinet, & Nessum ad cognominem fluvium. Nessus à lacu Nesso longo viginti quatuor millia effluit. Aqua semper fere tepida, nec unquam ita frigida ut congelet. Quin & asperrima hieme fragmina glaciei in eum invecta tepore aquarum brevi solvuntur. Vltra Nessum lacum, Occidentem versus, octo millia continentis terræ protenduntur.

<sup>35</sup> Abbreviation ‘cæterisq;’ expanded

Tantillum sane est, quod obstat, quo minus maria coëant, & quod reliquum est Scotiæ insulam reddant. Nam quod spacii ab iis faucibus ad mare Deucaledonium interjicitur, fere sinubus maris in terram irruptentis est intercisum. Quod ultra Nessum, & fauces illas angustas est interjectum, in quatuor provincias solet dividi, Naverniam, seu ut vulgo Stranaverniam, à flumine Naverno dictam. Ultra ostium Nessi, qua mari Germanico immergitur, est Roffia, in mare promontoriis altioribus excurrentes, quod & nomen ipsum indicat. Ros enim Scottis promontorium significat. Ea tota longior est, quam latior. Nam à mari Germanico ad Deucaledonium porrigitur, qua in montes attollitur aspera & inculta, qua se in campos explicat frugum fertilitate nulli prope Scotiæ agro inferior. Valles habet amœnas piscosis amnibus irriguas: lacus piscosos complures, sed maximum omnium Lubrum. A mari Deucaledonium littus paulatim se castigat, & in Orientem æstivum reflectit. Ab altero littore mare Germanicum inter rupium excelsarum scopulos iter sibi pandens, interius in sinum se spaciose explicat, aduersus omnes tempestates portum salutiferum, ac certum perfugium. Est enim ingredientibus non difficilis aditus, intus vero aduersus omnes cæli marisque<sup>36</sup> injurias tutissima statio, quantumlibet magnis classibus. Proxima Roffiæ extremæ Septentrionem versus est Navernia, à Naverno amne appellata: quam vulgo proprietatem sermonis patrii secuti Stranaverniam appellant. Eam à Meridie Rossia claudit, ab Occasu & Septentrione mare Deucaledonium [21] eam alluit, ab Oriente Cathanesiam contingit. Sutherlandia his omnibus ita interjecta est, ut omnibus sit finitima, atque ab aliqua regione cæli eas contingat. Nam ab Occidente Stranaverniam, à Meridie & Oriente Rossiam, à Septentrione Cathanesiam habet objectam. Cultores magis ex natura regionis pascuo, quam arvo dediti. Nihil in ea quod sciam singulare, nisi quod montes candidi marmoris habet, rarum in regionibus frigidis miraculum, & prope in nullos usus comparatum, quod nondum ejus affectatrix luxuria è immigrarit. Cathanesia ultima ad Septentrionem Scotiæ Regio est, qua in plaga ei Navernia occurrit; hæque duæ Regiones Scotiæ latitudinem in frontem angustam contrahunt. In ea fronte tria attolluntur promontoria. Altissimum in Navernia, quod Ptolemæo est Orcas, sive Tarvedum: reliqua duo nequaquam æque sublimia in Cathanesia sunt, Vervedrum, nunc Hoia, & Betubium, falsò Hectori Boëtio<sup>37</sup> Dume appellatum, nunc Dunis Bei vulgo dicitur, alii Duncans Bei vocant. Ex hoc nomine aliquot literis exemptis vox Dunis Bei facta videtur. Ad radicem collis sinus est permodicus, quo portu naviculae ab insulis Orcadibus appulsæ utuntur. Sinus autem maris vulgò Bei vocatur. Hic igitur sinus cum Duncani vel Donachi sinus à vicinis appellaretur, ex his vocabulis utcunque conjunctis sermo popularis Dunis Bei effinxit. In hoc tractu Ptolomæus collocat Cornavios, cuius nominis adhuc vestigia quædam restant. Arcem enim Comitum Cathanesiæ vulgo Gernico vocant. Nam qui Ptolemæo & exteris Cormavii sunt, Britannis Kernici fuisse videntur. Nam cum non in hoc tractu modo, sed in diversissima insulæ parte, nempe in Cornovallia Cornavios ponat eosdem, qui vetustum sermonem Britannicum retinent, adhuc Kernicos vocant. Ac fortasse non absurde judicabit, si quis Cornovallos pro Kernicovallis, id est, Kernicis Gallis dictos existimaverit. Videntur & in media insula obscura quidem illa, sed hujus tamen nominis vestigia remansisse. Valli enim Severi initium scribit Beda non procul abesse à cœnobia Kebercurnig, & monasterii quidem illic nullum indicium in illis locis est relictum. Manet autem non procul illinc semidiruta Duglassiorum arx, Abrecornum nomine. Horum autem vocabulorum utrunque, an alterum sit à Kernico corruptum, lectori dijudicandum relinqu.

*Ad Insulas pervenimus, in quarum descriptionibus cum paulo longior sit Buchananus, quam hic locus requirat, & ampliores è Scotia vix sperem, melius me facturum æstimavi illas suis locis, id est penes tabulas tradere.*

<sup>36</sup> Abbreviation ‘marisq;’ expanded

<sup>37</sup> i.e. Boëthio

**DE PROVINCIIS ET REGIONIBUS  
GERMANIÆ,  
SCOTORUM OPERA  
AD FIDEM CHRISTIANAM CONVERSIS.**

Tractatum hunc misit ad me sex abhinc annis ex Germania Vir mihi penitus incognitus quem, si ita tibi visum fuerit, inserere potes in calce operis, sed hoc judicio tuo relinquō. *Ioan: Scotus-Tarvatius in epistola quadam ad Io. Blaeu.*

Tota Bavaria pro Apostolo suo & summo Patrono veneratur S. Rupertum filium Regis Scotorum, qui sexto seculo in Germaniam veniens, Theodonem Bavariæ Duce cum omnibus fere Satrapis suis baptizavit Ratisbonæ: quô factô Ratisbonâ discedens, omnes circumquaque populos Christiana fide inbuit; tandemque urbem Salisburgum à fundamentis ædificavit, & ejusdem civitatis primus Episcopus, concordibus omnium suffragiis, renuntiatur. Demum post multa alia à se præclare gesta ex hac mortali vita ad æternam migravit. Hæc & plura alia habentur in monumentis Salisburgensibus fusè descripta, quæ extant impressa apud Henricum Canisium, Tom. IV Antiquæ lectionis, & passim apud recentiores.

Eodem fere sæculo venerunt in Germaniam ex Scotia Columbanus & Gallus, multisque pergratis regionibus, in Sueviæ tanem confinibus substiterunt, ibique verbi prædicatione & miraculis in vinea Domini laborantes, plerosque incolas ad sanctissimam Christi fidem perduxerunt. Cæterum Columbanô in Italiam proficidente, Gallus morbo & ægritudine corruptus, coactus est in Helvetia hærere, ubi postea recuperatâ valetudine monasterium ædificavit, quod etiamnum ab ipsis nomine S. Galli Monasterium audit, apud quod visitur hodie civitas libera ejusdem nominis, quæ prioribus seculis Abbatibus S. Galli subdita [22] fuit. Haec & multa alia vide apud Ionam in vita S. Columbani, quæ extat apud Bedam & apud Wallafridum Strabonerum, in vita S. Galli, quæ extat apud Laurentium Surium: consule etiam Theodorum Campedonensem in vita S. Magnii, quæ extat apud Henricum Canisium, tomo (ni fallor, nunc enim liber non est ad manum) IV antiquæ Lectionis. Addantur etiam recentiores Scriptores Ecclesiastici.

Non diu post hoc tempus venerunt ex Scotia Kilianus cum duobus sociis Colonato & Totuano, qui, accepta à Romano Pontifice Conone potestate prædicandi Euangelium, in Franconiam profecti sunt, ibique baptizato Gosberto Franconiæ Duce, cum sua conjugi, liberis & subditis, magnam animarum sementem fecerunt, brevique totam Franconiam salutifera Christi fide illuminarunt. Cum vero S. Kilianus videret, Gosbertum Duce habere apud se uxoris loco fratris sui conjugem Geilanam, fæminam lascivam & impiam reprehendit eum, amanter monens, ut eam dimitteret; quod intellegens scelerata mulier, ira & furore exarsit, nec unquam quievit, donec Kilianum cum sociis suis trucidari curasset. Fuit autem Kilianus primus Episcopus Herbipolensis, unde Ducatus Franconiæ, quem Carolus Magnus Episcopis Herbipolensibus contulit, S. Kiliani patrimonium vulgo appellatur; præterea in nummis argentis, quos cudent Episcopi Herbipolenses, visitur effigies & imago S. Kiliani, tanquam Apostoli & Patroni totius Franconiæ. Vide hæc & alia in vita S. Kiliani apud Henricum Canisium tomo V antiquæ Lectionis, & apud Surium. Post hæc, temporibus Pipini & Caroli Magni, venit in Frisiæ, accepta à Romano Pontifice potestate, S. Bonifacius Scotus, (quamquam aliqui perperam Anglum faciant)<sup>38</sup> Scotum enim fuisse testantur Marianus Scotus in chronicæ, Trithemius de viris illustribus ordinis S.Benedicti, Hieronimus Platus de bono status religiosi, & plurimi recentiores; multisque non tantum in Frisia sed & in Hassia, Thuringia, Westphalia & Saxonia ad Christi cultum perductis, propter maxima merita & vitæ sanctitatem, creatus est Archiepiscopus Moguntinus; multos novos Episcopatus per Germaniam erexit, & inter alios Episcopatum Aichstadensem, cui præfecit S.Willibaldum Scotum (quem aliqui

---

<sup>38</sup> Parenthesis should continue to ‘recentiores’

etiam Anglum ridicule faciunt, & filium Richardi Regis Angliae)<sup>39</sup> cum nullus eo tempore fuerit in Anglia Rex, eo nomine: Cæterum Scotum faciunt Iones Molanus in additionibus ad Usuardum, & Trithemius loco supra cit. cum multis recentioribus, & discipulum suum; fundavit multa monasteria, ex quibus præcipuum fuit monasterium Fuldense, in quo Scotti perinde ac Germani promiscue recipiuntur. Tandem vero cum in Frisia Euangelium prædicasset, videretque aliquos in nefando idolorum cultu obstinate persistere, omnia eorum idola disjecit & comminuit, propter quod barbari in eum irruentes, crudeliter necarunt. Cæterum S. Bonifacius ab omnibus pro Germaniae Apostolo salutatur: vide vitam ipsius prolixè scriptam à discipulo ipsius Willibaldo, quæ extat apud Canisium supra citatum; quam vitam scripsit etiam fusius, posteà Egilwaldus, sicut videre est apud Surium & Nicolaum Serrarium de rebus Moguntiacis.

Hoc eodem sæculō venit in Saxoniam, ad Euangelium Christi prædicandum, S. Patto Scotus, qui ob præclara vitæ merita, Episcopus Werdensis in Westphalia creatus est, tandem ob Christi fidem martyrio coronatur. Huic successit in Episcopatum S. Tanco, & ipse Scotus; qui inter alios suos successores habuit Gortzlam Ifingorum, & Harruchum, omnes Scotos & Episcopos Werdenses, prout testatur, ut alias omittam, Albertus Krantzius in Metropoli Saxoniae. Post hæc tempora venit in Saxoniam Iannes Scotus, qui strenuam in convertendis infidelibus operam navans, factus est tandem Episcopus Mechelburgensis: cui Ecclesiæ postquam piè & utiliter aliquamdiu præfuisset, ab infidelibus ob fidem Christi trucidatus est. Vide de illo Krantzius supra citatum.

Porro circa annum salutis humanæ millesimum, egressus est ex Scotia Colomannus filius Malcolmi, ejus nominis (si bene menimi<sup>40</sup>) primi Regis Scotorum; cumque bis in Terram Sanctam profectus & reversus fuisse, volens adhuc tertio illud idem iter suspicere, postquam varias Germaniae regiones emensus, in Austriam venisset, ibique plurimos ab execrandis idolorum & dæmonum superstitionibus, ad verum Dei cultum traduxisset, tandem deprehensus, tanquam occultus aliquis explorator, multis acerbissimis tormentis cruciatus est, & postea cruci affixus, in qua sanctissimè vitam finivit, plurimis miraculis, tum in vita, tum post obitum, celebris. Corpus ejus honorificè & religiosè servatur in monasterio Melicensi, vulgo Melch, duodecim ferè milliaribus Germanicis ab urbe Viennensi, dissito. Hæc & plurima alia leguntur in officio sive Breviario monasterii Melicensis. Cæterum Iones Stadius, Historicus Maximiliani I. Imperatoris, vitam S. Colomanni Saphico carmine scripsit, quæ extat apud Laurentium Surium in vitis Sanctorum, & sic incipit:

*Austriæ sanctus canitur patronus,  
Fulgidum sidus, radians ab arcto,  
Scoticæ gentis, Colomannus acer  
Regia proles.*

Sic igitur Colomannus pro Patrono Austriæ ab omnibus agnoscitur; potest etiam de eo videri Cuspinianus, item Matheus Raderus [23] in Bavaria Sancta, & Baronius in annalibus. Tempus martyrii proditur fuisse anno 1012.

Plurimi alii Scotti prædicarunt Euangelium Christi in Germania: de his tamen statim infra erit sermo, cum agemus de monasteriis Sanctorum in Germania.

## DE MONASTERIIS SCOTORUM IN GERMANIA

**Primum & antiquissimum monasterium, quod Scotti habuimus, in Germania fuit, in civitate**

---

<sup>39</sup> Parenthesis should continue to ‘supra cit.’

<sup>40</sup> i.e. memini

Argentinensi, vulgò Strasburgh, fundatum à S. Florentio Scoto Episcopo ibidem, circa annum Domini 665, dictumque fuit cœnobium S. Thomæ Scotorum, in quo ipse Florentius posteà sepultus est. Hoc tamen cœnobium injuste, & sine ullo jure aut ratione, à Scottis Monachis ad Canonicos Regulares nationis Germanicæ transtulit Adelochus Episcopus Argentinensis, prout fusè in historia mea narrabo. Videantur de hoc monasterio Surius in Vita S. Florentii, Gaspar Brusthius de Episcopis Germaniæ & alii recentiores. Cæterum ante S. Florentium fuit Arbogastus Scotus Episcopus Argentinensis qui piè & laudabiliter munere suo functus est, omnesque urbis illius accolas, reprehensis idololatricis cultibus, in vera Dei cognitione eruditivit; de hoc etiam consule auctores jam citatos.

Post hæc multa fuerunt condita monasteria in Germania pro Scottis, à Gulielmo fratre Achai Regis Scotorum, qui perpetuum cum Carole Magno fœdus iniit, quod etiamnum durat. Hic enim Gulielmus, postquam egregiam Carolo Imperatori in bello operam navâasset, cum liberos non haberet, Christum suorum bonorum & Ecclesiam hæredem instituit: unde varia cœnobia pro fuæ gentis Monachis & Religiosis viris in Germania fundavit, & amplis proventibus locupletavit: inter quæ præcipuum fuit monasterium S. Iacobi Ratisbonæ; cuius Abbas aliorum omnium visitator & corrector fuit: alia ab illo fundata fuerunt, monasterium S. Martini Scotorum Coloniae, monastreium S. Ægidii Scotorum Norimbergæ, monasterium Scotorum Aquisgrani, & monasterium S. Petri consecrati extra muros civitatis Ratisbonensis, quod tempore belli inter Carolum Quintum & Electores Confessionis Augustanæ, dirutum fuit, nè hostes eò venientes, illic se possent munire, aut propugnaculum aliquod erigere.

Ex omnibus hisce monasteriis nullum hodie nobis superest, præter monasterium S. Iacobi in civitate Ratisbonensi, cuius redditus & proventus ratione continuorum bellorum in Germania grassantium usque adeo diminuti & exhausti sunt, ut vix uni aut alteri Religioso alendo sufficient; ad hæc nimia prodigalitas quorundam antecessorum nostrorum Abbatum fecit, ut præfatum monasterium sentiat se hodie debitum, & ære alieno gravatum usque adeo, ut pro annuis solum censibus summarum (uti dicunt) capitalium, teneatur quotannis solvere trecentos propemodum florenos, quam summam cum monasterium (direptis jam & vastatis à fuibundo milite prædiis & agris) non possit solvere, ad maximas angustias & miseras redactum est. Hinc enim irruunt & urgent creditores minantes se, nisi brevi ipsis satisfiat, omnia nostra bona & possessiones (veluti loquitur) arrestatuos. Debitores vero tergiversantur & moras nectunt. Quid multis? Omnes putant actum & conclamatum esse de nobis, & certè, nisi omnipotens Deus ex sua misericordia aliquod nobis medium & remedium suppeditare dignetur, non video, quomodo possumus ex tot difficultatum fluctibus emergere, nec, qua ratione tam antiquum & nobile monasterium & celebre majorum nostrorum monumentum conservari posit: Quid? quod ipse Imperator in proximis hisce comitiis Ratisbonensibus, videns deplorandum monasterii nostri statum & conditionem, tractarit cum Romano Pontifice & aliis Imperii Principibus de transferendo hoc nostro monasterio à nobis ad Germanos, adeo ut nisi Summus Pontifex rejectâ petitione Imperatoris à nostris partibus audacter & obstinate stetisset, coacti procul dubio fuissemus aliò migrare, & avitam nostram hæreditatem exteris & alienigenis cedere. O miseros & infelices nos, quos Deus in hæc tempora rejicit, in quibus talia oculis nostris (nisi ipse avertat) visuri sumus! Non possum quin exclamem cum Propheta; Væ nobis! peccavimus; Quis candidus, ingenuus & germanus Scotus posset siccis oculis tam triste spectaculum intueri? Quis posset sine lachrymis conspicere hujusmodi nobilissima cœnobia & contubernia, à majoribus nostris piè & laudabiliter fundata, à nobis, tot centenâ annis continuâ successione possessa, tot Pontificum & Imperatorum privilegiis & diplomatibus nobilitata, eò jam redigi, ut periculum sit, nè ejectis veris & antiquis possessoribus ab externis colonis injustè occupentur. Sed hæc hactenus, ad alia pergo. videntes Principes Germaniæ exemplarem Scotorum vitam & pietatem, cæperunt<sup>41</sup> & ipsi posteà ædificare Scottis Cœnobia, quos inter primus fuit Embricho Episcopus Heripolensis & Franciæ Orientalis Dux, qui ann. Christi 1139, fundavit pro

---

<sup>41</sup> i.e. coeperunt

Scotis monasterium S. Iacobi, extra muros civitatis Herbipolensis, vulgo Wurtzburgh: quod Scotti etiamnum possidemus, quamvis redditus anni sint valde tenues & diminuti propter continua bella. Dixi [24] signanter Embrichonem primum fuisse inter Principes, qui fundarunt monasteria pro Scotis, quiā, si loquamur de monasteriis Scotorum, sive à Principibus, sive ab aliis (qui non fuerunt Principes) fundatis, primum & antiquissimum Scotorum, à Germanis fundatum, est illud monasterium Scotorum Erfordiae fundatum à Waltero de Glisberg, anno Domini 1032; fuit hic Walterus nobilis, cuius posteri hodie Comites Papenhemii, cæterum post mortem sepultus est in eadem à se fundata Ecclesia & visitur adhuc sepulchrum. Hoc monasterium cum aliis duobus, videlicet Ratisbonensi & Herbipolensi etiamnum Scotti possidemus. Verum hujus monasterii proventus adeo tenues & exigui sunt, ut vix uni personæ alendæ sufficient. Sed quis scit, quid serus vesper vehat? forsitan miseros meliora sequentur. Proximo loco succedit monasterium Scotoum Viennæ, quod fundatum est ab Henrico Duce Austriæ circa annum 1167. Hoc monasterium quo pacto contra omne jus & æquum Scotti eruptum fuerit, fusè in historia mea narrabo, de quâ re meritò conqueritur Urbanus VIII Papa in literis suis ad Ferdinandum Secundum Imperatorem datis. Posset quidem hoc monasterium facilis negotio recuperari, nisi paupertas, debita, & angustiæ nos undique premerent, ita ut non habeamus redditus pro competenti aliquo personarum numero alendo in monasteriis quæ jam habemus, tantum abest ut pro novis (ut ita loquar) coloniis deducendis pares simus.

Non diu post fundatum est monasterium Scotorum Constantiæ ab Episcopo istius loci , cuius nomen (cum non habeam nunc ad manum libros vel scripta) mihi jam non occurrit. Hoc etiam monasterium fraude & dolo Germanorum amisimus. Eodem fere tempore, hoc est, circa annum Dominicæ Incarnationis 1180, fundatum est à Welfone Sueviæ Duce monasterium Scotorum Memmingæ, quod Scotti usque tempora Lutheri possedimus; tunc autem cives Memmingani derelicta Catholica Religione, Confessionem Augustanam amplexi sunt: quapropter Monachi & alii, quibus nova illa professio displicebat, coacti sunt inde discedere. Circa idem tempus fundatum est à nobili quodam Bavarо (cuius etiam nomen mihi excidit) monasterium Scotorum Aichstadii, vulgo Aichstat, quod distat ab urbe Ingolstadiana tribus milliaribus Germanicis. Hoc Monasterium eodem, quo alia supradicta, modo amisimus. Demum anno 1240, aut circiter, fundatum est à Duce Bavariæ monasterium Scotorum Kelhamii, vulgo Kelhem, quod tribus tantum milliaribus Germanicis distat Ratisbona. Cæterum temporis & bellorum injuria adeo depauperatum est, ut præter domum exiguum quandam, vineam, & sylvam nihil nobis hodie supersit. Hujus monasterioli administratio & regimen est penes Abbatem Scotorum Ratisbonæ, qui solet vel unum è suis Scottis huic loco præficere, vel aliquem Germanum (casu quo non sint Scotti) qui tenetur solvere quottannis pensionem monasterio Ratisbonensi. His adde monasterium Scotorum Paderbornæ fundatum à S. Paterno Scoto circa annum 900, quod postea incendio conflagravit. Alia etiam fuere monasteria Scotorum in Germania, de quibus omnibus prolixè agam in historia mea, cui talis titulus, Germania Christiana, sive de plantata & propagata Christiana fide in Germania per Scotos. Ibi autem edentur chronica omnium nostrorum monasteriorum, cum serie & Catalogo Abbatum uniuscujusque monasterii, cumque Privilegiis & confirmationibus Summorum Pontificum , atque Imperatorum, nec non Electorum & aliorum Principum, quæ omnia tractabuntur in secundo nostro tomo; in primo autem agemus de conversione singularum Provinciarum Germaniæ ad fidem Christianam.

Hæc pauca raptim, & tumultuante calamô scripsi ego Robertus Strachanus Scottus de monte Rosarum, alias P. Bonifacius ordinis S. Benedicti, tradenda nobili & magnifico Heroi, Domino Ioanni Scott. Baroni à Scottis-Tarvett, Directori Cancellariae Regni Scottiæ, Equiti Aurato & Consiliario Regio.

*Viennæ 20 Novemb. 1641.*

[25]

REGNI  
SCOTIÆ  
DESCRIPTIO

Universa pars Septentrionalis insulæ Britanniæ antiquitus à Pictis insessa fuit, qui in duas gentes divisi DICALIDONIOS scilicet, & VICTURIONES, de quibus in Britanniæ descriptione ex Ammiano Marcellino Camdenus dixit: cum Scotti autem in hac parte rerum potiti essent, in septem partes inter septem Principes partita fuit, ut habetur in antiquo libello de Scotiæ divisione his verbis:

Pars prima continebat *Enegus & Maern.*

Secunda *Athcodl & Goverin.*

Tertia *Stradeern cum Moneted.*

Quarta fuit *Forthever.*

Quinta *Mar cum Buchen.*

Sexta *Muref & Ros.*

Septima *Cathanesia*, quam *Mound* mons medius dividit, qui à mari Occidentali ad Orientale procurrit.

Deinde refert idem Author ex relatione Andreæ Episcopi Cathanesii, in septem itidem territoria totum regnum fuisse partitum:

Primum à *Fryth* Britannice, *Worid* Romane, nunc *Scottwade*, ad *Tae* flu.

Secundum ad *Hilef* sicut mare circuit ad montem in Aquilonali parte de *Srivelin* nomine *Athran*.

Tertium ab *Hilef* ad *Dee*.

Quartum à *Dee* ad *Spe* fl.

Quintum à *Spe* ad montem *Brunalban*.

Sextum *Mures & Ros.*

Septimum regnum *Argathel*, quasi margo Scotorum, qui sic vocati fuerent à *Gathegas* duce.

*Sed hæ divisiones hodiernis Scotis vix notæ.*

Secundum gentium habitudinem, Scotia divisa fuit in *Highland-men*, *Lowland-men*, & *Borderers*; id est Superiores, Inferiores, & Limitaneos; Superiores sunt ii, qui altiora loca montesque inhabitant, versus Boreales & Occidentales partes; incultiores illi & præferoces, Hibernicorum lingua & habitu utuntur. Inferiores, qui planities & depressa inhabitant, superioribus cultiores, Anglorum sermone & vestitu utuntur. Limitanei ad Angliæ limites siti, à Carlila oppido ad Bervicum, jure merito ex hac divisione possent in posterum excludi, pace enim undique affulgente ex fausta & felici unione in Britannici imperii umbilico censendi, bellorumque pertæsi, pacis studiis ab illo tempore se assuescere inceperunt, & inferioribus annumerari.

Secundum locorum habitudinem rufus universum regnum in duas distribuitur partes, Australem cis *Taum* flumen, & Borealem trans *Taum*, præter numerosas insulas circumpositas.

In parte Australi hæ sunt regiones insigniores.

*Teifidale.*      *Arran.*

*Merch.*      *Clydesdale.*

<i>Lauden.</i>	<i>Lennox.</i>
<i>Liddesdale.</i>	<i>Stirling.</i>
<i>Eskedale.</i>	<i>Fife.</i>
<i>Annandale.</i>	<i>Strathern.</i>
<i>Niddesdale.</i>	<i>Menteith.</i>
<i>Galloway.</i>	<i>Argile.</i>
<i>Carrick.</i>	<i>Cantire.</i>

*Kyle.*

*Lorn.*      *Cunningham.*

Parte Boreali hæ regiones accensentur:

*Loquabria.*      *Buquhan.*

*Braidalbin.*      *Murray.*

<i>Perth.</i>	<i>Ross.</i>
<i>Athol.</i>	<i>Sutherland.</i>
	<i>Anguish.</i> <i>Cathanes.</i>
<i>Mern.</i>	<i>Strathnavern.</i>
	<i>Marr.</i>
	Divisio hæc usum habuit in judiciis, & adusque Iacobi IV tempora obtinuit; Eligebantur enim IV ex Nobilibus, IV ex Ecclesiasticis, IV ex Baronibus minoribus, qui Domini Consilii & Sessionis appellabantur, & per totam hiemem Edinburgi sedere consueverant, ut meridionali regni parti jus dicerent, æstate vero Aberdoniaæ parti boreali. Iacobus vero V, cum in Gallia Magdalena Francisci I Regis Filiam duxisset, & istius regni regimen per Parlamenti gubernationem optime constitutum vidisset, in patriam redux, sublatis electivis istis judicibus, Senatum instituit à similitudine Parlamenti Gallici, de quo postea.
	Rursus ad civilem administrationem dividuntur [26] Regiones in Praefecturas, Conventus, sive Vice-comitatus, <i>Shiriffdomes</i> vocant; Seneschalsias, vulgo <i>Stewarties</i> ; & Ballivatus sive <i>Baileries</i> .
	<i>Edinburgh.</i> <i>Abredene:</i>
	<i>Berwick.</i> <i>Innerness.</i>
	<i>Roxburgh.</i> <i>Narne.</i>
	<i>Selkirck.</i> <i>Orkney.</i>
	<i>Peblis.</i> <i>Bamff..</i>
	<i>Dunfreis.</i> <i>Kirkubright.</i>
<i>Aire.</i>	<i>Wighton.</i>
sive <i>Shiriffe-</i>	<i>Renfrew.</i> <i>Tabet.</i>
	<i>domes</i> <i>Clackmannan.</i> <i>Bute.</i>
	<i>Kinros.</i> <i>Lythquo.</i>
	<i>Perth.</i> <i>Sterling.</i>
	<i>Fiffe.</i> <i>Cromartie.</i> <i>Lanark.</i>
<i>Forfair.</i>	<i>Dunbarton.</i>
	<i>Kinkardin.</i> <i>Elgin &amp; Forress.</i>
	<i>Seneschalsiae</i> sive <i>Menteith.</i> <i>Annandall.</i>
	<i>Stewarties</i> <i>Strathern.</i> <i>Fifa.</i>
	<i>Kirkubricht.</i> <i>Gallovidia.</i>
	<i>Koile.</i>
	<i>Ballivatus</i> sive <i>Bayleries</i> <i>Carick.</i>
	<i>Cunningham.</i>
	<i>Lauderdall.</i>
	<b>Constabulariatus <i>Haddington</i></b>
	Quod ad administrationem divinæ illius civitatis, quam Ecclesiam vocamus, ut reliqui Orbis Episcopi certas dioeceses non habuerunt, antequam Dionysius Pontifex Romanus circa annum CC LXVIII, Episcopis Dioeceses distribuerit; ita Scotorum Episcopi munera Episcopalia, quocunque fuerant loco, sine discrimine obierunt, usque ad Malcolmi Tertii tempora, circa annum scilicet restauratae Salutis M LXX, cum suis finibus & limitibus dioeceses essent circumscriptæ.
	Postea decursu temporis hæc constabilita fuit in Scotia Hierarchia. Duo sunt Archiepscopi, S. Andreæ & Glascoensis, quorum ille Primas totius Scotiæ habebatur, sub cuius authoritate octo sunt Episcopatus,
	<i>Dunkeldensis,</i> <i>Brechinensis,</i>
	<i>Aberdonensis,</i> <i>Rossensis,</i>
	<i>Moraviensis,</i> <i>Cathanensis,</i>
	<i>Dumblanensis,</i> <i>Orchadensis.</i>
	Glascoensi Archiepscopo tres tantum subsunt,

*Candidæ Casæ.*

*Lismoriensis.*

*Insularum.*

Nunc vero ejectis Episcopis aliter Ecclesiæ gubernatio procedit, ut postea dicemus.

## ORDINES SCOTIÆ

**Respublica Scotorum constat ex Rege, Nobilibus, & Plebe.**

REX, ut ex ipsorum sacris scriniis loquar, *directus est totius Dominii Dominus*, regiamque habet autoritatem & jurisdictionem in omnes regni sui Ordines tam Ecclesiasticos quam Laicos.

Proximus à rege est filius ejus primogenitus, qui PRINCEPS SCOTIÆ appellatur, & peculiari jure Dux est Rothfaiae, *Comes Rossiae, Baro Baroniae de Remfreu*, Scottiæque Seneschallus. Reliqui vero Regis liberi absolute *Principes* nominantur.

Inter Nobiles amplissimi & honoratissimi olim erant *Thani*, id est, qui, si quid video, ex munere solummodo quo defungeabantur erant nobilitati. Dictio enim in antiqua Anglo-Saxonum linqua *Ministrum Regium* denotat. Ex his superiores dicti erant *Ab-thanes*, & inferiores *Under-Thanes*. Verum hæc nomina paulatim exoleverunt, ex quo Rex Malcolmus Tertius Comitum & Baronum titulos ex Anglia à Normannis acceptos nobilibus bene merentibus detulisset. Iam inde temporum decursu novi honorum tituli invaluerunt, & habet Scotia perinde ac Anglia suos Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, & Barones: Ducis autem titulum primus in Scotiam intulit circa annum Salutis M CCCC Robertus Tertius, ut honorarios Marchionis & Vicecomitis titulos recenti memoria Iacobus Sextus. Hi Nobiles censemur majores, & locum suffragiumque in Comitiis Parliamentariis habent, & peculiari appellatione *Lords*, uti etiam Episcopi, insigniuntur.

Inter Nobiles minores primo loco sunt Equites Aurati, qui sane celebriori quam alibi in Europa solemnitate jurejurando adhibito creatur, & publica fœcialium voce denuntiantur. Secundo illi qui *Lairds* & Barones simpliciter vulgo vocantur, inter quos nulli olim accensebantur, nisi qui immediate terras à Rege *in capite* tenuerunt & jus furcarum habuerunt. Tertio qui clarioribus familiis nati, & nullo certo honore insigniti, *Gentlemen* appellantur. Cæteri omnes utique cives, Mercatores, Artifices, &c. plebi adnumerantur.

[17]

## S C O T I Æ FORA IVSTITIÆ, SIVE TRIBUNALIA.

## P A R L A M E N T U M

Primum & præcipuum tam dignitate quam potestate censetur Ordinum Regni Conventus, qui eodem quo apud Anglos vocatur nomine *Parlementum*, & eandem absolutissimam haber authoritatem. Ex triplici constat ordine; ex Dominis *Spiritualibus*, Episcopis scilicet, Abbatibus, & Prioribus; ex Dominis *Temporalibus*, Ducibus scilicet, Marchionibus, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, & Delegatis pro Civitatibus & Burgis. Quibus adjuncti erant non ita pridem pro singulis etiam Comitatibus duo Delegati. Indicitur à Rege pro arbitrio, certo tempore præfinito antequam habeatur: cum convenerint, & conveniendi cauffæ à Rege & Cancellario explicatae fuerint, Domini Spirituales seorsim seligunt octo ex Dominis *Temporalibus*. Domini Temporales itidem totidem ex *Spiritualibus*. Inde iidem omnes conjunctim octo ex Comitatuum Delegatis, totidemque ex Burgorum Delegatis nominant, qui numerum XXXII. conficiunt, & *Domini pro Articulis* appellati cum Cancellario, Thesaurario, Privati sigilli Custode, Secretario Regio &c. singula, quæ ad Ordines referenda proponuntur admittunt aut rejiciunt, Regi prius communicata. Admissa ab universo Ordinum Conventu sedulo excutiuntur, & quæ pro suffragiorum numero

comprobantur, Regi exhibentur, qui admoto sceptro se confirmare, vel infirmare pronuntiat; sin aliquid Regi discipliceat, primum deletur.

Cragius lib. I. Si unus ordo totus sese opponat alicui decreto, irritum manebit.

In Scotiæ Comitiis (inquit Rex Iacobus Sextus in oratione sua tertia) absque Cancellarii venia, cuius quoque est seditiosos aut ineptos statim interfari, nemini loqui licet.

*Idem.* Mos Comitiorum in Scotia, mihi credite, nihil habet populare. viginti fere diebus ante Comitia, edicitur passim omnibus, ut regio Chartophylaci (quem vos Magistrum Rotularum dicitis) quæstiones proximo conventu ventilendas ante certum diem exhibeant scriptas. Eas Rex privatim examinat, & quas visum est Cancellario suo tradit in Comitiis proponendas, cæteris suppressis. Quod si quis de alia quavis re ad Ordines retulerit, statim monetur à Cancellario, nullam ejusmodi quæstionem Regi fuisse approbatam. Tum leges de his rebus ab Ordinibus latæ exhibentur Regi. Ille sceptro conspicuus, quod à Cancellario porrigitur, necesse habet dicere, EGO RATA HABEO QUÆCUNQUE IN COMITIIS HISCE FACTA SUNT: Nam si quid Regi disciplicet, id ante solet induci & deleri.

Anno M D LX ejecti è Scotia Episcopi, revocati vero anno M DC VI in Parlamento Perthano, à Iacobo VI. Nunc vero denuo ejecti anno M DC XXXVII. Eo ordine hac tempestate sublato, tribus nihilominus membris Parlamentum constat.

Primum Parlamenti membrum faciunt Duces, Marchiones, Comites, & Barones majores, qui singuli quotquot sunt in tota Scotia & ibidem præsto, suffragium habent.

Secundum membrum constituunt Barones minores, *the Lairds*, in unaquaque regione ex omnibus electi duo, qui duo unum habent suffragium: hi duo si inter se dissentiant & nequeant convenire, perit illorum suffragium, & pro nihilo habetur.

Tertium Parlamenti membrum sunt Burgenses sive civium Deputati, ex urbe Edinburgensi duo, unus ex unaquaque alia urbe. Qui singulis mensibus pro civitatum libitu alium mittere possunt Deputatum.

Etiamnum à Rege pro arbitrio indicitur Parlamentum per præcepta è Regia Cancellaria ad hunc effectum per directorem ejusdem emissam ad singulos Parlamenti Dominos & reliqua ejus membra, idque certo tempore præfinito, ad suffragia sua ferenda. Dedit autem Rex Parlamento postrema Congregatione, per actum Parlamenti, libertatem sponte sua semel in triennio convenire, & deliberare de rebus publicam rem spectantibus. Quod postremum Parlamentum eo pacto indictum.

Quandoque necessitas requirit ut status breviori tempore convenient, & tunc tantum scribuntur litteræ à Clerico Consilii Secreti ad singula membra Parlamenti, ut intra XV dierum spatum adsint, quia omnes boreales sive trans Deodun citius, adesse non possunt ob intineris<sup>42</sup> longinquitatem, & tunc paucos dies Edinburgi manent; sed nulla acta Parlamenti constituere possunt.

Decernitur autem in Parlamento de pace & bello, de monetis, forisfactura, taxationibus, & oneribus, & aliis quibuscumque rebus publicum Regni statum concernentibus.

Non abs re fore judicavi, si ordinem & ritum ingrediendi Parlamentum paulo latius describerem. Conveniunt omnes in urbe primaria, [28] quæ est Edinburgum. die dicto, in palatio Regis ad Monasterium Sanctæ Crucis congregant, nobiles togis purpureis, pellibus armelinis, alii pluribus, alii paucioribus, secundum dignitatem illorum duplicatis induti. Barones minores & civium deputati pallia sua habent ex panne. In area ejusdem palatii, primo ut & postremo die, equos adscendunt & per paria incedunt. primi Burgenses, hos quatuor sequuntur Ostiarii ex Sessione, in equis. Tunc Barones minores, duo Ostiarii ex Consilio, itidem in equis. hos rursum Barones majores, Comites, Marchiones, Duces. postremo Rex, post Regem Magister Equitum regium equum dicit, quem militum custodia sequitur: eo ordine ad urbem progrediuntur. In urbe vero stratæ arena plateæ, propter acclivitatem ascensus. ab utroque latere stant staffarii,

---

<sup>42</sup> i.e. itineris

sclopetarii, aliique milites, ad custodiam, à porta ad usque palatium Parlamenti, quod à meridionali parte est Ecclesiæ S. Ægidii.

Thesaurarius & Cancellarius suo quisque loco inter nobiles equitat, suffragia non habent. Arcentur jam etiam à Parlamento reliqui Regis Officiarii, ut & Director Cancellariæ; quamquam olim & suffragia in Parlamentis habuerint.

Iustitiatus quandoque revocatur, ubi res exigit, suffragium tamen non habet.

#### CONCILIO SECRETUM

Secundum est Secretum Consilium, quod quidem certo personarum numero non constat, sunt enim circiter triginta, nobiles omnes, interque illos pauci Barones minores. Quamvis autem tot numero sint, septem nihilominus præsentes de omnibus causis cognoscere possunt. Creabantur olim à Rege solo per literam ad reliquos Consilii Dominos missam, submovebat etiam quos & quando volebat Rex. Postremo vero Parlamento cautum est, ut eligerentur cum consensu Parlamenti, uti & Domini Seffionis & Scaccarii. Salarium constitutum non habent. convenient singulis diebus Martis & Iovis post meridiem, Sessionis tempore; Feriarum vero, non nisi semel totis XXIV diebus. Præses est Cancellarius, uti in omnibus judiciis ubi est præsens.

In hoc Consilio Secreto quisque suam causam dicit, raro, imo numquam admittuntur Advocati.

Tractant de publicis Regni rebus, pace nimirum, bello, & aliis, item de injuriis illatis &c. In turbas, clandestina Consilia, animadvertisunt; pro cædibus, sagis &c. dant Commissiones ad alios judices. Si vero majoris ponderis quædam sint, ad Parlamenti congregationem ea differunt, eidemque deferunt. Sic ut non à vero aberret, qui hos, Deputatos Parlamenti judicaverit; Omnia enim minora apud hos, majora in Parlamento peraguntur.

#### COLLEGII IUSTITIAE vulgo THE SESSION

Tertium *Collegium est Iustitiae*, sive ut vocant, *The Session*, quod Rex Jacobus V anno M D XXXII instituit, ad formam Parlamenti Parisiensis, ex Præside & quatuordecim Senatoribus, quibus postea adjuncti fuerunt alii Senatores quatuor extraordinarii ex Secreto Consilio. Tres hic sunt Scribæ *The Clerks of the Session*, à quibus omnia acta Dominorum scribuntur.

Coram hoc collegio omnes civiles res totius Regni aguntur à 1 Junii ad 1 Augusti, & à 1 Novemb. ad ultimum Martii. Temporibus interjectis, scilicet quæ sunt serendi & metendi, justitium est & judiciariæ curæ relaxantur: Iudicant vero ex statutis Regni Parlamentariis, aut ex longa praxi, & ubi illa deficiunt, ex jure Cæsareo: jus autem non secundum rigorem juris, sed ex æquo & bono dicunt diebus singulis, præterquam diebus Dominico & Lunæ.

Regiæ causæ (& nullæ aliæ) aguntur singulis diebus Veneris, quarum catalogus ab Advocato Regio traduntur Cancellario. ab his non datur appellatio nisi ad Parlamentum, quod 100 annis vix accidit; nam si quis in Parlamento rursum causa cadat, magnum ei imminent periculum. exemplum est in Barone *Forbiss de Corsinda*, qui ob hanc causam Edinburgi in carcerem conjectus ibidem post duodecim annos mortuus est.

Omnis hi Senatores manent pro vita, vel ad culpam. quod & statutum de extraordinariis, per postremi Parlamenti actum, qui antea pro Regis libitu mutabantur. Ut autem valida sint eorum decreta aut sententiæ, opus est ut novem præsentes fuerint.

Præses Sessionis per postremi Parlamenti actum eligitur prima cujusque Sessionis die qui primus est actus. Nunc manet ille præses pro ista Sessione tantum, qui antea ad vitam. Potestatem habet solus absente Cancellario causas quas velit introducere.

In hoc Consilio primum audiuntur advocati utriusque partis, & ab amanuensibus omnia in notis capiuntur & scribuntur; postea, exire iis jussis, clausis foribus disputatur inter Dominos

Sessionis, Cancellario eos rogante sine ullo ordine; ubi satis diu disputatum, colligit suffragia, interrogans ordine, à dextris incipiens.

In quatuor Classes sese dividunt, ut munia sic vicissim facilius subeant. quatuor classem faciunt. duæ domus sunt, exterior & interior.<sup>43</sup> [29] In exteriori domo Senatores purpureis induiti togis, sedent, per vices, idque per septimanam integrum, die Lunæ excepto, quo unus tantum.

Omnes Advocati aperto capite dispuntant & stantes, exceptis Ducibus Parlamenti, & Consiliario, & Advocato Regio; sed Advocatus Regius exit, quando causæ interlocutoriæ aguntur, & post horam nonam intrat.

Est etiam quartus Scriba, qui Supplicum libellorum Clericus appellatur, *Clerk of the Bulls*. Intrat ille hora decima, & exhibet libellos supplices illi Domino, qui sequenti septimana sedebit in domo exteriori, cuius officium est tantum illa septimana subscribere istis libellis: de difficilioribus consulit reliquos Dominos ante horam 12. Solus ille sedet in certo quodam loco paulo inferiori, ad dextram Cancellarii, ante mensam. Hic vero in exteriori domo decidit statim minores causas solus, in majoribus causis ab hora 8 ad 9 consulit per interrogatoria (in medio stans) repentens summam eorum, quæ ab advocatis dicta & proposita, reliquis senatoribus, qui suum dant interlocutorium, quod, postquam exiverit, pronunciat in tribunali domus exterioris sedens, & sic de quibusdam statim per interlocutoria decernitur. Quæ non decernuntur, ubi difficultates adsunt, eorum ad interiorem domum est regressus.

Introducendi causas in domo interiori solus Cancellarius potestatem habet, suffragia colligit, at illo absente præses. Præses olim à Rege solo nominbatur, & ad vitam erat; nunc vero, per actum Parlamenti, ipsi Sessionis Domini Præsidem suum eligunt, prima Sessionis die, & sic per totam illam Sessionem Præses est.

Duo sedent semper post meridiem ad testes examinandos, ad juramenta partium rearum petenda, si ad juramentum eorum causa refertur: reliqui post meridiem non sedent, sed partes in ædibus audiunt.

Ius autem non secundum rigorem juris, sed ex æquo & bono dicunt diebus singulis (præterquam die Dominico & die Lunæ) à primo Novembbris ad ultimum Martii, & à 1 Iunii ad 1 Augusti. Temporibus autem interjectis, scilicet quæ sunt serendi & metendi, justitium est, & judiciariæ curæ relaxantur. Iudicant vero ex Statutis Regni Parliamentariis, vel ex longa praxi, & ubi illa deficiunt, ex Iure Cæsareo.

## SCACCARIUM CONSILIIUM

Scaccarium Consilium constat ex decem vel duodecim electis ex Consilio & Sessione & paucis Baronibus minoribus. Numerus illorum incertus; constituantur à Rege cum consensu Parlamenti, sedent in Scaccario singulis diebus Scotia circa horam nonam, judicant de regalibus: per Thesaurarium præsentantur omnes signaturæ, quæ debent expediri vel per magnum vel per secretum sigillum, vel per testimonium magni sigilli. Postquam ille legerit omnia, & Dominis retulerit contentum terrarum, cum ejus consensu summa petenti persolvenda imponitur. Locant costumas regias &c. subscribunt omnes agrorum signaturas, unde infeudamenta acquirentibus conceduntur, lingua vulgari; signatura deinde expeditur, & præceptum Regium lingua latina desuper dirigitur, primo per signetum à Secretario signandum, & ille custodit signatum pro suo Waranto, præceptum hoc in papyro Domino secreti sigilli custodi traditur. Tunc datur scriptori privati sigilli: qui præceptum lingua latina transcrit in pergameno, & in fine scindit particulam pergameni ad appendendum privatum sigillum, quod à Custode privati sigilli fit. tunc Directori Cancellariæ datur, ut scribatur in majori forma, & tunc Cancellarii deputato, qui magnum sigillum apponit. Et ex duabus formis chartarum, confirmationis & resignationis scilicet, præcepta nova ex Cancellaria ad infeodandum recipientem dirigi oportet post visam chartam sigillatam, eæque

---

<sup>43</sup> Catchword on p.28 is ‘Pur-’

chartæ corroborantur testimonio magni sigilli à Directore Cancellariæ, & registrantur in Cancellarii registro, & partibus dantur, quæ per Notarium Sasinam desuper conficit.

#### JUSTITIÆ FORUM.

In Criminalibus primarius Regis Iustitiarius forum suum Edenburgi plerunque habet (quod munus jam aliquandiu gesserunt Comites Argatheliæ) sed renunciarunt hoc Regi ab aliquot annis, nisi in insulis & parte aliqua Scotiæ borealis. Nunc vero Rex eligit Iustitiarium per diploma, pro vita, qui duos Iurisconsultos delegat, qui de capitalibus, aut quæ membrorum mutilationem aut universorum bonorum amissionem inferant, cognoscunt. Et hoc in foro permissum est reo, etiam in læsæ Majestatis crimine, sibi adsciscere Advocatum qui suam caussam agat.

Iustitiarii etiam in criminalibus nonnunquam Regia autoritate ad hanc vel illam caussam particularem cognoscendam constituuntur.

#### COMMISSARIATUS.

Fora etiam sunt quæ *The Commissariat* vocant, quorum supremum Edenburgi habetur, in quo coram quatuor judicibus agitur de rebus Testamentariis, jure Beneficiorum Ecclesiasticorum, Decimis, Divortiis, &c. id genus [30] Ecclesiasticis. In cæteris fere singulis Regni partibus ad hæc Iudices sunt singuli, à quibus datur appellatio ad quatuor Commissarios Edenburgenses.

#### FORA VICECOMITUM.

Inferiora etiam sunt in singulis Comitatibus fora civilia, in quibus Vicecomes, aut qui ab eo delegatus jus dicit incolis de ejectionibus, intrusionibus, damnis, debitis, &c. à quibus ob iniquitatem, aut affinitatis rationem ad *Iustitiæ Collegium* nonnunquam appellatur. Vicecomites autem, quos dico, plerique omnes sunt hæreditarii. Reges enim Scotorum, perinde ac Anglorum, ut nobiliores beneficiis sibi firmius astringerent, hæreditarios & perpetuos Vicecomites olim instituerunt. Quæ autem hinc intervenerunt incommoda, Angli statim perspexerunt, & consulto in annuos mutarunt. Civilia etiam fora habentur in feudis Regalibus ab ejus Ballivo, qui Regis munificentia regales consequutus est libertates, & etiam in liberis burgis, & civitatibus à Magistratibus.

Vicecomites sunt judices regionum; non judicant de terris, sed tantum de parvis rebus, qui non excedunt valorem 100 libr. Scoticarum, de quibus ad Supremum Senatum datur appellatio ante latam sententiam. omnes fere olim fuerent hæreditarii. Sed ab omnibus (solo Rothesiæ Comite excepto) Reges Iacobus VI & Carolus I, eas jurisdictiones ingenti pecunia redemerunt; adeo ut jam annuatim unum aliquem ex eo Vicecomitatu Baronem minorem Rex eligat, cuius nomen ad directorium Cancellariæ mittit, qui ei diploma dat ut ad Cancellarium mittatur, qui magno Regni sigillo munit. Cujus filius idem obtinuit à Rege. intra 48 horas judicant de furtis, homicidiis, & aliis criminibus capitalibus, sed flagrante crimine saltem eos carpere possunt sua auctoritate, sed à secreto Consilio ea obtenta semper potest prosequi & ubique secundum tenorum Commissionis. Si amici interemti homicidam cuperint, eum Vicecomiti tradere possunt, qui & eo casu judicium ferre potest, eumque vel suspendit vel submergit.

Lata autem sententia sæpe solet pars condemnata per suspensionem decreti provocare ad supremum Senatum Consilii & Sessionis, ubi rursum examinatur processus coram Vicecomite deductus, num bene vel male lata sententia.

Vicecomites etiam in suis territoriis, & magistratus in Burgis nonnullis de homicidio cognoscunt (homicida intra spatum XXIV horarum deprehenso) & à Iuratoribus reum peractum extremo suppicio afficiunt; verum tempore illo elapso, caussa ad *Iustitiarium Regium*, vel *Delegatos* refertur. Eodem etiam privilegio gaudent nobiles nonnulli contra latrones in ipsorum jurisdictionibus deprehensos. Sunt etiam qui ejusmodi habent Regalia, ut in criminalibus intra suos

limites jurisdictionem exerceant, & in caussis nonnullis intra ipsorum terminos habitantes à Regio Iusticiario revocent, cautione tamen interposita, ut ex lege jus tribuant.

#### ECCLESIASTICA GUBERNATIO.

Scotiæ Gubernatio Ecclesiatica hæc est. Primo, unusquisque Vicecomitatus dividitur in Sessionum loca, hæc in parochias, secundum magnitudinem & ut numerus fert. Ex parochiis conferuntur presbyteria.

Sessio Ecclesiæ est, quando minister cum Senioribus & Diaconis semel in septimana convenit, ut inspiciat in mores gregis sui, ut peccata corrigat, pœnitentiam reo injungat, tantum de fornicatione aut adulterio, rixis, violatione Sabbathi, &c. Si quis in isto judicio se læsum putat, potest appellare ad presbyterium suæ Ecclesiæ.

Unumquodque presbyterium habet suas Ecclesias, 10, 15, plus aut minus, secundum quantitatem populi, & qualitatem districtus: in unaquaque provincia sunt 4, 5, aut plura presbyteria.

Presbyterium est congregatio omnium ministrorum, cum sub tali presbyterio unusquisque minister secum habet unum ex Senioribus suæ Ecclesiæ tanquam adjunctum, & singulis septimanis die Jovis convenient in urbem destinatam, & post concionem audiunt appellationes, si quæ sunt, & decernunt. Si inde rursus reus appellare vult, ad Synodum suæ provinciæ fit. Synodus illa bis in anno convenit mense Aprili semel, & semel in Septembri. Omnes ministri & tot etiam Seniores convenient ad hanc Synodum, & per unam septimanam durat. Ab hac Synodo provinciali ad generalem totius Regni appellari potest. Synodus hæc indicitur principio mensis Iulii & finitur ante messem, id est, D. Petri festum.

Synodus generalis omnia decidit absque ulla appellatione, acta facit pro totius Ecclesiæ Scotiæ gubernatione, sed acta hæc à Parlamento ratificari debent. Ad Synodum illam generalem mittuntur deputati ex unoquoque presbyterio minister unus cum uno Seniore.

In hac Synodo peccantes ministri ejiciuntur, mutantur secundum petitiones urbium.

[31]

## GADENI sive LADENI.

*Ottadinis sive Northumbriæ vicini erant ΓΑΔΕΝΟΙ, qui LADENI etiam una inversa literula in nonnullis Ptolemæi exemplaribus dicti, in illa regione quæ Twedæ fluminis ostium & Edenburgi Fortham interjacet, hodieque in multas divisa regiunculas, quarum præcipue<sup>44</sup> sunt, Teifidale, Twedale, Merch, & Lothien Latinè Lodeneium, quo uno nomine omnes apud medii seculi scriptores erant comprehensæ.*

TEVIOTIA,  
vulgo  
TEIFIDALE.

*Tefidale, id est, Vallis ad Tefium sive Teviotum fl. inter abruptas collium & cautium crepidines, Angliæ proxima, à bellicosa gente habitatur, quæ ob creberrima bella superioribus seculis inter Scotos & Anglos, in militiam & repentinæ incursiones expeditissima.*

Inter hos primum occurrit *Jedburgh* Burgus non infrequens, prope *Teifii* & *Jedi* confluentes, unde nomen factum: & *Mailros* monasterium admodum vetustum, in quo surgente apud nos Ecclesia monachi erant veteris illius instituti, qui precibus vacarunt, & manuum labore victum quæsiverunt.

Magis ad Ortum, ubi *Tveda* & *Teifus* aquas confundunt, *Roshurg*<sup>45</sup> quod & *Roxburg*, olim etiam MARCHIDVN, quia erat limitaneum, ubi castrum & sua positione & turritis arcibus olim firmissimum, quod ab Anglis occupatum, dum Iacobus II rex Scotorum obsidione incinxit, fragmine majoris bombardæ fortuitò diruptæ in juventutis flore suis desideratissimus immaturè periit: Castrum autem deditum, & maxima parte solo adæquatum, jam quodammodo disparuit. Territorium autem adjacens, hinc Præfectura de *Roxburg* dicta, suum habet hæreditarium Præfectum sive Vicecomitem è familia *Douglassia*, qui vulgò *The Shrif of Teviotdale* appellatur. Nunc verò & suum Baronem Robertum *Ker*, gratia regis Iacobi Sexti, habet *Roxburgh*, ex familia *Kerrorum* hoc in tractu imprimis celebri & numerosa, è qua *Fernherstii* & alii bellicis studiis innutriti plurimum inclaruerunt.

---

<sup>44</sup> i.e. *præcipue*

<sup>45</sup> i.e. *Rosburg*

[33]

TWEDIÆ  
ET  
PROVINCLÆ PEBLIANÆ  
DESCRIPTIO.

Tweda vallem à se denominatam, ovibus, quaram lana in magno pretio, refertissimam, interfluit. Eximus sanè fluvius, qui interius ad. Occasum inter montes æditus, recto quasi alveo per *Drimlar castrum*, *Peblis* forum quod suum habet Vicecomitem Baronem *Zester*, ut etiam vicinum *Selkirk* suum è familia Moravia de *Fallohill*, delatus, *Lauderum* fluviolum recipit, ad quem *Lauder* cum *Thirlestane* cernitur, ubi per pulchræ sunt ædes Ioannis Metellani, non ita pridem Scotiæ Cancellarii, quem ob singularem prudentiam Baronem de *Thirlestane* Rex Iacobus Sextus creavit. Inde *Tweda*, sub *Roxburg* advenis *Tevioti* undis auctior, per Præfecturam de *Berwick*, magna ex parte ab *Humiorum* gente possessam, in qua ejus familiæ Princeps Vicecomitis jurisdictionem nunc exercet, irrigans, sub *Berwico* munitissimo Britanniæ oppido, de quo dixi, salmonum feracissimus inmare prolabitur.

Peblianam Provinciam finiunt, ab oriente præfectura Selkirkensis, à meridie Anandiæ Senescallatus, ob occidente Lanarcæ vicecomitatus, & denique à septentrione Lothiana: media in longitudinem porrigitur ab Arici lapide ad rivulum, quem vulgo vocant Barthorburne, plus minus vinti octo millia passuum. Quà vero latissima est, inter gelidi lapidis hiatum vulgo *the Cald Stonestap* ad lacum occidentalem Lobiorum, vulgo *the West-Mary Loth of the Colæbes* octodecim millia patet: præcipuus quo irrigatur fluvius est Tweda, cuius fons & origo ad Arrici lapidem & locum, quem vulgo Twedæ crucem vocant. Fluvius hic per totam provinciam quà longissima est decurrit: ab eo olim toti provinciæ inditum suit Twedaliæ nomen.. Citra hunc fluvium septentrionem versus varii sunt amnes memoratu digni. Primus est Ithomius amnis, quem excipit Biggeri rivulus, priusquam in Twedam delabitur, paulum infra Drummelzarum. Deinde occurrit Lini amnis à gelidi lapidis hiatu decurrens per novem millia passuum, donec in Twedam sese exoneret ad duo millia passuum supra Pebli. Hic amnis tres patitur pontes lapideos, unum Lini, alterum Novagriæ, tertium Lintonæ. Tertius est amnis Pebliæ à Lothianæ fimbriis seu finibus profluens, qui suo decursu octo millia passuum emetitur antequam Pebliam attingat; ubi in Twedam se devolvit. Quartus est amnis Innerlethanensis à Lothianorum montium radicibus promanans per sex millia passuum ad Innerlethanam usque, ubi in Twedam influit. Hujus Provinciæ Lacus insigniores sunt duo: unus in Parochia Edilstanensi, quem lacum occidentalem vocant. In eo circa Calendas Sextiles tanta exuberat piscium fluvialium, præsertim anguillarum copia, ut vento secundo, id est, à lacus capite ad ejusdem profluviū spirante, ubi rivulus quidam erumpit, accolæ, piscandi gratia eò congregati, & in lacus effluvio capiendi opportunitatem præstolantes, piscium erumpentium vi nonnunquam disjiciantur, amissa, quam pedibus sibi figere ac firmare nixi sunt, statione. Vt cunque retibus & nassis vimineis incredibilem anguillarum, aliorumque piscium fluvialium multitudinem excipiunt, ac non modicum inde quæstum faciunt. Alter lacus, quem Genensem vocant, montis cognominis summitatem occupat, estque mille passus longus & quingentos latus: ejus profluviū in Annandiam decidit ad immane præcipitum, per ducentos quinquaginta passus de montis cacumine in planitiem radicibus montis cohærentem; ubi sæpe reperiuntur pisces ex præcipite casu demortui. Ultra Twedam meridiem versus duo sunt amnes insigniores: videlicet amnis Quariæ, unde nomen habet arx Traquariensis, prope quam in Twedam devolvitur; & Maneri amnis ex fonte cognomine oriundus, qui in Twedam labitur, paulo infra Maneri templum. Twedam piscatu nobilem reddit in primis magna exuberantia Salmonum, eò ex mari tempore aestivo ascendentium, ibique per magnam anni partem commorantium, quorum nonnulli deprehenduntur ad mille passuum infra Twedæ caput. In eodium ut & in aliis huus Provinciæ amnibus ac rivulis magnâ affluentâ suppetunt Trutæ aliisque fluviales pingues ac salubres. Hæc regio cælo gaudet temperato, aëre que, ut plurimum, sudo [34] ac sereno. Solum habet montibus passim intumescens, ex quibus ii qui Twedam aliorumque amnium ripas hinc & hinc proxime spectant, virentes, amœni, & pascuis admodum accommodi sunt. Hic etiam multæ

sunt valles & planities ad utramque<sup>46</sup> ripam Twedæ aliorumque<sup>47</sup> amnium jacentes, quarum aliæ frugum, aliæ fœni feraces; adeo ut campus frumentariis & pascuis sibi sufficiens sit hæc Provincia, licet incolæ maximam partem ex pecore & gregibus vicitent; inde enim subministratam habent lactis, casei & butyri affluentiam. In humilioribus Provinciæ locis, qua proxime Selkirkum spectat, oves tam salubri ac sicco utuntur pabulo, ut, quod in aliis regionibus vix contingit, decimum quintum attingant annum priusquam senio confectæ moriantur. In hac Provincia unum tantum est Burgum Regale, sive urbs, Peblia dicta, unde tota Provincia nomen habet: ea autem sita est in loco satis amœno, videlicet inter Twedæ fluvium & amnem Peblianum. Celebris est hæc civitas quinque ternis ornamentis, nempe tribus templis, tribus campanilibus, tribus portis, tribus plateis, tribus pontibus; quorum unus, qui nempe Twedam trajicit, quinque arcus habet (alium pontem non patitur Tweda, donec Bervicum pertingat;) alias duorum arcuum amnem Peblianum superequitat. Supra Pebliam haud procul est Nipetha arx, pertinens ad Twediæ Comitem, Provinciæ Vicecomitem hæreditarium, cuius majores olim Yesteri Domini dicti, ex nobilissima Hayorum Erroliæ familia prognati, istarum duarum incolæ antiquitus fuerunt. Ad quatuor millia passuum infra Pebliam sita est arx Traquariensis ad Traquariae Comitem pertinens, cuius situs nemorum umbris, & præterlabentis fluvii amœnitate valde amabilis. Cæteræ arces & Domus præcipuae sunt Perna, Greistona, Cardrona, Ormistona, Polippocastrum, vulgo Horsbrug castell, Fabricampium vulgo Smithfield, Manerii castrum, Posso, Caverillum, Horrea vulgo Barnes, Davicum, Drummalzarum, Stenhopa, Polmuda, Bostus accipitris, vulgo Halkshalk, Kingdoris, Kutlehall, Cardrona, Litilhope, Hartrea, Skirlinum, Vrda inferior, Ecclesiæ Vrda, Quota, Quota<sup>48</sup> aula paludis, vulgo Halmyre, Romano, Drochelium, Cringlea,<sup>49</sup> aula obscura, vulgo Darnhall, Winkiston & Fouledge.

Multi sunt in hac Provincia montes, quorum pauci admodum, aut nulli saxosi: magnitudine autem & altitudine præ cæteris eminent, Cervorum mons, vulgo Hartfiell; Latodunum cervini lapidis, vulgo Braidalb, of Hertstone: hunc inter alia commendat magna copia ferarum, avium, præsertim atagenarum albis maculis interstinctarum, saporis delicatissimi. In montis summitate lata patet planities, unde prospicere licet omnes circumcirca Regiones, magnum Oceanum & Mare Hibernicum interjacentes. Reliqui montes sunt Kingdoria, Cardonfiell, Gaddersnalb, Whonifell, Wormell, Wamlalb, Radinshope, Dolerlalb, the Linksbeppus & Minshnure.

Drummalzarum præterlabitur exiguis quidam rivulus nomine Pausalia, quæ in Twedam influit ad templum Drummalzarense; in cuius cœmiterio sepultum fuisse olim vatem Merlinum memoriae proditum est, fuitque olim rithmo vulgari editum vaticinium in hunc sensum. Quandocunque ad Merlini sepulchrum ad unum current Tweda & Pausalia, tunc procul dubio unius & ejusdem Regis imperio subjecti erunt Scotti & Angli. Quod quidem vaticinium adimpletum

---

<sup>46</sup> Abbreviation ‘utramq;’ expanded

<sup>47</sup> Abbreviation ‘aliorumq;’ expanded

<sup>48</sup> False repetition

<sup>49</sup> Punctuation added

fuisse contendunt Pebliani, quo die Iacobus sextus Angliæ Rex coronatus fuit, eo namque die Twedam & Pausaliam nova ac inusitata exundatione, extra alveos suos exuberantes, effusis utrinque aquis, in dicto coemiterio ad Merlini sepulchrum prædictum vaticinio congressum habuisse, quod tunc primum contigisse, nec ab eo tempore unquam denuo evenisse ferunt.

Igni in hac Provincia pabulo sunt partim glebæ & cespites, quorum magna passim copia per totam Provinciam: partim carbones, quos quibusdam in locis ex Lothiana advehunt; alibi vero ex puteo quodam carbonario intra ipsius Pebliæ limites sibi subministratos habent. Est etiam magna calcis abundantia in variis provinciæ locis; adeo ut huic Provinciæ nihil fere desit, quod ad usum quotidianum, sive victum, sive vestitum, sive focum spectes, homini necessarium sit. Quod ad hujus Provinciæ parochias & presbyteria attinet, in ea unum est presbyterium integrum, nempe Peblianum, una cum quatuor parochiis ad Biggarense presbyterium pertinentibus. Presbyterium Peblianum constituunt & compleant hæ Parochiæ, videlicet Pebliana, ubi presbyterii sedes, Innerlethensis, Traquariensis, Cailzensis, Maneriensis, Dalvensis, Drumelzarensis, Twedamirensis, Kirburdensis, Stoboensis, Lintonensis, Linnensis, Novagriensis, Edlestonensis. In universum Parochiæ quatuordecim. Reliquæ quatuor parochiæ sunt Glenwhomensis, Kilbochensis, Brochtonensis & Skirlingensis.

[ij 33]

**LAVDERDALIA.**

**Laudelia Vallis, aut Lauderda<sup>lia</sup>, à fluvio Laudero, nomen habet.**

Oritur hic Fluvius in montibus, qui regionem hanc à Lothiana separant, & variis rivulis auctus meridiem petit, & in Twedam se exonerant.

Laudera urbs & arx hunc vallem ornant, ut & Dominium Thirlestaine.

Ab Oriente Merciam habet sibi conterminam, à Meridie Twediam, quæ etiam latus occidentale claudit. Lothiana ei à Septentrione est.

Regionis hujus, ut & aliarum quarundam, amplam descriptionem promiserat Illustrissimus ac Nobilissimus Dominus *Ioannes Lauderda<sup>liae</sup> Comes &c.* sed bellis hisce Britannicis Regias secutus partes, in pugna ad Worchestriam captus, impeditur; tu hisce fruere Lector, donec ille restitutus fuerit, vel aliis quidam meliora dederit.

[35]

## MARCIA.

**Marcia dicta est, quod in limitibus Scotiæ & Angliæ prima occurrat ab oriente; March enim limitem significat. & quanquam regionem ipsam vulgus Mersiam jam pronuntiat, Marchiæ tamen comitatus, qui in hac provincia late patet, Dumbarorum olim patrimonium, nomen vetustum adhuc retinet.**

In media fere regione est Dunsum oppidulum; ubi præfectus annuus (Serifum vocant) Marcianis jus dicit. Fuit hoc antiquum patrimonium Dunsorum cognominis oppiduli Dominorum: è qua familia natus est nobilis ille Doctor Subtilis, Ioannes Duns, Scotti agnomen à Patria adeptus: hodie gentiles pauci supersunt, oppiduli ejusdem cives.

Supra Bervicum (vetus Marciæ caput) Tweda fluvius Northumbriam Angliæ Regionem à Marcia separat, usque ad *Carhomum* castrum: inde torrens Reddenburn dictus, è Zeviota monte profluens, Northumbriam dispescit à Teviotia, sive Tevidale, Scotiæ regione. ab occidente brumali Edna fluviolus, (qui prope Spraustonam Twedæ admiscetur) Marciam dividit ab eadem Teviotia, usque ad locum Smelum-mill: exinde limes recta fere linea versus occidentem extenditur ad Lauderum sive Lyderum flu. prope castrum Rippeth. ultra Rippethum Lauderus fl. (usque ad rivulum qui Boun dicitur, prope locum Boun-mill) Marcia Lauderiae sive Lauderdeliae limes est. atque ipsa quidem Lauderia, Marcia pars est, patrimonium olim Morvilliorum, (qui exteri & quorum stirps effe desiit,) Comitum Stabuli in Scotia. ejus familiæ Majestatis damnatae interitu, Lauderia Regis annexa patrimonio, more agrorum regiorum, Iudicem sive Balivum habet peculiarem: quo Magistratu fungitur nobilissimus Dominus Ioannes Metellanus Lauderdeliae comes. Ultra fontes Boun rivuli, Marcia limes per obliquam lineam in mappa depictam extenditur per medios montes Lamyrios, qui ipsi partim ad Marciam, partim ad Lauderiam, partim etiam ad Lothianam spectant: à septentrione clauditur fluviolo, Dunglassum Comitis Humii arcem præterfluente. Reliqua Oceanus Germanicus alluit.

Supra Rippethum in ripa Lauderis fl. est Ersildunum villa, Thomæ Lermonthi patria, qui vixit ad annum à nato Christo M CC XC. Is præter multa alia vaticinia eventu comprobata, prædictus ex Roberti Brusii (qui postea rerum in Scotia potitus est) filia nono gradu oriundum, qui divisa Britanniarum Regna communi imperio gubernaturus esset. quod oraculum diu jactatum, tandem post annos plus trecentos, in Iacobo VI Scotorum Rege ad Anglorum imperium feliciter erecto, fuit expletum.

Tota Marcia, intra Lamyrios montes pascuis admodum felices, arvo fertili numeroosos alit incolas, in pace industrios, in bello strenuos: qui adversus Anglos modico fluvio diremptos sua fortissime defendebant. Multas etiam habet arces firmissimas, adversus Anglorum exercitus tuta olim receptacula: quarum præcipuae sunt Humia in colle accliva sita, quæ Humiæ Comitibus, totique Humiorum genti in Marcia potentissimæ nomen dedit: & Fascastellum in promontorio Maris Germanici, natura loci & hominum industria munitissimum. Dunsum etiam, Langtona & Nisleta<sup>50</sup> sunt arces admodum firmæ. uti & Waderborne, & Aytona Humiorum ambo.

Infra Fascastellum arcem in littore maris Germanici est Coldingamia, nobile & opulentum nuper cœnobium, Edgari Regis Scotorum opus, qui vixit ad annum à nato Christo M C. Divæ Ebbæ virgini dicatum, cuius etiam promontorium propinquum, vulgo Ebbes-head, navigantibus satis celebre est, posterius in D. Cuthberti nomen translatum. habebat & Marcia Monachorum cœnobia Caldstremum ad Twedam fl. & interius Ecclesiam Strafintanam (sive Trefontanam) & S. Bothani à

---

<sup>50</sup> i.e. Nisbeta

Marciae Comitibus, aut earum<sup>51</sup> uxoribus fundata.

Sunt in hac provincia Curiæ, sive parochiales, ut vocant, Ecclesiæ 35. in diœcesi Episcopi Edimburgensis.

Tota Regio abundat omnibus ad usum vitæ necessariis: nisi quod Lithathratas, sive carbones lapideos ex vicinis regionibus ad ignis pabulum plerique cogantur invehere, præsertim qui versus Twedam spectant. Tota etiam splendidis nobilium villis egregie decorata est, excepta maris Germanici ora, quæ solo asperior est & incultior.

---

<sup>51</sup> i.e. eorum

[37]

## LAVDEN sive LOTHIEN.

**Regio Lethiana, vulgo male Lothiana, pejus Laudonia, à fictitio Pictorum Rege, uti volunt scriptores denominata, cum revera nomen habeat ab amne Letha medium eam intersecante. olim Regio hæc faciebat partem agri Attalinorum, vel Attacottorum, qui totum illum terrarum tractum inter Tinam & Boderiam secundum mare incolebant, ut ipsorum nomen est indicio; nam Atta est littus, & Lin est domus, habitatio, ut Cotte, quod alibi luculenter docemus.**

Cæterum Regio hæc coërcetur ab ortu mari Scotico, à Septentrione Boderia eam cohibet, ab occasu habet præfecturam Sterlinensem, à qua discernitur fluvio Æveno; ab austro versus ortum limes est Cocharus amnis, qui fluens à vicinis collibus ingreditur mare Scoticum cujus ostium vulgo dicitur Cokberspath pro Cokarsmonth, quod scriptores male vocarunt Cockburni saltum, cum nullus ibi sit saltus vel silva. A fonte Cockari versus occasum est longus tractus terræ editæ, aridæ & incultæ, quam vernæ nostri vocant Lamor, melius Laumore, nomine composito ex Lau, sive Loff, unde *Loftie* nostrum, quod notat excelsum, editum, altum; à Græco verbo λο\_ς, quod significat locum editum; & *Mure* sive *Moore*, quod nostratisbus est terra arida & inculta, ut ericetum, à colore procul dubio; ejusmodi enim terra est obscuri coloris & fusca, si cum virentibus vallibus comparetur, à Græco itidem μα\_ρος quod est fuscus, obscurus. Porro Lomuria nostra ascendit in frequentes colles, ex quibus post longum minorum collium tractum unus est præ reliquis eminens, & dicitur vulgo Lomure Law, idest Lomuriæ locus altissimus; siquidem Law, Lo & La, uti diverse pronunciant, nobis est locus editus, ut jamjam dictum, atque id æquè cum seorsim sumitur, ac in compositione. Lomuria, sive Lamuriæ colles terminant post Cokarum regionem hanc ab austro maxima ex parte; & ubi desinunt hi colles, declinantes ad austrum, pars vallis Glottianæ est, vicina Provinciæ huic nostræ: pars hujus regionis, ab ortu versus occasum, proxima Lomuriæ, est altior, magisque edita quam ea pars quæ est ab illa remotior Boderiæque propinquior. Hæc regionis pars editior vulgo dicitur Penlania, malè rudiores pronunciant Pentlandia; nomen est compositum, & notat altam Terram, nam Pen, sive Pin, sive Bin, est Altum; hinc alpes Peninæ, & per contractiones Apenninæ, sunt altæ alpes; & Lana est terra, manisio, ab Hebræo \_\_\_\_ Lun habitare: male nonnulli vocant hanc terram Picklandiam,<sup>52</sup> quasi vero hæc pars regionis magis pertinuerit ad Pictos, quam reliqua. Tota hæc Penlania sese attollit etiam hic illic in montes, qui dicuntur montes Penlaniæ, non Pictici, ut vulgo volunt. Penlania, ut regiunctula vicina, dicebatur olim Horrestia \_ρέστια id est mansio vel statio, \_ρειστ'v id est montanorum, ab \_ρος mons. In hac vicinia est vestigium prisæ appellationis in Forrest, quo nomine insigniture parvus pagus in hoc tractu; voce enim Forrest nos denotamus silvam, quia mons propriæ est sedes silvæ, sive procerarum arborum: ita Orestia & Forrestia, est regio montana. Hujus regionis fluvii insigniores sunt hi, Cocharus qui descendens à Lomuria influit in mare Scoticum, ut dicebamus: sunt & alii duo fluvii in hac insula huic synonimi, quorum unus est in Cumbria, alter in Lancastria, ambo influentes in Mare Hibernicum, ita vero nominantur, quia defluunt è locis editis; Ar est mons, & Cok sive Coch, Græcè κόχος Fluvius. Secundus fluvius notatu dignus est Tina, qui defluens è Lamureis montibus currit ab occasu versus ortum, & tandem recipitur à mari Scotico; ad cujus ostium est locus, qui vulgo dicitur Tyningamia, pro Tinninhamia, id est habitatio ad Tinam. Hic amnis, ut alii ei cognomines in hac insula, nominatim is ad quem Hadrianus construxit Murum, nomen habent à luto \_\_\_\_ nam thin est lutum, illuvies marina. Tina autem nostra, antequam sese misceat mari, multos in sese recipit torrentes, nominatim Ketham. Amnis Billus vel Bellus, currens ab occasu in ortum intrat etiam mare Scoticum. ad hujus Billi ostium est villa quæ vulgo dicitur Bilheavan, idest, portus Billi; Billus autem nomen habet, ut alii fluvii ei synonimi, à Græco ε\_λέω volvo, quod volutatim fluant. Sequitur Peffer, vel Phefer, sed melius Pever, vel Bever; lacus aqua stagnans profunda, potius quam fluvius, sese exonerat tamen in Mare Scoticum, uno ostio ab ortu; ab occasu autem rivulus ab eo fluit alioversum; nomen habet ut Bapheru flu: Græciæ à \_\_\_\_ Bavir profundus. Est & aliud apud nos

<sup>52</sup> i.e. Pictlandiam ?

in Iernia Pefer vel Bever, in quo est insula, quæ vulgo dicitur Pepharia insula, ubi erat olim nobile monasterium. Post hunc sese offerunt duo amnes synonimi, vulgo Escæ dicti, pro Isacæ, quorum alter dicitur australis Esca, alter borealis: hi fluunt ab occasu [38] in ortum, coeunt autem in unum prope Dalchethum, unde confluunt in Mare Scoticum, non procul à Mussilburgo. Multi sunt alii fluvii hisce cognomines in hac insula, præsertim duo ultra Taum in Venectionibus; origo nominis est à matrice lingua, in qua *Iatsac* est effundere, fluere. Deinde venit torrens Medlan, sic dictus à Magdalena; cui, tempore religionis Romanæ, ad ejus ripam erat capella dicata, prope pontem lapideum, quo torrens transire<sup>53</sup> solet. Post hunc se ostendit Letha, fluviorum hujus regionis princeps, fluens ab austro è locis editioribus versus boream, ad Fortham, cum quo ubi se commiscet est portus apud nos omnium maxime nobilis. Ager, per quem hic fluvius currit, est frugum feracissimus, ita ut ad ejus ripam intra pauca milliaria ultra quadraginta quinque molas farinarias numeres. nomen hujus fluvii venit ab Hebræo *Leath*, effendere, fluere; sicut & nobilis ille fluvius Lethe in Græcia. Proximus fluvius insignis est Aimonius fluvius, vulgo male Latinizantes Almon; nomen est compositum ab Ai vel Ay, quæ vox denotat amnem; ita quidem amnis apud nos in Martia vocatur, & urbicula ei adsita Aiton, unde & nomen familiae nobilis. altera pars compositionis est Mon à Saxonica Mund, quod significant Os vel Ostium: hinc ita Aimun , vel Aimund, proprie est ostium fluvii Ai, qui vocatur alio nomine vulgari Cramund, rectius Cranmund; Cra pro Cran hic ponitur, ut in illo Craford, pro Cranford. Cranmund etiam significat octium aquæ, nam κράνα est fons aquæ, unde Cran. Ultimus fluvius est Evenus, qui defluit ab austro itidem è locis editoribus, & influit in Fortham. Multi alii sunt hujus nominis fluvii in hac Insula; Origo nominis est etiam Hebraea *Ain*, dum significat fons, sicut est, ut & alii plures amnes, sed minores in hac regione; sed omnes influunt in hosce majores, quorum meminimus, vel non sunt tanti nominis; unus tamen non est prætereundus, quem ferme oblitus eram, qui præterfluit villam Lebetonum, descendens è montibus Penlaniæ, & recipitur in lacum Didistonum, unde currit in æstuarium Forthæ: hic videtur olim dictus Leber, quo nomine varii sunt apud nos insigniti fluvii, à λείβῳ dispergo, perfundo: ad hujus ripam sita est villa Lebertona, hodie vulgo vocatur Fagotus hic amnis; hoc nomen est diminutivum à ὄγος, quo nomine varii nuncupantur fluvii, nominatum celebris ille in Elide Phagus, dicitur à πήγη sive παγε fons, hoc ab Hebræo *Phacah*, id est, fluere, fundere. Non procul ab hoc amne, prope ædem facram viciniæ, est fons, è cuius scaturagine ebullit oleum simul cum aqua, sive Balsamum præpingue densiusculum, supernatans aquæ, quod vicini statis diebus collectum in plurimos menses conservant, ibique contra detorsiones & dolores artuum contraque γρίαν, Scabiei speciem, tanquam optimo remedio utuntur. Omnes prædicti amnes fere non uno in loco habent pontes lapideos, quibus transeuntur. Regio hæc omnium Scotiæ Provinciarum st longe prima, sive copiam rerum usibus humanis necessiarum, quæ vel in ea nascuntur, vel in eam deforis apportantur consideres; sive loci amoenitatem, in quo reperias valles gramine virides, campos frugum feraces, colles & loca edita gregibus ovium admodum referta species. Incolæ autem hujusce regionis ut sunt multo plures quam ullius apud nos regionis, licet multo majoris, ita multo aliis cultiores, & homines omnis gradus sunt multo hic ditiores quam in ulla alia Provincia, quod partim evenit à felici rerum proventu, quea hic nascuntur, partim etiam à mercatura rerum venalium, quæ plus hic quam alibi exercetur. est enim hæc Regio non tantum toti Regno commune quasi emporium, sed etiam exteris. Fluvii omnes piscibus abundant; & mare proximum accolis suas etiam copiose subministrat opes, ut nihil de iis piscibus quos certis amni tempestatibus varii generis Mare suppeditat.

---

<sup>53</sup> i.e. transiri

Ineunte autumno prope Dunbarum tanta est captura halecum per aliquot septimanas, ut non tantum pro tempore pauperiores propinquui iis alantur, sed etiam sale conditæ in sequentes anni tempestates ad ditiorum usum conserventur. Præterea certo anni tempore, peculiari numinis beneficio, aves marinæ instar anserum, unde vulgo anseres vocantur, ab exteris regionibus huc ad nos volant, & super rupe in æstuario Forthæ, cui Bassa est nomen, sedem capiunt, ubi ova sua pariunt & parta super ipsa rupe statutum tempus fovent, excludunt; nullibi anseres hujus generis in tota Europa invenias, præterquam in altera rupe in æstuario Glottæ ad occasum. horum tanta est copia hic, ut dominus loci non exiguum ex iis faciat quæstum; nam non solum caro harum avium est esui apta, sed etiam pennæ inserviunt farciendis culcitrīs: mira narrantur ab Historicis nostris de hisce avibus; veniunt autem ad nos circa Idus Aprilis per turmas, & decedunt à nobis circa Idus Septembbris. sed ante adventum turmæ præmittunt quosdam velut speculatores & mansionarios, qui mansiones visant & antè designant. Anser tantum parit uno tempore unum ovum, quod super rupe tanta dexteritate in altero extremo insight & fixum pede foveat, quod nunquam vel raro admodum derelinquit, donec pullus excludatur: quod si Anseri tollere ab ovo pedem, & id relinquere, atque ab ullo homine à sede moveri contingat, est impossibile ullo artificio ita id in rupe reponere ut fixum maneat, quare Anser aliud ovum de novo parit [39]in locum deperiti & id in sede prioris statuit. hoc est proprium hisce anseribus, quod nullo modo nisi videant mare volare possunt: hoc hominibus innotuit, cum aliquando turbine ventorum fortè delati, se deprehendi perciperent, à rupe in terram continentem extra conspectum maris manus capientium effugere volatu conantes, se non posse volare manifestè prodiderunt. Pulli cum ad magnitudinem anserum domesticorum pervenerunt, tum sunt esui suaves & apti, & vix prius. Caro seniorum anserum est dura, macra, & nigra, licet plumæ sint albæ. Cum ad Bassam veniunt, magnam piscium vim, unde illic vivant, secum apportant, qui interdum hominibus illic degentibus in prædam cedunt, & iis pro cibo sunt. Adferunt itidem secum tigilla, unde nidos conficiant, & hæc etiam rupis incolæ capiunt, & iis in ignem utuntur. Hi anseres nomine vulgari è Latino, ut puto, detorto, Solen vocantur, quod male pronunciant Soland, id est anniversarii: ad nos enim veniunt semel unica solum vice in toto anno. Nonnullis vocantur vulgo Scoutis, id est *\_τά ἰσται*<sup>54</sup> ab exquisita audiendi facultate, qua omne genus anseres pollere tradunt rei naturalis Scriptores. Sed ego potius credidero Scoutis dici emissarios illos anseres, de quibus supra. Oppida hujus regionis sunt hæc præcipua: Dumbarum sive Baradunum ad Mare Scoticum, ubi est portus & super rupe est arx diruta, olim Comitum Marciæ, à quo loco cognomen habebant. Nomen est compositum à Dun id est mons & Bar sive Baris quod significat turrim. Secundum oppidum est Haddina vulgo Hadintona, nomen habet quod sit sita ad Tinam amnem, ubi erat olim nobile monasterium in planicie situm. Tertium oppidum est Dalbethum,<sup>55</sup> ad confluentem duorum amnium Isacarum cum arce & territorio vicino. Hoc oppidum erat per aliquot ætates Patrimonium Duglassiorum, sed nunc ad Scotos pervenit. Nomen habet à Dal est collis; & Beth,<sup>56</sup> id est tegumentum, tectum. A Dalbetho plus minus mille passuum versus occasum erat nobilis illa Abbatia ad Escam, in loco humili, nomine Neobotellum, quod per interpretationem est novum ædificium. Est hodie Domus comitis Lothianæ de familia Berorum.<sup>57</sup> Quartum oppidum est Musselburgum non procul ab ostio Isacæ, ita dictum, quod primitus esset sedes paupercularum piscatorum, qui incumbebant collectioni conchilarum omne genus, nominatum muscularum.

De Letha & Edinburgo seorsim. Ultimum oppidum, de quo dicemus in hac Provincia; id est

<sup>54</sup> i.e. *\_τάκο\_σται*

<sup>55</sup> i.e. Dalkethum; so also Dalketho below

<sup>56</sup> i.e. Keth

<sup>57</sup> i.e. Kerorum

quod appositissime, maximè Gentilis noster, appellat Limnuchum, nomine Græco λιμνο\_κον, id est vicus ad stagnum: nam ο\_κος est vicus, & λιμνη est aqua stagnans, ut alibi dicemus. Hoc oppidum antiquitus erat Lindum à Lin, id est habitatio, & Dun collis vulgo: hodie vocatur Linlithgolb, qua appellatione plenè datur ratio situs; nam Lin est habitatio, quæ toties occurrit in nominibus locorum, & Leth est aqua, ut supra vidimus, Golb est collis ab Hebræo Λαχ\_ Gaah, attollere, elevare, locus editus: & revera urbs hæc sita est ad Lacum non ita magnum super colliculo. In hac urbe est palatium Regium & templum etiam elegantis structuræ.

Multa erant olim, præter prædicta oppida, loca munita, castra & arces, de quibus nos hoc in loco tacemus, cum lapsus temporis & vicissitudo rerum omnia mutarit: de una tamen & altera arce paucis hic dicere visum est. Arx etiam hodie munitissima Duglassiorum, sita super rupe undique præerupta & mari circumdata, præterquam ad occasum, ubi est arcis introitus; & hæc etiam pars munita est boleriis. Duglassi olim ædificarunt hanc arcem, qua reprimerent tyrannidem Comitum Marcii, qui tunc temporis omnes vicinos, saltem debiliores, potentia sua vexabant. Hæc Arx vulgo dicitur Tantallon corruptè, unde Latini scriptores nominarunt Tantallonem: Ratio nominis hæc est: Magistri ο\_κοδόμων sive fabrorum, sive fabro-murarii præcipui, imposita operi manu extrema, obtinuerunt à Domino loci in præmium laboris & industriæ suæ, ut nomina ipsorum in locis murorum arcis maxime conspicuis majusculis literis inscriberentur. Nomina vero ο\_κοδόμων erant Thomas & Allanus, pro quibus vulgus nostrates Tom & Allon, unde confectum est nomen compositum Tomtallon. Hæc arx fuit diu obsessa à Iacobo V. Rege, & tormentis æneis diu neverberata, sed irrito fere labore, quare post exiguum murorum laesuram solvere coactus suit Rex obsidionem. In mari plusminus uno milliari ab hac arce exurgit rupis Bassa, undique præerupta, cuius vertex est gramine tectus & ad summum fere est aquis dulcis: ambitus rupis est plusminus mille passuum. æstus maris violentia sua inferiorem partem rupis perforavit fere ab uno latere ad alterum; multæ aves marinæ hic conveniunt ubi nidos faciant, nominatim anseres, illi de quibus supra.

In diversa parte provinciæ hujus ad Boderiam, super colle ædito, est diruta arx olim Duglassiorum, nunc ad Hamiltonios pertinens, nomine Abircornia, ubi erat antiquitus Monasterium nobile, quod diebus illis vocabant Aberkernit. Ratio nominis est à situ petenda: siquidem Aber, vel Keber, ut alibi pronunciant, ædificium notat; cuius diminutivum Gallis dicitur Cabaret. Corn vel Kern vel Kernig, ut olim pronunciabant, significat locum æditum, & venit etiam ab Hebræo Κέρνη, quod inter alia notat locum elevatum ut Cornu.

[40] Uno vel altero miliari versus ortum ab hac arce ad ripam Boderiæ incipiebat Murus ille Severi, vulgo Grames Dyk, qui ab ortu in occasum perductus fuit ad ostium Glotten, quod alibi docemus. Tota hæc provincia referta est elegantibus ædibus Nobiliorum & Ditiorum, quæ amoenæ sunt, propter situm ad aquas & hortos cum arbustis, quibus decorantur.

Hæc Provincia in tres voμαρχίας sive præfecturas dividitur, quæ vulgo dicuntur tres Lothianæ, puta orientalis, media & occidentalis; Orientalis vulgo dicitur, præfectura Hadintoniensis ab urbe Hadina, ad quam indigenæ conveniunt ad Ius audiendum. Hæc præfectura continet in sese plus minus viginti quatuor parochias sibi vicinias, quæ singluæ habent suas sacras ædes ad sacros conventus; quicquid locurum est ultra Tinam versus ortum & aliquot milliaria citra Tinam, ad hanc pertinere præfecturam censemur.

De incolis, amnibus, castris & domibus hujus præfecturæ, in generali descriptione universæ Lotheanæ simul & semel jam dictum, quare nihil hic repetemus. Lotheana media vulgo dicitur præfectura Edinburgena, quia ejus incolæ ad Edinburgum itant, ut jus audiant. Hæc præfectura continet Parochias cum suis ædibus plus minus triginta. Habet ab ortu Hadintonensem præfecturam pro limite, sicut Amnem Ᾱemonem ab occasu, quo separatur à Lotheana Occidentali sive præfectura Lithgoana, ut vocant. Hæc tertia præfectura nomen habet ab urbe, in qua jus indigenis dicitur: continent autem plus minus viginti parochias cum sacrī ædibus. In hac præfectura sunt argenteæ fodinæ, ex quibus non parum argenti puri nuper effossum est sed jam ab aliquot annis à fodiendo cessant. Si omnia quæ de hac præfectura & reliquis duabas congerere vellem, hic sermo in immensum accresceret volumen.

**Per omnes tres Lothianas in usum ignis habent Lithanthracen sive carbonem, uti vocant, ex terræ visceribus effossum, de quo fusius alibi: utuntur etiam per has tres Lothianas calce adusta ad impinguandos agros.**

Familiæ nobiliores per has tres præfecturas, sunt hæ: Hayi, Douglassi, Maxnelli,<sup>58</sup> Hamiltonii, Metellani, Keri, Setonii, Scotti, Levinstenii, Ramsæi, Borthvici, Moravii, Elphinstonii, Naperi, Craustoni,<sup>59</sup> Drummenii, Sinclarii, Ionstonii, Hepburnii, Prestonii, Lauderii, Dundassi, Fercastori, Vachopii.

---

<sup>58</sup> i.e. Maxuelli

<sup>59</sup> i.e. Cranstoni

[41]

**LOTHIANÆ  
DESCRIPTIO;**

Auct. GUILIELMO FORBESIO,  
Ecclesiæ Ennervicensis Pastore.

Vltra Dumbarum ad Orientem Brumalem tribus millibus passuum sita est Ennervicæ arx & templum Parochiale. Hæc Parochia per Lamirios montes (qui secernunt Lothianam à Mercia) templo ad Fluvium Bothlæum sito, tribus millibus passuum ad meridiem extenditur: totus hic ager in excelsos montes exsurgit: pleræque tamen planicies; & rivi convalles apricas gramine, frumento, pecoribus & armento non solum fœcundas, sed jucundas alluunt. Fons ibi Elmscluckius nobilis, cuius aqua levis, insipida, inodora & ultra omnes purissima & spectatæ diversitatis: nam quatuor uncii levior est omnibus totius Provinciæ aquis, & viscera & hypochondria ob tenuitatem cito deserit: ibi & leporum numerosa cohors, & venatio frequens & celebris; aucupatio perdicum, ardearum, cornicum aliquammulta. A Lamiriis montibus ad orientem solstitiale, versus ætuarium Forthæ, duobus pene millibus passuum planicies modice descendit, hordei, tritici, avenæ & omnis frumentorum generis feracissima, vivariis opulentissima, lucis amœnissima, lactis & mellis fœcundissima, adeo ut non immerito

*Si quis in orbe locus Baiis prælucet amœnis,  
Ennervica sibi vendicat una decus.*

A Templo ad orientum solstitiale trecentis passibus est Ennervicæ arx munitissima, pomariis & lucis amœnissima; excelsis rupibus ad orientem, munimentis & vallis ad occidentem impervia, undique inexpugnabilis. Ad rupis inaccessæ radices, torrens spumosus per saxa sonantia dilabitur, gignendæque herbæ non aliis est aptior, quicquid alluit floribus vestiens. Platani quoque & Populi contegunt ripas, ita ut procul visentibus continuata videantur collibus nemora riparum. Si oculos longius mittas ad meridiem, mons sterilibus saxis & ericis per summos vertices in nubibus fractus, delectat animum mutatione conspectus, & propinquam felicitatem blandius commendat asperitatis imagine.

A Templo ad occasum pari distantia est Thurstoniæ arx, quæ oblectat oculos alia loci forma, quippe lucus ibi paucis sed proceris distinctus arboribus: hortus deinde in longum porrectus Musis quidem dignus & omnibus Diis, quos cepit stirpium calendarum humanitas. Longum esset singula memorare, ut natura multiplici loci amœnitate<sup>60</sup> ludit; ut exiguo spatio retulerit omnes formas, quibus omnes regiones variantur. Hic etiam Torrens est, qui per quosdam subterraneos hiatus clam per magnum spatium dilabitur, ubi postmodo emergens erumpit in apertum, denique in Oceanum absorptus omnino evanescit. Piscatura hic satis quæstuosa, sed præsertim mense Augusti, quo tempore examina halecum retibus & nassis involunta, naviis & lintribus ad portus deferuntur. Sunt & hic duo portus, Soetram & Thornton loch vulgo dicti, naviis & lintribus commodissimi, sed munimentis & propugnaculis carent, omnia naturæ, nihil arti & industriæ debent. Hic & lapicidina, è qua scandulæ sive petrarum laminæ ædificiis tegendis aptæ eruuntur. Hic etiam carbonariæ fornices & optimi carbones eruuntur.

---

<sup>60</sup> i.e. amœnitate

Ab Ennervica versus orientem solstitiale mille passibus est Dunglassiæ oppidum, & antiquæ Hummiorum domus rudera lachrimosa, quippe anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo, tricesimo mensis Augusti, nitrati pulveris vi, cuius in cellis inferioribus maxima copia fuit, munitissima arx cum divite supellectili in cineres & ruinas seu fulminis ictu abiit. Viros complures eosque claros hæc clades oppressit. Inter quos insignioris notæ viros interiit Comes Hadintonius, arcis præfectus, Provinciæ præpositorus Alexander Orestinus Comiti Marciæ filius, Robertus Hamiltonius ejusdem Comitis Hadintonii Frater, Ioannes Kethus Comitis Mariscalli Patruus, Alexander Hamiltonius à Laufield Eques, Ioannes Hamiltonius à Redhous Eques, Gideon Balliolus à Lochend Eques, Iacobus Inglis ab Inglisoun, Ioannes Comper à Goger, Patricius Hamiltonius, Comitis Hadintonii Frater naturalis, Ioannes Gets minister Ecclesiæ de Bumbil. Præter hos multi (quorum ob immanem calamitatem & stragem confusam & inopinatam non est certus numerus) vel incendio cremati, vel ruinis oppressi & lapidibus collisi interierunt. Nonnulli semitriti [42] ægrè evaserunt & quasi siderati omnem sensum prorsus amiserunt. Author truculentæ carnificinæ in hunc diem nescitur: verum Anglus quidam, Edwardus Paris nomine, Comitis Hadintonii famulus, qui & ipse eadem clade periit, in facinoris inauditi suspicionem devocatur, quod & ipse tum armamentario præfuit, & fama exercitus Anglicani profligati & penitus dissipati ad vada Neorci, vulgo Neuburn, ad Præfecti aures paulò ante venerat, cuius rei indignatione extimulatum & clam exacerbatum Tenebrionem familiares produnt. Accedit quod & ipse homo nequam & supra omnes flagitosissimus, solius heri fallaci opinione & infelici credulitate, amicis omnibus & bonis dehortantibus, ad id Officii fuerit promotus. Multa & alia palam jactitantur & varii rumores feruntur, quibus morari ordinem consilii haud sane operæ videtur: arx sub graminei montis radicibus sita est, ubi multæ perennes aquæ manant. Pingue solum est & fertilitate nobile; causa fertilitatis est humor è montis radicibus manans, toto fere solo propter venas aquaram resudante. Pomorum quoque varii, salubresque luci sunt. Convalles quoque hortis & topiariis excultæ, & uberrima pastu prata se eadem viriditatis hilaritate porrigunt. Plura etiam naturæ debet hic locus, cuius facilitas & ingenium omnes artificum labores prævertit. ab arce ad septentrionem trecentis passibus ab ipso montis jugo pulchra & sponte extensa planities est, in qua prædium vulgo Lanfield dictum, hinc atque hinc arbustis inter se implicatis & lentato vimine miscentibus nexus cinctum & pene coopertum, densis undique fruticibus iisque lætissimis crebrarumque stirpium inæquali viriditate obumbratur. Optimi hic carbones in omnes usus, sed præsertim ad coquendum salem & calcem eruuntur: sunt & hic salinæ, in quibus sal ex aqua marina paratur. Templum Parochiale situm est mille passibus meridiem versus supra Dunglassiæ arcem, vulgo Oldhamstocleis<sup>61</sup> dictum. Proximus Dunglassio ad orientem est saltus magno tractu à monte Leingupfleid ad mare porrectus, cuius longitudine tribus milibus passuum extenditur, utrinque præruptis rupibus & naturæ munimentis impervius; Scotiæ ex hac parte propugnaculum ingens: nam pauci hos fines hujus munimenti ope contra exercitum tueri possunt. Hic saltus Merciam à Lothiana secernit. Est & alias saltus ultra hunc præsidarius, mille pene passibus ad Orientem Cockburn saltus dictus & oppidum, quod à saltu nomen habet, in quo est templum Parochiale, cui ob propinquitatem & redditum tenuitatem adjecta est Parochia Oldcambus dicta, versus Orientem: in quo nihil præter pecorum & armentorum copiam & frugum profluentiam, quibus tota hæc regio abundat, insigne & memorabile est.

---

<sup>61</sup> i.e. Oldhamstockis

[43]

## SELGOVÆ.

*Sub GADENIS ad Austrum & Occasum ubi nunc regiunculæ Lidesdale, Eusdale, Eskdale, Annandale, & Nidisdale, à fluviolis interlabentibus qui omnes in Solway frith, se condunt denominatae, insederunt olim SELGOVÆ, quorum nominis reliquiaæ in nomine illo Solway, mihi, nescio an aliis, superesse videntur.*

## LIDESDALIA.

In *Lidesdale* se erexit *Armitagium*, ita dictum quod solitariæ vitæ olim fuerit dicatum; nunc autem castrum munitissimum, quod ad *Hepburnos* spectavit, qui à captivo quodam Anglo, quem Marchiæ Comes, quod ipsum è periculo liberaverit, locupletavit, originem deducunt. Comites Bothwelliæ & hæreditario jure diu Scotiæ Admiralli fuerunt.

Per fororem autem Iacobi Comitis Bothwelliæ *Hepburnorum* postremi Ioanni *Coldinghamiæ* Priori, filio naturali Regis Iacobi Quinti (qui nothos nimio plures progenuit) enuptam, ad ejus filium & titulus & patrimonium devenit. Nunc Dux *Lennoxiae* possidet per foris facturam, ipsius nothi enim in manus Regis venerunt, & nunc Dominus *Bokleug* est. In proximo est *Branxholm* bellicosæ familie de *Baugh* cognomine *Scot* habitatio, & plures passim militarium virorum turriculæ.

Dimidium hujus Baroniæ de *Branxholm* habuit Dominus de *Backleug* tempore Iacobi primi per permutationem Baroniæ de *Murdistoun* antiqui sui patrimonii à quodam English. Alterum dimidium Iacobus III ei dedit propter fidele servitium in abigendo è Scotia *Duglassio* fratre Comitis *Duglassii*, quem Iacobus III sua manu Sterlini confudit, quod recusarit renunciare foederi inter eum & Comitem de *Crauford* & *Ross* facto,<sup>62</sup> tenendum in capite pro solutione rubræ Rosæ annuatim nomine albae fermæ. Invenitur in registro Charta Walteri Scott de *Kirkurd* concessa à Iacobo I, ubi habetur ratificatio Chartæ Roberti III, sui patris, de dispositione Baroniæ de *Ecfurd* pro apprehensione Gilberti *Ridderfurd*, data 3 Maji 1424. Charta alia Iacobi secundi concessa Waltero *Scott de Kirkurd* pro suo fideli servitio apud Arkanholme (est pars Baroniæ de *Langholm*, quæ quondam pertinuit ad Dominum Maxwol Nithisdaliæ comitem, nunc ad Dominum *Bacleug* per appreciationem) ubi interiit comes Moraviæ Archibaldus, & captus est Ormundiæ Hugo Dugassii, de terris de *Abington*, *Fairholme*, & *Glendonarie*, 22 Februarii 1458. Iacobus III, concessit Waltero & Davidi Scot ejus filio pro eorum forti & fideli opera navata in invasione & expugnatione Iacobi de *Duglas*, suique fratris, dimidium terrarum de *Branxholm*, in alba ferma, pro solutione rubræ Rosæ annuatim 7 Octobris 1463.

Maria concessit Waltero Scot de Bakleugh Baroniam de *Ormeston*, ob res bello præclare gestas contra Anglos, data 2 Febr. 1548. Diploma Domini de *Bacleug* Baronis majoris est datum 18 Martii 1606. Diploma Comitis de *Bacleug* datum 16 Martii 1619.

In *Lidesdalia* nullæ segetes, tota pascua & Moræ, quas nos *Venen* nominamus, cespitibus ad focum effodiendis aptæ terræ.

---

<sup>62</sup> Italicised in error

[44]

EVIA ET ESCIA,  
 vulgò  
 EVSDAIL & ESKDAIL.

Regiones hæc, non magnæ, à fluminibus cognati nominis Euo & Esca nominatæ sunt.

Habent illæ à Septentrione partim Twediam, partim Teviotiam; ab Oriente Lidisdaliam, ab Occidente Annandiam, à Meridie Cumbriam Angliæ regionem.

Bella Anglicana impediunt, quo minus plura & magis exacta de hisce & quibusdam aliis tradere possimus. Adjungemus tamen hæc paucula

#### EXCAMBODENO.

In *Eusdale*, ex nominis affinitate, *Vzellum* illud vetus à Ptolemæo memoratum fuisse ad *Euse* fl. judicarim.

In *Eskdale Horestos* habitasse sunt qui opinantur, in quorum fines Iulius Agricola devictis Britannis, qui hoc in tractu sederunt, Romanum exercitum deduxit: certè si *Horescos* pro *Horestis* legamus; *Ar-Esc* enim Britannis locum juxta *Escam* flumen significat. De *Aesica* vero in *Eskdale* jam antea in Anglia dixi, nec est cur repetam.

[45]

**DESCRIPTIO  
DRVMFRISESII  
VICECOMITATVS.**

**Drumfrisiensis Vicecomitatus, versus Meridiem ab Anglia, Solvæo sinu syrtibusque dividitur;**  
**Occasum ortumque Gallovidia & Teviotia claudunt; atque ad Septemtriones, Dibbecios montes in**  
**Glottianis confiniis maximos tangit. Longitudo ejus porrigitur à Nithi fontibus ad ejus fluminis**  
**ostium millia 36. Latitudo vero à Drumfrisio urbe ad proximos Teviotiæ limites 24. perpetuoque**  
**montium utrinque jugo veluti vallo cingitur. Ager fertilis, pascuaque læta, atque adeo ut armenta &**  
**abunde sibi suppeditet, & ad vicinos etiam Anglos transferat, continetque valles omni amoenitate**  
**insignes Nithiam & Annandiam, à cognati nominis fluviis Nitho Annandoque dictas.**

Unicam habet hic Vicecomitus Monachorum cœnobium, Sacroboscum. Classes vero sive Presbyteria habet Penpantanum, quæ IX parœcias continet. Drumfrisiense quod XIIIX;<sup>63</sup> (quarum ad Gallovidiam x pertinent) Mabanum XV, & Midlebæum XI habet.

A N N A N D I A.

**EX CAMBDENO.**

Aesciæ ad occasum adnexa est *Annandia*, vulgò *Annandale*, id est, *Vallis ad Annam* fluvium, in quam terrestri itinere aditus sunt perdifficiles. Aesciæ sive Eskdale ad occasum adnexa est. Insignioris notæ loca sunt Castrum ad *Lough Maban* tribus ex partibus aqua circumfusum, moenibusque firmum, & *Annandiae* oppidum ad ostium fere fluminis *Annan*. Hujus castri moenia tantum supersunt, sed splendorem suum omnino amisit belloAnglico Edwardo Sexto regnante. In hac sunt nominis celeberrimi *Ionstoni*. Gens bello innata, & cui nimis diu intercesserunt inimiciæ indictæ & apertæ odio usque ad sanguinem flagrantes cum *Maxwelliis*, qui huic Seneschalliæ (sic enim habetur) avito jure præsunt. At Princeps *Ionstoniorum* jam titulo Comitis de *Hartveld* gaudet, & illæ inimiciæ cessarunt. Vallem hanc Eadgarus Scotorum Rex, in Regnum, auxiliaribus ex Anglia copiis, restitutus, in navatæ operæ præmium donavit Roberto *Brus*, sive *Brusio*, Clivelandiæ in Eboracensi Comitatu Domino, qui juniori filio Roberto, cum ipse Regi Scotorum militare noluerit, cum bona Regis gratia elargitus est. Ab hoc progerminarunt *Brusii* Domini *Annandiæ*, è quibus Robertus *Brus* duxit Isabellam filiam Guilielmi Regis Scotorum ex filia Rob. *Avenell*: ejus itidem filius Robertus ejus nominis tertius duxit filiam Davidis Comitis Huntingdoniæ & Gariothæ, cuius filius Robertus cognomento *Nobilis*, cum soboles Alexandri III, Scotorum Regis deficeret, jure materno Regnum Scotiæ vendicavit (ejecto Balliolo competitore, quem Angliæ Rex juvavit, quòd promiserat se Scotiam tanquam feudum de Rege Angliæ tenturum) & sua virtute sibi Regnum asseruit posterisque firmavit. Princeps qui cum rerum gestarum ornamentis eximiè floruit, tum de fortuna toties adversante invicta animi fortitudine fœlicissime triumphavit.

**ADDITAMENTVM.**

---

<sup>63</sup> i.e. presumably XIX

Annandus amnis medianam dividens vallem rectâ in Mare Hibernum decurrit. XXVII mill. extractus ab Aquilone recipit amnes, Grantonam, Maufetam, Vaufræam, Drifam, Lacteam, Kirkeltam atque Sacca. secundum ejus ostium Solvæum subit æstuarium; à meridie vero Avenam, Kinnellam, Æen; atque perpetuis à dextra lœvaque viret sylvis saltibusque; nimirum Poldunia, lemuribus nobili Banco majoribus, Clivocilicia, Lacovodia, Cretodunensi, Elshitiguriis, Ramirischeliis, Castrolactea, Cumlimensi, Calodendriar, Fanoconella, Longovallensi, atque Montiskephala. Nobiliores ædes sunt, Corikephala, Neotoma, Grantonia, Lacuhusia, Lacuvodia, Critodunum, Franc-agrium, Clivefilicum, Escitiguria [46] Spedlingii, Montisrupia, Muscella, Vallistermini, Cumlimgana, Castrolacteum, Hoddenopetrum, Neobæum, Calodendria, vulgo Bonshal, Clivocephalæ, Stapletonum, Fanum Conelli, vel potius Donaldi, Eicovodia, Gillo Roberti, Fanum Patricii, Cello-Kephala, Blaetevodia. Vrbesque habet Annandum, & Mabanum arce lacuque amœnum: Arx à Thoma Randello summo Scoticarum rerum Præfecto condita, præfecti limitis perpetuum mansit domicilium. Lacus vero insignis est ob pisces ignotos, qui nusquam gentium, nisi in Mabano, inveniuntur, atque Vandesii vel Gevandesii incolis dicuntur; non procul Mabano septem alii sunt Lacus.

In ripis Riveniis è regione Angliæ occando, coacervando, atque arenam aqua decoquendo, salem optimum conficiunt; quodque & usu & labore jucundum est, limites accolæ in Solvæi syrtibus Salmonum adventum expectant, atque cum eos fluvium ascendentes observaverint, citatis equis amnem intrant, hastisque tridenti ferro armatis facile figunt extrahuntque.

[46]

NITHIA,  
vulgò  
NIDISDALE.

EX CAMBDENO.

*Annandiæ ad Occasum adhæret Nidisdale arvis & pascuis non infelix, nomine à Nido flu. facto, qui perperam Ptolemæo NOBIVS, pro NODIVS, vel NIDIVS concipitur, cuius appellationis sunt alii vadosi & fœculenti in Britannia fluvii, ut etiam hic Nidus. E lacu Logh-Cure nascitur, ad quem CORDA Selgovarum floruit, defertur primum per Sanqhuer castrum Creictonorum, qui dignitate Baronum de Sanqhuer, & authoritate perpetuorum Nidisdale Vicecomitum, diu incliti fuerunt, deinde per Morton quod Comitis titulum quibusdam è familia Douglatia præbuit, è qua etiam alii ad Drumlanrig suam habet mansionem ad idem flumen; [ADDIT. omnes hæ terræ de Sanqhuer & Morton jure emtionis nunc pertinent ad Dominum de Drumlanrig qui nunc Comes de Queensburry appellantur<sup>64</sup>,] cuius prope ostium Dunfreys sedet inter duos colles, oppidum hujus tractus florentissimum, quodque suum vetus castrum ostendit. laneis pannis conficiendis nobile, & cæde Ioannis Comminii clientelis omnium inter Scotos potentissimi signatum, quem in æde sacra, ne sibi viam ad Regnum præcluderet, gladio transfixit Robertus Brus, veniamque cædis in sacro loco perpetratae facile à Romano Pontifice impetravit.*

[ADDIT. In laudem Drumfrissi sic cecinit Arturus Ionstonus:

*Pastor ab Amphryso Drumfrisi pascua cernens  
Eminus, Admeti prætulit illa jugis.  
Florida tot pingues hic tondent prata juvenci,  
Gramina quot verno tempore fundit humus.  
Illiū externas saturant pecuaria gentes,  
Et mensas onerant, Anglia, sæpe tuas.  
Ditior armento seges est, & velifer amnis,  
Et mare, quod Zephyri temperat aura levis.  
Surgit in hac ædes, cui cedunt templa Dianæ,  
Vel venerabilius Græcia si quid habet.  
Proditor hic patriæ Brussi virtute Cuminis  
Considit, & sacram sanguine tinxit humum.  
Scotia, Drumfrisi reliquis altaria præfert,  
Hic tibi libertas aurea parta fuit.]*

Propius ostium Solway viculus antiqui nominis Selgovarum nonnihil retinet. Ad ostiumvero Caelaverock, Ptolemæo CARBANTORIGVM, apponitur, munimentum inexpugnable habitum, cum Rex Edward I. flore nobilitatis Angliæ stipatus obsederit & cœperit; nunc vero malefirmum Baronum Maxwell domicilium, qui antiqæ nobilitatis diu Præfecti fuerunt limitis hujus Occidui, nuper adacti nuptiis cum filia & altera hæredum Comitis Morton, unde Ioannes Dominus Maxwell declaratus fuit Comes Morton, atque itidem cum filia & hærede Hereisii Domini Toricles quam in<sup>65</sup> uxorem accepit I. filius secundo-genitus qui inde titulum Baronis Hereis accepit.

<sup>64</sup> Grammar requires either ‘Dominos’ or ‘appellatur’

<sup>65</sup> Delete duplicated word

Nunc hisce postremis bellis civilibus Castrum hoc deletum, *Maxwellius* hostis patriæ à Parlamento declaratus.

*Glencarn* in hac etiam valle ad lacum jacet, unde *Cunninghamii* de quibus suo loco, Comitis titulum diu gesserunt.

Hæc *Nidisdalia* una cum *Annandia* bellicosum alit genus hominum, sed ob deprædationes male audierunt: *Solway* enim vadoso æstuario insident, per quod in Angliam sæpe prædabundi excurrerunt, & in quo accolæ utrinque Salmones, quibus abundat, jucundo spectaculo & hilari labore equites hastis venantur, sive mavis piscantur.

Cujusmodi sunt qui has limitaneas Regnorum valles incolunt abactores, Ioannes *Lesleus* ipse *Scotus* & *Episcopus Rossensis* dicet: *Noctu turmatim per invia loca, perque multos meandros è suis finibus exeunt. Interdiu in latibulis præstitutis equos, viresque suas recreant, donec eò tandem per tenebras quo volunt, perveniant. Arrepta præda similiter noctu per circuitus & devia duntaxat ad sua redeunt. Quo quisque peritior dux per illas solitudines, anfractus, & præcipitia, media caligine & tenebris esse potest, is ut ingenio excellens majore in honore habetur: & tanta calliditate hi valent, ut rarissime prædam sibi eripi sinant, nisi canum odorisequorum* [vulgo Sluithonds or Bluidhonds, qui sœpe 100 coronatis & ultra æstimantur] *ductu rectis semper vestigiis sese insequentium ab adversariis nonnunquam capiantur. Caterum si capti sint, tanta pollent eloquentia, verborumque suavissime fluentium lenociniis, ut & Iudices simul & adversarios, quantum vis severos, sinon ad misericordiam, saltem in admirationem commiserationem quoque vehementer permoveant.*

#### ADDITAMENTVM.

Nithus fluvius limpidissimus aquis augetur ab aquilone *Craici, Manoci, Gutterbini, Carronis*, [46<sup>2</sup>] ac *Campelli*; a Meridie vero *Olezi, Carpelli, Scari, Schimylli* atque *Cairnii*. Non procul a fontibus Sanchar urbs sita est, & non longe ab ostio Drumfrisium, urbs amoena, florens, totius Vicecomitatus prima, ponte suo inclita, qui novem ex quadrato lapide arcubus sustentatus, tantæ est latitudinis, ut duos simul semelque soleat admittere currus. Sylasque habet Nithus, ab Aquilone Sacroboscum, unde celeberrimo Astrologo Ioanni de Sacrobosco est nomen, Caerlabrocum, Monsollam, Tinvellam, Amisfeldiam, Dalsumtonam, Closburneam, Enteckmeam atque Montisrubram. à Meridie vero Mainenkin, Eliokam ac Drumlanericam quercinam, VI mil.longam. Skarus vel Skareus flu. inumbratur Craigina, Comlinga, Storkai sylva. Schimyllus vero Croglinga, Killevarrana, Aghchingebberta. Arces vel Nitho imminentes, vel non procul à fluvio, sunt, *S. Sanqhuer* vel *Sanchar*, *Drumlanericum*, *Montiscastrum*, *Cashogelium*, *Enochum*, *Closburnea*, *Dalsumtonum* Cominii antiquum domicilium, qui Roberti Brusii in Regno æmulus in sacra Franciscanorum æde Drumfrisiana, Brussi ferro occupuit. *Amisfeldium*, *Laggum*, *Tinvellum*, *Tarthurrellum*, *Montisbubulum*, *Carsium*, cum aliis.

*Cairnus*, secundus à Nitho Nithiæ fluvius, ex Dibbinis scaturiens montibus, amnibusque Cragdaraco, Castrifecino, plurimum auctus, lambit arcem Iarburgum, Glencarniam arcem sylvamque Cragdarochiam, sylvas Cuthlocham, Maxueltoniam, Crasfurtoniam, Dardarocam, Suediam, atque Gribtoniam: denique supra Drumfrisium à Nitho recipitur.

Secundo à Drumfrisio lapide, est nobilis illa glebarum fodina Locherea, X.mill.longa, III lata: muscosæ inde effossæ glebæ ac Sole induratae à tota vicina regione comburuntur. Medium vero Locheriam Locherius dividit amnis, qui largis imbribus exundans, prata circumiacentia efficacibus irrigat aquis; unde maximus est fœni proventus. Denique ultimus ejus alveus munimento inexpugnabili clauditur, quod Insula dicitur.

[47]

## NOVANTES.

*Inde verò NOVANTES in vallibus terram illam coluerunt, quæ in Occidentem Solem magnis spatiis procurrit, ita tamen recessibus excavata ut subinde angustetur, & in ipsa rursus extremitate laxata liberius dilatetur, unde NOVANTVM CHERSONESSVM nonnulli dixerunt: Hodie vero eorum Regio continet Galloway, Carick, Kyle, & Cunningham.*

GALLOVIDIA,  
vulgò  
GALLOWAY.

## EX CAMDENO.

*Galloway* medii ævi Scriptoribus Latinis *Gallwallia*, & *Gallovidia*, ab Hibernis, qui olim occuparunt & se *Gael* sua lingua contracte vocant, facta appellatione; *Regio* passim collibus insurgit, qui pecoribus pascendis quam frugibus ferendis feraciores; Incolæ piscaturam exercent tam in mari circumfuso, quam in rivulis & lacubus sub collibus ubique restagnantibus: è quibus sub *Æquinoctium* autumnale incredibilem auguillarum sapidissimarum multitudinem excipulis capiunt, unde non minorem quæstum faciunt, quam ex equis pumilis compacta membrorum firmitate ad labores perferendos qui hinc expentuntur. Inter hos primum se offert ad *Deam* flu. à Ptolemæo memoratum, qui etiamnum, incolumi nomine, *Dee* vocatur, *Kircoubright* portus hujus oræ commodissinus, altera Scottiæ *Seneschalsia*, quæ etiam ad *Maxwellios* spectat, inde *Cardines* munimentum ad *Fleet* fluviolum asperæ & æditæ rupi affixum, & firmis mœnibus armatum. Iuxta *Ken* flu. Ptolemæo corrupte *IENA* mare allabitur, inde *Wigton* portus aditu angustiore inter *Blaidnoo* & *Cream* profluente, qui & Vicecomitatus cui *Agnew ex Insula* præest, censetur. Comitem autem quondam habuit Archibaldum *Douglas* bello Gallico clarum, & hodie gratia R. Iacobi Sexti Ioannem *Fleming* qui ab antiquis *Wigtoniæ* Comitibus stemma deducit.

Prope hunc locum *Leucopibiam* Vrbem statuit Ptolemæus, quam ubi quæram plane nescio. Locus tamen postulat, ut sit illa sedes Episcopalis Niniani, quam Beda *Candidam Casam*, Angli & Scotti eadem notione *With-herne* appellant. Quid ergo si *Candidam Casam*, quam Britanni dixerunt, Ptolemæus suo more Græce Λευκὴ πόλις converterit? id est, *domicilia candida*, pro quo librarii *Leucopibiam* nobis obtruserunt. Hoc in loco Ninja sive Ninianus Britannus, vir Sanctus, qui Pictos australes Christiana fide primus imbuuit, Theodosio juniore regnante, sedem habuit, & Ecclesiam S. Martini nomini sacratam construxit, more Britonibus insolito, ut habeat Beda, qui prodidit Anglos suo tempore hanc provinciam obtinuisse, & multiplicata fidelium plebe ad hanc *Candidam casam*, sedem Episcopalem fuisse constitutam. Paulo superius angusto tramite peninsula utrinque subeunte mari terræ annectitur, quæ proprie *Novantum Chersonessus* & *Promontorium*, vulgò *The Mull of Galloway*, id est, *Rostrum Gallovidiæ*, appellatur.

Sub hoc ad Arctum sinus insulis confertus magno ambitu patet, in quem plurima undique se exonerant flumina. Primum vero ex ipso Promontorii vertice *Abravanus*, qui, suo loco paululum submotus, sic Ptolemæo dicitur, pro *Aber-Ruanus*, id est, *Ostium Ruani*. Hodie enim fluvius ille *Rian*, & lacus è quo effunditur *Logh-Rian*, halecibus, & piscibus saxatilibus admodum copiosus nominatur.

*Gallovidia* hæc suos olim Principes & Dominos habuit, quorum primus, qui annalium monumentis celebratur, erat Fergusius, regnante Henrico Primo in Anglia, cui pro insignibus erat Leo argenteus erectus, & coronatus in parma cœrulea, qui post multas quas dederat turbas, eò à Malcolmo Rege adactus ut filium Ucthredum obsidem dederit, & ipse rerum humanarum pertæsus habitum Canonici apud S. *Crucem* Edenburgi suscepit. Ucthredum autem Gilbertus frater natu minor prælio cœpit, & lingua excisa, oculisque erutis misere vita & patrimonio spoliavit. Sed intra pauculos [48] annos Gilberto mortuo Rolandus Ucthredi filius paternam hæreditatem recuperavit,

qui ex sorore Guilielmi *de Morvill*, Scotiæ Constabularii Alanum Dominum Gallovidiæ, & Constabularium Scotiæ progenuit; Alanus è Margareta filia Davidis Comitis Huntingdoniæ primogenita suscepit Deruolgildam uxorem Ioannis de *Balliol* matremque Ioannis de *Balliol* Regis Scotiæ, qui cum Roberto *Brus* de Regno Scotiæ contendit, & è priore, ut videtur, conjuge Helenam enumptam Rogero *de Quincy* Anglo, Comiti Wintoniæ, qui inde Constabularius Scotiæ, ut etim Guil. *Ferrariis de Groby* Rogeri illius è filia & altera hærede nepos. Sed citò sua hæreditate in Scotia exciderunt Angli, ut etiam dignitate Constabularii, quam *Cominii* Buchaniæ Comites, è filia etiam Rogeri *Quincy* prognati, sunt consequuti, donec ad Arrolliæ Comites fuisse translata. Titulus autem Dominorum Gallovidiæ *Dowglasiorum* familiæ postea obvenit.

[49]

GALLOVIDIÆ  
DESCRIPTIO,

IOANNE MACLELLANO Autore.

*Gallovidia* noman dicit à *Gallovid*, quod priscorum *Scotorum* linguâ *Gallum* significat: nam ab initio *Scoti Brittones* vetustissimos *Britanniae* cultores *Gallos* appellitabant, utpote è *Galliis* oriundos. Vetus ea *Brittonum* ditio, à meridie mari *Hibernico*, ab occasu æstuarii *Glottæ*, à septentrione *Caricta*, & *Coila*, ab oriente æstivo *Nitho* amne clauditur: in longitudinem porrigitur ab oriente æstivo in occasum *Hybernum* ad milliaria 70, inter pontem *Drumfrisiae* & *Mulam* extremum promontorium. In latitudinem expanditur à septentrione in meridiem, alicubi ad 24, alicubi ad 20, alicubi ad 16 milliaria. Sex eam amnes intersecant *Vrus*, *Deva*, *Kennus*, *Crea*, *Bladna*, *Lussus* in mare *Hibernicum* decurrentes. *Kennus* vallem *Kennæam* dividens, in lacum sibi cognominem infunditur, ex eodemque rufus effusus in *Devam*, amiso nomine, duodecim millia passuum à mari defluit. Est quidem & amnis *Fleta*, (medio fere intervallo inter *Devam* & *Cream*) & *Palinurus*; sed hi inter maiores amnes non censemur. Omnes Salmonum piscatu nobiles; sed præ cæteris *Deva*. Regio tota est cœlo soloque saluberrimo: raro in montes assurgit, frequentibus tantum collibus intumescit. Tres ibi montes eximiae altitudinis cernuntur; unus ad æstuarium *Creæ*, vulgo *Carnesmoor*, id est (si interpreteris) *Carnesii desertum*: & alter, non procul ab eo, *Marocus*; & tertius, ad æstuarium *Nithi*, *Crefeldius*. Quicquid terrarum ultra *Lussum* jacet, *Rinum*, id est rostrum *Gallovidiæ*, dicitur: quippe instar avis rostri prominet, ejusque ultimas terminus *Novantum* promontorium, incolis *Mula*, id est glabrum & detonum, vocatur: nam prisci *Scoti* promontoria appellant *Mula*, metaphora à capite detonso sumpta. *Lussi* æstuarium, Ptolemæo *Rerigonius*, ab oriente, & lacus *Rianus*, Ptolemæo *Rerigonius*, ab oriente, & lacus *Rianus*, Ptolemæo *Vidogara*, ab occidente terram in angustam cogunt, Isthmumque efficiunt, & Chersonesum, seu peninsulam, *Peloponeso* non absimilem. Tota *Gallovidia* formam elephantis refert; caput est *Rinum*. Proboscis, *Mula*; pedes, promontoria in mare exorrecta; humeri, montes supra memorati; spina dorsi, saxa, ericeta: corpus reliquum, reliqua regio.

Portus habet insigniores, Fanum *Cudberti* in æstuario *Devæ*, multarum navium capacem, & tutum receptum, utpote, montium & Insulæ *Rossæ* objectu, undique à ventis defensum; & *Cariovillam*, securam navium stationem; & tres in Chersoneso, seu *Rino*, *Nessocum*, lacum *Rianum*, & portum *Patricii*.

Tota Provincia dividitur in *Gallovidiam* superiorem, & inferiorem; superior inter flumen *Cream* & *Mulam* promontorium jacet, habetque rerum capitalium judicem *Agnææ* gentis Principem, qui honos ad eum transiit, post cladem familiæ *Maclellanæ*. Inferior, vulgo præfectura Fani *Cudberti*, judicem habet *Maxwelliae* familiæ principem.

Tres ibi classes seu Presbyteria, Fani *Cudberti*, *Victonensis*, & *Stranraverensis*. In Classe Fani *Cudberti* numerantur Ecclesiæ parœcianæ 17, in *Victonensi* novem, in *Stranraverensi* 8: Ex his quotannis bis cogitur Synodus. Quicquid est Ecclesiarum infra *Vrum* ad Classem *Drumfrisiensem* pertinet.

Oppida habet, Fanum *Cudberti* (vulgo *Kirckeubrie*) ad æstuarium *Devæ*, portu ejusdem nominis nobile: & *Victonem*, celebre quondam emporium, à *Brittonibus* (ut putatur) conditum ad æstuarium *Creæ*; *Candidam Casam*, (vulgo *Whithorn*) cœnobio claram: *Capellam*, vel (ut quidam malunt) *Stranraveram*, ad lacum *Rianum* in Chersoneso. Non ita pridem *Nova Gallovidia*, ad flumen *Kennum*, adscita est in numerum urbium, verum ea nihil fere urbis præter nomen habet, paucis ibi structis ædificiis; quippe *Kenmuriæ Vicecomes*, qui ibi oppidum condere decrevit, morte præventus, opus inchoatum reliquerat. Celebrantur tamen illuc nundinæ singulis septimanis, quo accolæ, satis magno numero, conveniunt, alii emendæ, alii vendendæ annonæ causa, quæ illuc è vicina regione à mercatoribus comportatur.

Cœnobia in *Gallovidia*, *Candida casa Niniano*, quem Deum tutelarem putabant, sacra, in ultimo *Gallovidiæ* recessu, quo olim homines, è longinquis Regionibus, religionis ergo, profectiones

suscipiebant, visuri reliquias, & ædem *Niniam*, indeque aliquid sacri pulveris, magnum illis temporibus Sanctitatis monumentum, asportaturi; Cœnobium *Lussense*, ad sinum fluminis *Lussi*: *Dundrananum*, quarto à Fano *Cudberti* lapide orientem versus. *Glycicardium*, vulgo Cœnobium Novum, ad æstuarium *Nithi*: *Tunglandium*, ad ripam *Devæ*: *Marianum*, [50] ad æstuarium *Devæ*, circiter octingentos passus infra Fanum *Cudberti*; *Salsidense*, in Chersoneso. à quibus autem singula hæc fundata sint, propter Sciptorum penuriam non constat.

Incolæ sunt fortes, & bellicosi: certe in nupero conflictu *Neoburnensi*, ad Tinam in Anglia, pauci equites *Gallovidiani* sub auspiciis *Patricii Makæi*, cuius filius in eo conflictu interfectus, clarissimi equites insigne suæ virtutis specimen dederunt. oblongis enim hastis ita turbarunt hostium confertissimam aciem, ut cæteris facilem præbuerint victoriam. Olim quidem hæc gens ad alendas discordias proclivis, sed humaniori cultu, & religione expolita feritatem exuere paulatim didicit: Generosi, manu & consilio prompti, corporum morumque elegantia quoilibet facile exæquant. Plebs est corpore robusto, & ingenio non infelici.

Qui in *Moris*, hoc est, in desertis habitant, pecore alendo rem faciunt, magnos habent ovium greges; oves ibi optimi generis, & ob carnium saporem, & vellerum præstantiam. Lana hinc magna copia ad exterias regiones exportatur à mercatoribus, qui non modicum inde quæstum faciunt.

Qui in *Machris*, id est locis cultis & campestribus habitant, agro colendo vitam tolerant; nec carent illi fœcundis pascuis, & gregibus. nascitur ibi avena exiguo corpusculo, sed folido, unde optimam conficiunt farinam.

Equos alit *Gallovidia* mole quidem parvos, sed acres, & robustos, qui maximo ubique pretio væneunt.

Familiae hic illustiores, *Gordonia*, *Maxwellia*, *Maclellana*, *Macdovalla*, *Makkæa*, *Maccullocha*, *Stuvarta*, *Agnæa*, *Adara*. Sed cæteras antiquitate, & prisca dignitate anteeunt, *Macdovalla*, *Maclellana*, *Makkæa*, & *Maccullocha*. Cæteræ sunt recentiores. Floruit ibi quondam gens *Maclellana*, genere & opibus (ut testatur Buchananus) facile primaria, sed Patricio, ejus familiae principe, per *Duglassum* extincto, amici in vindictam proni, collecta suorum manu, in *Glottianos Duglassii* clientes, ferro flammaque sævierunt; deinde ob hoc tam nefarium facinus bonis fisco adjudicatis, ipsi proscripti, & solum vertere coacti, amplissimam familiam eò miseriaram redegerunt, unde nunquam penitus adhuc emersit. Paucis autem post annis, Patricii filius, qui diu latebat occultus, occiso pirata *Afro*, qui infesta reddebat *Gallovidiæ* littora, in Regis gratiam, & *Bombiam* veteris patrimonii partem est restitus.

*Stinceella* in *Teviotia* vetusta *Gordoniorum* sedes, unde duo fratres, alter in *Gallovidiam*, alter in *Bogiam* profecti, florentissimæ utrobique *Gordoniorum* familiae principium dederunt. Qui in *Gallovidium* venit, apro agros vastante occiso, villa *Gordonia* & *Lacuvarræ* à Rege donatus, in numerosam gentem crevit. Adari è stirpe *Kildarensis* in *Hibernia* reguli creduntur oriundi.

Nobiles apud *Gallovidianos*, *Stuartus*, *Gallovidiæ* comes, *Gordonius Kenmuria Vicecomes*, *Maclellanus Fani Cudberti Baro*, suæ quisque gentis ibi princeps. sunt & ibi multi equestri loco nati.

Arces illic multæ, sed omnium nuper validissima erat *Treva*, in Insula fluminis *Devæ*, octo passuum millia à Fano *Cudberti* condita à *Duglassio*, qui, regnante Iacobo secundo, magnas patriæ suæ turbas dedit. Ea, in recentibus apud nos motibus, à *Maxuellii Nithii* comitis clientibus, defensa est; sed tandem dedita, fornicibus pertusis, tecto & tabulato ademptis, est reddita inutilis bello. Est & arx *Kenmuria*, ad lacem *Kennum*, in colliculo satis edito sita, à *Ioanne Gordonio Kenmurensis Vicecomitis* avo exstructa: ea subjectam vallem & lacem sublimis despicit. Cernuntur duæ præ cæteris validæ arcæ in *Rino*, *Kenneda* in lacu Insulano à Casilissæ comite: *Scœodunum* (appellatur vulgo *Dunskey*, id est, arx alata) à *Roberti Adari* majoribus conditum in prærupto saxo ad mare. Sunt & aliæ, puta *Crugultonæ*, munitissimum olim præfidium ad æstuarium *Creæ*, *Glastonensis*, *Garlicensis*, *Clarensis*, *Cudbertana*, *Cardanesia*, & *Ruscovensis*, præter multa insignia ædificia.

Lacus in *Gallovidia* inferiori, *Caleverca*, *Multonius*, *Ritonius*, *Kennus*. In Superiori *Martonius*, *Macrumius*, *Longocastrius*, *Insulanus*, *Nævius*. Sylvæ quæ hanc regionem amoenam reddunt, sunt *Kenmurensis*, *Creensis*, & *Garlicensis*.

Qui prælia hic commissa scire defiderat, is consulat rerum Scoticarum historias à

*Buchanano & Boëthio conscriptas.* Est, ut in verba paucissima conseram, *Gallovidia* (etsi apud regionis ignaros nonnunquam male audiat)

*Terra suis contenta bonis, non indiga mercis Externæ,  
Forte hic multæ luxuriae, nihil tamen naturæ dest.*

In nulla Scotiæ parte lanæ tam præstantes, nusquam in Scotia præstantiores equi, sed minoris staturæ, quos *Galloway-nages* vocant. Ita ut Angli omnes equos bonos *Gallowas* vocent.

[51]

## CARRICTA.

*Carricta* sequiter, pascuis lœta, cui sua commoda & terra & mare affatim suppeditant. In hac *Rerigonum* sinum, & *Rerigonum* oppidum statuit Ptolemæus, pro quibus *Berigonum* in antiquissimo Ptolemaei exemplari Romæ excuso MCCCLXXX. ut non possimus non credere fuisse quod nunc *Bargeny* dictum, suum habet Dominium è familia *Kennediorum*, quæ ex Hibernia, regnante Roberto *Brus* devenit, hoc tractu nobilis, numerosa, & potens. cuius Princeps Comes est *Cassiliæ*, hoc enim nomen castri est quod incolit ad *Dunum* flu. cuius etiam ripæ alterum habet castellum nomine *Dunnur* impositum, & hæreditarius est hujus Provinciæ *Ballivus*. Hæc enim cum *Kyla*, & *Cunninghamia* tres Scottiæ *Ballivatus* habentur, quia, qui his cum ordinaria potestate & jurisdictione præsunt, *Ballivi* vocantur, vocabulo quod medio ævo enatum, apud Græcos, Siculos, & Gallos *Conservatorem* significat. Verum tempore superiori *Carricta* suos habuit Comites, nam ut taceam Gilberti de *Gallovidia* filium, cui Rex Guilielmus totam Carrictam temporibus cunctis possidendam dedit, legimus Adamum de *Kilconath* circa M CC LXX.. Comitem fuisse de *Carrict*, & in bello sacro obiisse, cuius unica filia Martha Robertum *Brus*, speciosa forma juvenem, quem inter venandum conspexerat, misere deperiit, in virum accepit, & Carictæ Comitis titulo & possessionibus adauxit, cui peperit illa Robertum *Brus* Scotorum Regem celeberrimum, à quo stirps Regia. Titulus autem Comitis Carrictæ junioribus è familiæ *Brusiana* aliquandiu relictus, postea Scottiæ Principibus in honorum cumulum accessit.

[53]

KOILA,  
sive  
KYLE.

## EX CAMDENO.

Interius ad hunc sinum sequitur *Kyle*, rerum copia præcellens, & incolis frequens. In Bedæ auctario *Campus Cyel*, & *Coil* dictus, ubi memoratur quod *Eadbertus Nordanhumbrorum Rex hunc cum aliis Regionibus suo Regno addiderit*. Ptolemæi sæculo hīc innotuit *Vidogora*, *Aire* fortasse, qui Vicecomotatus est, emporiolumque & portus notissimus ad ejusdem nominis fluviolum: de quo nihil melius mihi quod scribam occurrit quam hi versiculi à I. Ionstono ad me missi.

## ÆRA, sive AERIA.

*Parva urbs, ast ingens animus in fortibus hæret,*  
*Inferior nulli nobilitate virūm.*  
*Aëris è campus haurit purissima cœlum,*  
*Incubat & miti mollior aura solo.*  
*Aëria hinc, non Æra prius, credo, illa vocata est,*  
*Cum duris quid enim mollia juris habent?*  
*Infera cum superis quod si componere fas est,*  
*Aurea fors dici debuit illa prius.*

ADDIT. [Sic vero Arturus Ionstonus eundem depingit:

*Vrbs cœli contenta bonis, vel ab aëre puro,*  
*Vel, quo forte cluis, nomen ab ære trahis.*  
*Mole quidem parva es, sed molem dotibus auges.*  
*Vrbibus & magnis nobilitate præis.*  
*Grandia saxa vides, exili corpore gemmas,*  
*Plus tamen exilis gemma nitoris habet.*  
*Et Iovis exiguo surgit de semine quercus,*  
*Et septem gemini fluminis ora latent.*  
*Macte animi; terras sibi quæ subjecit & undas*  
*Tibridis urbs olim nisi villa fuit.]*

EX CAMDENO Præter *Aire* flumen alii duo rivuli hanc regiunculam perfundunt, multis viculis per ripas sparsis, *Lougar* ad quem *Crawfodi*, & *Cesnock* ad quem *Cambelli*, clara in hoc tractu nomina, incolunt, ad cuius etiam ripam est *Vchiltre* castellum sedes *Stewartorum* è familia Regia, utique Albaniæ Ducibus prognati, qui hinc Barones de *Vchiltrey*, & è quibus fuit Robertus ille *Stewart*, qui individuus Principi Condæo comes cum eo in Gallia in prælio cæsus. Hæreditatia Ballivi dignitate huic præest *Cambell de Louden*. [Cujus hæredem duxit Illustr. Ianus Comes de Louden Scotiæ Cancellarius præclarissimus, eloquentissimus, filius Domini de Lawers. Narratur primum istius nominis Cambelli dum Londini rogatus à quadam Domina pudicitiam suam defendere certamen suscepisse, sed illa conscientia ducta illum adiit, & se vitiatam confessa rogavit à pugna abstineret; pugnam tamen detrahere non voluit nec potuit, sed nimis sero; jam enim parati & in campo erant cum judicibus, certamenque init, sed declinans, donec ab adversario lacesitus & interrogatus cur pugnam declinaret? Respondit: *Y beyd mijn thijm*, id est, tempus meum expecto, qua re alter irritatus filium scorti eum appellavit, quod dictum Cambellus statim accipiens, respondit, & hæc certaminis nostri sit causa, mentiris enim; & non solum se defendit, sed adversarium aggressus eum interfecit. Hinc illis etiam nunc illud Symbolum.]

PROVINCIÆ  
AERENSIS  
NOVA DESCRIPTIO.

Aeræ Vicecomitatus Coilam, à Coilo Brittonum Rege, quem Fergusius primus Scotorum Rex, gravi prælio fusum, ibi cæcidit anno ante Christum natum 325, denominatam, in gremio suo medium complexa est. hujus tam insignis victoriæ plura etiam nunc extant monumenta. campus in quo concursum est Regis nomen retinet; nec longè ædes sacra Coiloun; fluvius Coilus qui Aeræ influit, quatuor circiter millia passuum supra emporium, satis celebre fluvio cognomen; est & in proximo lacus Fergusii, juxta quem Scotti castra posuerunt, & demum fuit hujus victoriæ fortuna, ut Scotti Fergusio Regnum ultro deferrent, [54] sibique & posteris se parituros sacro & solenni ritu jurarent; à quo continua fere serie 108 Reges ante Carolum, anno 1649 Londini in Anglia decollatum, Regnum tenuerunt. In campo ubi decertatum lituus incurvus, figura sua cornu referens, imprimis canorus, multis post annis effossus est, quo Comarchi Caprintonii, quorum ædes primaria in ista regione, Coili campus, nostris Coilfeild dicitur, ad cogendos rusticos suos & operarios utuntur. Provinciam hanc meridiem versus Caricta sejungit Dunus fluvius, ex lacu cognomine profluens. Qua Caricta regia via Aeram itur, pons pedum nonaginta fornicem unum modo habens (nusquam autem toto Regno talis conspicitur) huic fluvio superstructus est. Qua in septemtrionem porrigitur, Irwinus, qui & ipse pontem quatuor fornicum habet, à Cuninghamia dividit. Qua ad occidentem spectat, duoducem millia passuum mare versus extenditur hæc Regio; portum habet humilem, planum, arenosum. Qua via patet inter Dunum & Irwinum, Capita Gallovidiæ & Nidaliæ pertingit; ad ortum capita Lesma hego & Evenotæ; quæ omnes partes sunt Glottianæ. Ad occidentem, qua mare spectat, viginti duo millia passuum longitudine, latitudine vero decem complectitur. Orientem versus, duos omnino aditus, hosque perangustos habet. cæteræ effossa gleba (mossum nostri vocant) & ericeto occupantur. Paulo patentior est ille qui per Raudonem amnem ducit; angustior alter per Packenholmium, nec nisi singulos simul transmittens, inter montem & Aeræ palustria coarctatus. Exoritur Aeris fluvius, qui medium intersecat regionem, quam in duas Dynastias dividit, quarum altera, Coila-Stuarti, quæ septentrionem spectat, Irwino fluvio terminatur; altera meridiem versus, Dunum fluvium limitem habet, Regis Coila dicta. ipse Aera amœnissimus amnis aliis fluviolis sese immiscentibus incrementa capit, sylvis & castellis multum spectabilis, tum præcipue arce Socino clarissimi comitis Laudoni, Regni Cancellarii amplissimi. Habet & alia propugnacula munitissima, Enterkenum, Gadgirthum, Smidromium, Regulorum Carcarthi castrum. quædam etiam alia ædificia perpulchra, quorum domini sunt varii Regionis illius toparchæ. Ad primas Aeræ fluminis fauces spectatur pons quatuor fornicum. Inter novum Aeræ oppidum ad Septentrionem ibi Cragia-Vallacum arx speciosissima simul & munitissima visu est. In medio hujus emporii fluvius est perutilis obicibus inclusus, unde effusus molis publicis inservit, atque Aeræ accipitur. Campi qui oppidum ipsum & Mare interjacent, tum frugibus tum pascuis fælicissimi sunt.

Meridiem versus ex regione pontis est Aera ipsa, antiquitate & Regiis privilegiis celebre Emporium, D. Ioannis ad Aeram dictum. Sed hoc nomen antiquatum est. Hoc oppidum, Regio diplomate in Vicecomitatum Aeræ fundatum, 32 millia passuum, qua meridiem quaque septemtrionem spectat, sub sua ditione habet. Est autem hæc totius Provinciae longitudo inter lapidem vocalem ad Glottæ fauces; & tres lapides erectos Gallovidiæ complectitur. 64 miliaria urbis subsunt imperio. In ostiis fluminis, quæ portus commodissimi locum obtinent, plurima aspiciuntur navigia. Vrbs ipsa in planicie arenosa sita est, campos tamen in primis feraces, viridaria etiam hieme & æstate juxta amœna habet, ad duo millia passuum meridiem & septemtrionem versus, inter Ostium Duni & Aeræ fluvii. in his campis ædes est sacra, imprimis ornata. in ipsa urbe extant rudera horreorum Aeræ, ubi castra posuerunt Angli, nocte qua procerum & Baronum non paucorum immanem & horrendam cædem dira & barabara perfidia & crudelitate ab illis factam in pace, sequuta est, quos somno vino sanguine graviter oppressos inclusus fortissimus Wallas & in

perfidiæ ultionem cum ipsis granariis exussit anno circiter 1300. In hac Provincia octodecem sunt ædes sacræ fundatæ & dotatæ, tres præterea annexæ, Monasteria pauca eaque exigua qualia sunt Foulfindium. Est & sacellum non ita longe à littore ad Septentrionale Aeræ latus, mille passus inde distans, Casa Regia dictum, quod Robertus Brussius alendis leprosis aliquot assignavit & tuguria proxima nunc tenent. Præcipua generosorum hujus Provinciæ nomina sunt, Stuarti, Cambelli, Chalmeri. Lokarti, Cuninghamii, Craufurdii, Vallasii, Dunbari, Crichtonii. Abundat hæc Provincia carbonibus, calce, neque ulla re pro vita humana sustinenda necessaria indiget: pisces tantum albos à Caricta vicina mari proxima mutuatur.

[55]

## CVNNINGHAM

## EX CAMDENO

*Kylæ ad Ortum & Septentriones conjuncta Cuninghamia eidem æstuario ita incubit, ut exspatiantem ejus hactenus latitudinem coercat: nomen vero, si Latine interpreteris, idem quod Regis habitatio, unde ejus amoenitatem conjicias. Hanc Irwinus irrigat, qui & à Kyle disternat, ad cujus fere fontes Kilmarnock cernitur Boidiorum Baronum habitatio, è quibus regnante Iacobo Tertio aulica aura Thomam ad Proregis authoritatem, Robertumque ejus filium ad Comitis Araniæ dignitatem & nuptias cum Regis sorore provexerat. Verum eadem aura mox reflante hostes patriæ judicati, uxore etiam Roberto abducta & Iacobo Hamiltonio data, bonis in fiscum redactis, omnibus lusu quodam fortunæ exciderunt, & profugi obierunt: posteri tamen avitum Baronum honorem receperunt, & eodem hodie gaudent. Ad Irwini flu. ostium Irwin Burgus apponitur cum portu arenosis pulvinis ita intercluso & minus profundo ut tantum minorum navigiorum sit capax, Ardrossan castellum Montgomeriorum superius sinui impendet: vetusta hæc & celebris in primis familia quæ Poununium castellum in bellicæ virtutis testimonium ostendit, constructum ex pretio Henrici Percy cognomine Whot-spurre redempti quem in prælio ad Otterburn sua manu cœpit, & captivum abduxit I. Montgomerius. Ab Ardrossan haud procul abest Largis Norwegorum sanguine à Rege Alexandro Tertio cruentatum. Vnde littore inflexo Eglington castellum occurrit, quod nobilium ejusdem cognominis fuit possessio à quibus ad Montgomerios devenit, qui hinc titulum Comitum Eglingtoniae acceperunt. Vnde autem hoc cognomen, non facile quis dixerit, scio è Normannia in Angliam advenisse, variasque fuisse ejusdem nominis familias, sed ea in Essexia è qua Thomas Montgomery Ordinis Georgiani Eques regnante Edwardo Quarto, insignia ab his parum variata gestavit. Cæterum prænobilis hæc gens late est diffusa, atque ex illis de Gevan fuit Iacobus ille Lorgæus Comes Montgomeriæ dictus, Scoticorum stipatorum (quos in suum & successorum præsidium Carolus Quintus Rex Galliarum in fidei ipsorum & suæ benevolentiae testimonium instituit) Præfectus, qui in hastiludio Henricum Secundum Galliarum Regem aperta forte casside hasta<sup>66</sup> fragmine per oculum in cerebrum penetrante interemit, posteaque in civili illo quo Gallia flagravit bello, dum à reformatæ religionis professoribus staret, interceptus & securi percussus.*

[Familia hæc desiit in filia unica Hugonis Montomerii Comitis de Eglingtonum, prognato ex filio & filia quæ nupsit Alexandro Seaton fratri germano Comitis de Wontoun,<sup>67</sup> qui comitatum jure uxoris possidet, & nomen Montomerii assumxit, & est Ballivus hæreditarius Cuninghamie.]

Est in eo tractu Cuninghamiorum gens, cuius Princeps est Glencarnie Comes qui ad Kilmauris habitat, originem ex Anglia repetit, & ab Anglo qui cum cæteris Thomam Archiepiscopum Cantuariensem occidit; quam vere nescio, probabili fortasse conjectura arrepta ex

---

<sup>66</sup> i.e. hastæ

<sup>67</sup> i.e. Wintoun

**pallio Archiepiscopali quod in clypeo gestant gentilitio.**

[ij 54]

**KNAPDALIA.**

Knapdalia à Meridie habet Kantiram, quæ ei tam tenui cervice eoque arenoso adhæret, ut nautæ compendio per eam naviculas traducant; à Septentrione Lorna est; ab Oriente Lacus Fiw<sup>68</sup> eam alluit, & ab Oriente illa pars maris occidui, quæ Ijuræ & Ilæ insularum latus Orientale tangit. Plura procul dubio de hac provincia dicenda forent, quæ temporis injuria prohibet. Itaque tabula contentus sit Lector, & conatus meos probet, enixe rogo.

---

<sup>68</sup> i.e. Fin

[57]

GLOTA INSVLA,  
sive  
ARRAN.

EX CAMBDENO.

In conspectu *Cunninghamiae*, inter complures alias Insulas, eminent *Glotæ* insula, ab Antonino memorata, in ipso *Glotæ* five *Cluidæ* fl. æstuario, hodie *Arran* ab ejusdem nominis castro. Interius tota montium prominentia assurgit, ad quorum radices juxta littora percolitur. Hæc primum quem legi Comitem habuit Robertum Boidium, cuius uxorem & una Comitatum Boidio profugo Iacobus *Hamilton*, ut modo dixi, accepit, & eodem posteri gavisi sunt. vide Buchananum de Roberto Boidio.

[58]

CANTIRE,

## EX CAMBDENO.

Lacus *Fin*, halecum suo tempore ad miraculum feracissimus, *Argatheliam* à promontorio disjungit, quod per triginta plus minus milliaria in conum se colligens ita avide Hiberniam versus se projicit, quasi Hiberniam, quæ angusto freto vix XIII milliarium dirimitur, ad se advocaret. Hoc EPIDIORVM promontorium nuncupat Ptolemæus, cui nomini cum EBVDIS insulis quæ objacent aliqua intercedit, ut mihi videtur, affinitas. Hodie lingua Hibernica, quæ toto hoc tractu in usu est, *Cantyre*, id est *Caput terræ* appellatur. Incolitur vero à familia *Mac-Conell*, quæ hic dominatur ad nutum tamen Comitis Argatheliæ, & subinde prædabunda in Hiberniam suis mioparonibus exurrit; provinciasque illas quas *Glines* & *Rowte* vocant, occupavit. Adeò tenui cervice vix mill. pass. eoque arenoso hoc promontorium *Knapdaliæ* adhæret, ut nautæ compendio per eam naviculas traducant. Quod facilius credas quam Argonautas suam Argum humeris impositam per quingenta mill. passuum pertraxisse.

[59]

BVTHE INSVLA,  
sive  
BOOT.

EX CAMDENO.

Arraniæ sive Glotæ Insulæ vicina est *Buthe*, sive *Boot*, à facra cellula quam Brendanus posuit (sic enim cellula Scotice dicitur) cui è *Stewartorum* familia præest Vicecomes. In hac *Rothesay* est castrum, quod Ducatus titulum primogenito Regis Scotiæ filio præbet, qui Princeps Scotiæ, Dux Rothesaiæ & Scotiæ Seneschallus natus, ex quo Rex Robertus III Davidem filium suum primogenitum Rothesaiæ Ducem investivit, qui primus in Scotia Ducis honore exornatus. Quo etiam titulo Maria Regina Henricum Dominum *Darley*, priusquam in maritum assumpserat, honoravit. Inde *Hellan*, olim *Hellan Leneow*, id est, ut interpretatur I. Fordonus, *Sanctorum insula*, & *Hellan Tinoc*, id est, *Insula Porcorum*, in eodem sinu, cum aliis obscurioris notæ insulis quām plurimis conspiciuntur.

[61]

DAMNII,  
EX CAMDENO.

*Post NOVANTES interius ad Glottam sive Cluidam fl. & longius ad ipsum Orientalem Oceanum habitarunt olim DAMNII; Si quid ego video (nam in rebus tam à memoria nostra remotis, & tam spissa caligine quis certum viderit?) in Cluydsdale, Baronia Renfrauw, Lenoxia, Strivelinia, Menteth, & Fifa.*

CLVYDSDALE.

Prope *Cluidæ* fontes in *Crawford Moor* inter tesqua auri ramenta post vehementiores pluvias à rusticis reperta opulentam spem jam diu fecerunt, sed nostro maxime tempore ex quo B. *Bulmer aurifodinam* hic invenire magno conatu suscepit. Certe Azurum sine ullo fere labore quotidie eruitur. *Crawfordiæ* autem castro, una cum *Crawfordiæ* Comitis titulo, à Rege Roberto Secundo donatus erat Iacobus *Lindesay*, qui singulari cum Barone *Welles* Anglo certamine magnam fortitudinis laudem retulit. *Lindseiorum* egregia in patriam extiterunt merita, & nobilitas sane antiqua, ex quo *Guilielmus Lindesay* duxit unam hæredum *Guilielmi de Lancaster Domini Kandaliæ* in Anglia, cuius abneptis in *Couciacam Galliæ* familiam longe honoratissimam fuit elocata. [ADDIT. Familia hujus Princeps, tempore Iacobi III, creatus fuit Dux montis Rosarum pro toto suæ vitæ tempore, cuius diploma in registro Scotiæ extat: mortuo eo perii ducatus.]

A fontibus *Cluida* in Boream per ædes Baronis *Somervill*, Baronia *Somervill* [ADDIT. post hujus obitum vendita fuit circa 1636 D. Roberto Dalzell ex generosis cubiculi Regii, qui nunc titulo gaudet Comitis de *Carnwat*] eluctatus, *Duglas* sive *Douglas* flu. ab Occasu à nigricante & subviridi aqua dictum suscipit, qui nomen suum & valli per quam defluit *Douglasdale* dictam, & in ea Castro *Douglas* communicat, quod illud itidem familiae *Douglassiorum* impertiit. Familia hæc, quæ sane pervetusta, maxime inclaruit, ex quo Iacobus *Douglas* Regi Roberto *Brus* regnum vindicanti extremis temporibus singulari animi fortitudine & prudentia semper præsto adfuerit conjunctissimus, & cui cor suum Robertus ille mandavit, ut votum solveret, Hierosolymas deferendum. In cuius memoriam cor humanum in ipsorum clypeum *Douglasii* inseruerunt. Ex illo tempore in tantum potentiam & amplitudinem excrevit, postquam David Secundus *Guilielmum Douglasiæ* Comitem creaverat, ut ipsis etiam Regibus fuerit formidolosa, uno enim fere tempore quinque Comites habuerit, sc. hujus *Douglassiæ*, *Angusiae*, *Ormondiæ*, *Wigtoniæ*, *Moraviae*, & *Mortoniæ*, è quibus Comes *Wigtoniæ* titulum Ducus Turonum à Gallorum Rege Carolo Septimo bellica virtute promeruit, & uni & alteri Comitum *Douglassiæ*, qui ipsi hæredes, reliquit. [ADDIT. De *Douglassia* familia vide Buchananum temp. Iacobi II, & alia quæ ad hanc rem pertinent.]

Supra confluentes *Douglasi* & *Cluidæ* est *Lanric* Vicecom. *Hamiltoniorum* hæreditarius, qui nomen debent castro *Hamilton*, quod situm superius ad *Cluidæ* ripam in loco fertili & peramoeno, sed originem ex Anglia ut ipsi ferunt, Anglo cuidam cognomine *Hampton*, qui Roberti *Brus* partes sequutus latifundia hoc tractu ab eo accepit. Magnum autem opum incrementum accessit Iacobi tertii benignitate, qui sororem suam primogenitam *Boidio* abreptam cum Comitatu Arraniæ Iacobo *Hamiltonio* in uxorem dedit; honorum vero, per Ordines regni, qui Iacobum *Hamiltonium* ejus è filio nepotem, Iacobo Quinto demortuo, Scotiæ Proregem dixerunt, quem & Henricus Secundus Galliarum Rex *Castri-Heraldi* in Pictonibus Ducem salutavit: nec non per Iacobum Sextum, qui ejus filium Ioannem novo titulo, & Scottis non prius usitato, Marchionem *Hamiltoniæ* creavit.

*Glotta* sive *Cluida* hinc per *Bothwell*, (quæ suos jactat Comites Ioannem *Ramsay*, qui apud Iacobum Tertium nimia fuit potentia, sed sibi & Regi exitiosa, & *Hepburnos* de quibus antea,) & mox prono alveo *Glascow* interfluit, olim sedem Episcopalem, fed diu neglectam, donec Rex *Guilielmus* restituerit: nunc vero Archiepiscopalem, & Academiam, quam pio instituto anno M CCCCLIV *Turnbullus* Episcopus extracto Collegio instituit. Celeberrimum hoc est hujus tractus emporium, amoeno situ, & pomiferis arboribus laudatum, pontemque octo arcubus innixum habet per pulchrum; de quo I. Ionstonus:

[62] *Non te Pontificum luxus, non Infula tantum*

*Ornavit, diri quæ tibi caussa mali,  
Glottiadæ quantum decorant te, Glascua, Musæ,  
Que celsum attollunt clara sub astra caput.  
GLOTTA decus rerum, piscosis nobilis undis,  
Finitimi recreat jugera lœta soli.  
Ast Glottæ decus, & vicinis gloria terries  
Glascua fœcundat flumine cuncta suo.*

ADDIT. [Et Arturus Ionstonus sic cecinit de Glasua:

*Glasua, tu socias inter caput exeris urbes,  
Et te nil ingens pulchrius orbis habet,  
Sole sub occiduo Zephyri te temperat aura,  
Frigora nec brumæ, nec Canis ora times.  
Glotta latus cingens electro purior omni est,  
Hic Regis imperio lintea mille tuo.  
Pons jugat adversas operoso marmore ripas,  
Et tibi securum per vada præbet iter.  
Æmula Phœacum tua sunt pomaria sylvis,  
Ruraque Pæstanis sunt tibi plena rosis.  
Farra Ceres, armenta Pales, Thetis agmina gentis  
Squammigeræ, nemorum dat tibi Diva feras.  
Tecta nitent, ipsas & tangunt vertice nubes,  
Quo commendentur plus tamen intus habent.  
Templa domos superant, radiant hæc marmore puro  
Marmoris & pretium nobile vincit opus.  
Non procul hinc Themidis se tollunt atria, patres  
Hic ubi purpureos dicere jura vides.  
In medio residens sua pandit limina Phœbus.  
Hic cum Permesso Pegasus unda fluit.  
Civibus ingentes animos Deus armiger, artes  
Nata Iovis, stabiles Iuno ministrat opes.  
Menia Dardanidum posuit Grynæus Apollo,  
Et Deus æquoreis qui dominatur aquis.  
Glasua, te fausto struxerunt sidere Divi,  
Quot mare, quot tellus, quotquot & æther habet.*

Insignia civitatis Glasuæ.

Salmo, quercus, cui insidet rubecula avis, campana, & annulus aureus salmonis ore exertus.

*Salmo maris, terræque arbos, avis aeris, urbi  
Promittunt, quicquid trina elementa ferunt.  
Et campana (frequens celebret quod numinis aras  
Vrbs) superesse polo non peritura docet.  
Neve quis indubitet sociari æterna caducis,  
Annulus id, pignus conjugiale notat.*

Almæ genitricis memor raptim fundebat Robertus Magnus, Medicinæ Doctor & Professor in Academia Glasuensi

De eadem sic olim cecinit Marcus Alexander Bodius.

*Glotta maris soboles, liquido cui præsidet anmi  
Glasqua, sanguinei Martis & artis amor.]*

[63]

## RENFRRAW.

## EX CAMDENO.

Ad Glottæ ripam citeriorem sita est *Baronia de Reinfraw*, à primario oppido dicta, quæ Ptolemæi RANDVARA videtur ad *Cathcart* fluv. qui sui incolam habet ejesdem nominis priscæ nobilitatis Baronem de *Cathcart*, cui vicina sunt (eximia etenim est hæc provinciola nobilitatis altrix) *Cruikston* fedes quondam Dominorum de *Darley*, à quibus jure conjugali ad *Leviniae* sive *Lenoxiae* Comites devenit, unde Henricus pater Regis Iacobi VI. Dominus de *Darley* dictus; *Halkead* Baronum de *Ros* ex Anglica origine, utique à Roberto illo *Roos de Warke* genus trahunt, qui olim reicta Anglia fidem Regis Scotorum sequutus: *Pasletum*, vulgo *Paslay*, monasterium quondam celebre ab Alex. ejus nominis secundo *Scotiæ* Seneschallo fundatum, quod templi splendore & apparatus paucis cessit. nunc habitationem & Baronis titulum benignitate R. Iacobi Sexti Claudio *Hamiltoni* filio minori Ducis *Castri Heraldi* præbet, [ADDIT. filius ejus Iacobus titulo Comitis de *Ebbekorn* nunc gaudet.] & *Sempill* cuius Dominus Baro *Sempill* jure antiquo hujus Baroniæ est Vicecomes. Sed titulus<sup>69</sup> *Baronis de Reinfraw* ad *Scotiæ* Principem peculiari jure spectare legimus.

ADDITAMENTVM,  
Auctore  
ROBERTO GORDONIO.

*Renfroana* provincia, vulgo *Baronia de Renfrow*, sic dicta ab oppido primario ad sinistram *Glottæ* ripam.

Porrigitur in longitudinem ad millaria 26. Vbi vero latissima in 13. In *Cuneum* desinens ad templum de *Innerkip*. Tota vero in circuitum patet 70 millaria.

Ad boream *Glotta* alluitur, & objacet *Leviniæ*, ad occidentem ubi in *Cuneum* desinit alluitur *Glottæ* æstuário, & objacet *Covaliæ*, & *Argatheliæ*, ad orientem *Glottianæ* contigua, ad austrum *Cuningamiae*.

Solum jucundius quam fertilius, omnia tamen incolis abunde subministrat, & cœlo gaudet salubri.

Flumina duo habet præcipua, *Cart*, & *Black Cart*, ejusdem fere nominis, in quæ cæteri omnes minores fluvii & torrentes influunt, & simul juncta ad templum de *Inthennen*, unico ostio in *Glottam* se exonerant.

Oppida duo numerat, *Renfroam*, ad sinistram *Glottæ* ripam, provinciæ totius caput, & sedes conventuum præfecti seu Sheriff: regitur à Præfecto, Ballivis, & Senatu urbino, uti aliæ urbes Regiæ, quæ jure suffragii in supremis Regni comitiis fruuntur. *Pasletum* oppidum *Renfroa* speciosius & majus, ad sinistram *Carti* fluminis ripam, eleganti & pulchro situ: habet è Regione in valle subjecta splendidissimum palatum, quod olim fuit sedes Abbatum ordinis Cluniacensis, verum nunc cum reditibus monasterii devenit in possessionem comitum de *Abercorn*, qui Ballivos, ut vocant, elitit, per quos *Pasletum* regitur.

Gubernatur à præfecto quem *Sherif* vocant, qui singulis annis à supremo Regis Senatu è nobilibus provinciæ, Regis nomine eligitur, olim hæreditario jure pertinebat ad Baronem de

---

<sup>69</sup> i.e. titulum

*Semplo*, qui vel per se, vel per præfectos à se electos, juri dicundo præerat.

Ecclesiastica gubernatio post ejectam hierarchiam episcopalem rediit ad Aristocratiam Pastorum & Seniorum in Classes, quarum unicam munera quæ ordinarie Pasleti cogitur.

Nobiles primi ordinis Baronias aut Dominia hic possidentes, sunt Dux *Lennoxiae*, ad *Kruickston*, & *Inchennen*; Comes *Eglintoniae*, ad *Pounuijn*; *Glencarniae* ad *Finlastoune*; *Abircorniae*, ad *Pasley*. Barones majores, vulgo Lords, *Sempleus*, ad *Semples*; *Rossius*, ad *Hacket*. *Blantyrius*, ad *Kardonald*. Inter minores nobiles ex ordine equestris eminent *Steuart de Minto*; *Steuart de Castle-milk*; *Steuart de Blackhal*; *Houstoune de Houstounes*; *Maxwel de Poock*,<sup>70</sup> *Maxwel de Neuwarck*, *Bursbie de Bishopton*, *Wallac de Ellerslie*, *Wallac de Ihonstoune*, *Fleming de Barachni*, *Cunningham de Cragens*, *Semple de Fulwood*, *Semple de Catchcart*, *Shaw de Greenock*, *Porterfield de Duchal*, *Cochram*<sup>71</sup> *de Cochran*.

---

<sup>70</sup> i.e. *Polock*

<sup>71</sup> i.e. *Cochran*

[65]

LENNOX.

## EX CAMBDENO.

Ad alteram *Cluidæ* ripam, supra *Glascow, Lennoxia, sive Levinia* in Septentriones longius procurrit inter montium conglomerationes; nomen sortita à *Levino* flumine, quod Ptolemæo LELANONIVS, in *Cluidam* influit è *Lacu Lomundo*, qui sub montibus hîc se explicat, in longitudine XX mill. pass. & VIII in latitudine, admodum piscosus, sed maxime peculiari sibi pisce (*Pollac* vocant,) insulisque confertus, de quibus fabellæ apud vulgus hominum invaluerunt plurimæ. Insulam vero hic fluctuantem in quæstionem vocare non libet, cum nihil prohibet corpus levius, & pumicosum aquæ innatare, & Plinius scribit in lacu Vadimonis insulas herbidas junco & arundine tectas fluitare. Viderint autem illi qui proprius hujus loci naturam norunt. An hoc Nechami nostri antiquum Distichon sit verum,

*Ditatur fluviis Albania, saxea ligna*

*Dat Lomund multa frigiditate potens.*

In margine lacus circumquaque sunt piscatorum casulæ, sed nihil plane memoria dignum præter *Kilmoronoc* elegantes Comitis *Cassiliensis* ædes ad partem Orientalem, quæ jucundissimo in lacum fruuntur prospectu. Vbi autem *Levinus* è lacu in *Cluidam* se exonerat, interponitur *Al-cluid*, sic veteres dixerunt: Beda nescio quorum lingua *Petram Cluid* significasse notat: Certe *Ar-Cluid* supra *Cluidam* Britannice significat, & *Cluid* veteri Anglorum lingua *petram* significavit. Posteri *Dunbritton*, id est, *Britannorum oppidum*, & corrupte metathesi quadam *Dunbarton* vocarunt, eò quod Britanni diutissime contra Scotos, Pictos, & Saxones tenuerint. Est enim propugnaculum sive castrum & natura & situ totius Scotiæ munitissimum, ad ipsos fluminum confluentes, in herbida planicie, rupi confragosæ & bicipiti affixum, in cuius altero vertice specula eminet, in altero qui humilior crebra surgunt propugnacula. Inter duos hos vertices ad latus Septentrionale ascensum habet unicum vix singulis pervium, gradibus magno labore per obliquam rupem excisis. Pro fossis sunt ad Occasum *Levinus*, ad Meridiem *Cluida*, ad Orientem cœnosa planities, quæ Oceami æstu accedente, aquis tota integratur, ad Septentriones ipso acclivi situ tutissimum. Hoc loci ingenio & sua virtute nonnullæ reliquiae Britannorum, qui (ut scribit Gildas) *in montanis collibus minacibus, præruptis, vallatis, densimis saltibus, marinisque rupibus perfugium compararunt*, hic se à decessu Romanorum, per annos trecentos inter medios hostes defensarunt. Nam Bedæ tempore civitas (ut ipse scribit) Britannorum erat munitissima. Sed anno D CC LVI. Eadbertus Rex Nordan-humbrorum, & Oengus Rex Pictorum junctis viribus circumcluserunt, & rebus desperatis in conditionem receperunt. Ab hoc Regio circumsita Vicecomitatus de *Dunbarton* dicitur, & Comites *Lennoxiae* Vicecomites natos diu agnovit.

Quod ad ipsos *Lennoxiae* Comites spectat, ut vetustiores omittam, Duncanus quidam *Lennoxiae* Comes erat regnante Roberto Secundo, qui filiabus solummodo relicts diem obiit. Quarum alteram duxit Alanus *Stewart*, cui genus à Roberto, filio natu minori Walteri ejus nominis secundi, Magni Scotiæ *Seneschalli*, & fratre *Alexandri Stewart* fecundi, à quo strips Regia Scotorum. Ex honorario enim munere *Seneschalli* regni, utique qui Regiis proventibus præfuit, & *Stewart* lingua vulgari vocatur, cognomen illustrissimæ huic familie inditum erat. Alano illi natus erat Ioannes Comes *Lennoxiae*, & Robertus qui turmæ Scotorum, quam *Carolus sextus Rex Galliarum*, (ut aliquam gratiam Scoticæ genti præclare de regno Galliæ sua fortitudine meritæ reponeret,) primus conscripsit, præfuit, *Dominio de Aubigny* in Arvernus ab eodem virtutis ergo donatus. Ioanni filius erat Matthæus Comes *Lennoxiae*, qui duxit filiam Iacobi *Hamiltonii* è *Mariona* filia Iacobi secundi Regis, è qua suscepit Ioannem *Lennoxiae* Comitem, qui dum ad Regem *Iacobum Quintum* à *Douglasii & Hamiltoniis* liberandum arma sumeret, ab avunculo *Arraniæ* Comite fuit occisus. Ioanne procreatus erat Matthæus Comes *Lennoxiae*, qui varie agitatus in Gallia & Scotia, fortunam in Anglia mitiorem expertus gratia *Henrici Octavi*, quum neptim è sorore illi in matrimonium dedit cum latifundiis. Ex hoc fœlici conjugio progeniti *Henricus & Carolus, Henrico ex Maria* Scotiæ Regina *IACOBVS* sextus Rex Britanniæ proprio numinis æterni favore auspiciis

natus est, fœlicissimus ad orbem Britannicum inter se, ut à reliquo orbe ante divisum, in unum imperii corpus colligandum, & ad æternam securitatem (ut speramus & comprecamur) nostris posteris & posterorum nostrorum posteris infinitis seculorum continuationibus firmissime fundandam. Carolo autem nata filia unica Arbellæ, quæ supra sexum ita optimarum literarum studia est amplexa, ut ad veram virtutem summa cum laude sibi profuerint, & cum prisci seculi fœminis sit conferenda. Carolo autem defuncto, postquam [66] Comitatus *Lennoxiae*, qui illi fuit in feudum assignatus, sive de quo fuit *infeofatus*, authoritate Parliamentaria anno M D LXXIX revocaretur, & Robertus ejus patruus Episcopus Cathanesiae tantisper hunc titulum gessisset, pro quo Marchiæ Comitis honorem à Rege accepit; contulit Rex Iacobus Esmæo *Stewart*, filio Ioannis Domini *Aubigni*, & fratris<sup>72</sup> secundi Matthæi, quem dixi Comitis *Lennoxiae*, titulum Ducatus *Lennoxiae*, quo ejus filius Lodovicus hodie fruitur. [ADDIT. Hic Ludovicus improlis obiit, ad Parliamentum iturus, & togam indutus subito periit. Frater itaque *Esmæus Dominus de Aubigny* ei successit, cuius filius Iacobus eo honore nunc gaudet, aucto etiam titulo Ducatus Richmondiæ in Anglia, à Iacobo VI Patruo Ludovico ejus primum concesso.] A Caroli enim sexti temporibus ex hac stirpe fuerent Domini de *Aubigny* in Gallia, Robertus ille quem dixi, & Bernardus sive Eberardus sub Carolo VIII, & Lodovico XII; posteris à Iovio cum præconio narratus ob res fortissime in bello Neapolitano gestas, comes fidissimus Henrico Septimo cum Angliam adiert, qui pro symbolo usus erat Leone inter fibulas cum inscriptione DISTANTIA IVNGIT, quod ejus opera regna Galliæ & Scotiæ tanto intervallo sejuncta arctiore amicitiæ fœdere conjungerentur; ut Robertus *Stewart Dominus D'Aubigny* ex eadem stirpe, qui Mareschallus Galliæ sub Lodovico undecimo, eadem de caussa usus est insignibus Regis Galliæ, cum aureis fibulis in lymbo rubeo circumpositis, quæ eadem *Lennoxiae* Comites & Duces jam inde gestarunt.

LEVINIÆ  
NOVA DESCRIPTIO.

---

<sup>72</sup> i.e. fratre

Latus boreale æstuarii *Glottæ* antiquis nominati in Ptolemæo dicitur sinus *Leimonius* Κόλπος λειμώνιος, male in exemplaribus Ptolemæi scribitur λειμόνομος, pejus λεννανος; vocatur vero sinus, quia procurrit in terram diversis quasi brachiis, ac ita tractum terræ amplectens obviis ulnis, quasi in sinu comprehendit: nuncupatur *Laimonius*, ac si lacus *Leimonius* esset brachium maris, cum revera sit lacus aquæ dulcis, qui se egerit per canalem cognominem λειμον, ita vocatum à profunditate; λειμ\_ν est aqua profunda. Vt mare in Clidam ad Alnich sive Dumbarton, sic lacus *Leimonius* cum fluvio cognomine facit dextrum brachium finus hujusce, cuius alterum sive sinistrum brachium dicitur hodie lacus *Finnus*; ejus nomen apud antiquos nullum invenio, estque revera brachium maris salsi, procurrentis in terram, nomen habet à fluvio *Finno*, qui descendens è proximis montibus à Borea in eum influit. fluvius autem sic nominatur, quod sit aquæ lutulentæ à πίνος, id est sordidus. Intra *Finnum* & *Leimonium* sunt alii minores procursus maris in terram, qui interiores sinus faciunt. Ex iis procursibus duo sunt maxime insignes, puta λάκκος λόγγος, lacus longus, *Loch Louch*, sive *Loch Long*, vulgo nomen obtinet à fluvio synonimo, qui sic dicitur quod sit arctus canalis aquas absorbens, ab Hebræo \_\_\_\_\_ absorbeo; alter lacus est ille qui vulgo vocatur *Gerloch*, id est, brevis lacus, & revera est talis si cum reliquis comparetur, Gar enim priscis nostris est brevis ab Hebræo \_\_\_\_\_ terach, brevem esse sive decurtare. T\_ λειμ\_ν, de quo supra, lapsu temporis à priscis nostris vernis mutatum est in *Lewin*, & à nuperis Germanizantibus in *Leven*, quo denotare volunt canalem sive fluvium profundum illum decurrentem è lacu *Leimonio* in *Glottæ* ostium: Latini scriptores deinde ex *Lewin* sive *Levin* fecerunt *Levinus*, à quo Regio circumquaque vicina dicta est *Levinia* (in *Fifa* est lacus & amnis ejusdem nominis.) hujus regionis limites sunt multo arctiores hodie, ut & ubi ultimis ætatibus, quam fuerunt olim, ab ortu præsertim, nam hodie ex una parte lacus *Lemonii* ei est terminus, ab ortu supra ostium Anarici fluminis, à quo procedit versus ortum ad planum<sup>73</sup> amnum, qui itidem terminat hanc Regionem à *Sterlinensi*, per aliquot miliaria fluens ab austro in boream, qui deinde recipitur in *Annerico* amne. à fonte *Blani* est linea producta austrum versus ad fluvium *Celvinum* prope *Garscubum*, domum *Baronis de Colchon*. Ab austro terminus *Leviniae* est *Clyda* fluvius, & ejus æstuarium; ab occasu lacus longus & amnis ei synonymus in eum influens, qui descendit à montibus proximis; ad Boream eam terminat limes borealis hujus Regionis; est ea pars *Grampiorum* montium, quæ imminet lacui *Leimonio* ab ortu, & inde porrigitur ad occasum, usque ad fontem longi amnis. *Grampii* montes circa hæc loca maxime apparere incipiunt; hi montes vulgo dicuntur *Gransben-hills*, nomen denotat densos montes, sed de hoc alibi fusius.

Hæc provincia vulgo appellatur *Dumbartonensis* præfectura, ab urbe ubi provincialibus jus dicitur, puta *Dumbartoun*, quæ male à Latinis scriptoibus *Britannodunum* vocatur. Rationem scriptores dant à fictitia historia, quod scilicet antiqui Brittones eam tenuerunt, [67] & in ea custodias habuerunt contra *Caledonios*, sive *Scotos* priscos, & *Meatas* sive *Pictos*. *Nugæ*. Nam nomen est nuperum *Dumbartoni*, olim, teste *Beda*, dicebantur<sup>74</sup> *Alquith* sive *Arquith*, id est domicilium super monte, ῥο est ῥος mons, ut notum; *Quith* est idem quod nostrum *Keth*, tegumentum vel domus, à κεύθω tego. *Dumbar* notat turrim in monte; ita est interpretamentum veteris nomini, nam *Dun* est rupes, collis, mons; & *Bar*, turris: & cum hominess sub umbra hujus turris sive rupis non procul ab ejus radice in unum coiissent, & urbem condidissent, locum vocarunt *Dumbartoun*. Hæc urbs hodie fere circumdatur amne *Levino*, ubi confluit cum *Glotta*.

<sup>73</sup> i.e. *Blanum*

<sup>74</sup> i.e. dicebatur

hujus rupis biverticis, cum arce in altera vertice, & turri excubitoria in altera, habes elegantissimam descriptionem apud Maximum Gentilem nostrum in ipsius historia libro xx, his verbis.

A confluente Glottæ & Levin fluminum planities circiter mille passuum ad proximorum montium radices extenditur; in ipso autem angulo ubi amnes commiscentur rupes biceps attollitur; alterum ejus cornu quod altius se exerit Occidentem respicit; in summo ejus vertice specula est, longissimo in omnes partes prospectu: alterum Paulo humilius ad orientem vergit inter duo cornua. quod in Septemtriones & agros versum est latus, gradus habet per obliquam rupem, hominum industria & magno labore excisos, per quos vix singulis est aditus; est enim saxum illud prædaturum, & vix ullis ferramentis superabile, è quo si quid vel vi effringitur, vel ruinis collabitur, sulphureum late odorem expirat. In superioris arcis parte ingens est faxum, magnesii quidem lapidis, sed ita ceteræ rupi coagmentatum & adherens ut commissura omnino non appareat. Qua Glotta ad Meridiem præterfluit, rupes reliquis partibus natura præceps sese paululum inclinat, & exorrectis utrinque brachiis nonnihil soli amplectitur, quod partim naturæ ingenio, partim opera humana ita includitur, ut & frequentibus ædificiis per transversa latera locum præbeat, & stationem navium in flumine machinis æneis deverberando, suis tutam, hostibus infestam reddat, & minoribus lembis aditum prope ad ipsam arcis portam faciat; at media qua ascenditur, rupe ædificiis occupata, velut alteram arcem à superiore seclusam efficiat. Præter naturale rupis munimentum duo flumina, Levinus ad occasum, ad Meridiem Glotta, fossarum vicem supplent. ad latus orientale, quoties aestu intumuit mare, rupis radices alluit; cum recessit aestus, planities non quidem illa (ut fere sunt littora) arenosa, sed coenosa, pinguiore solo in lutum soluto diffunditur, eaque etiam torrentibus è propinquo monte præcipitantibus interscinditur. Reliquum latus in campum herbidum & planum est conversum. Arx fontes perennes tres habet; multis præterea locis aquæ vivæ scaturigines. Vrbs hæc Dumbarton per aliquot sæcula floruit, fuitque ut in illis regionibus Emporium satis nobile, sed nunc est tantum cadaver veteris urbis, licet antiqua privilegia hactenus retineat. Mercatura quam hic exercebant hujus urbes<sup>75</sup> cives translata est Glasguam, non ita pridem, culpa ut ajunt Dumbartonensium. Amnium hujus regionis Princeps est Levinus, de quo jam, qui eum per medium secat. Reliqui amnes sunt Limerami puta Anericus, Blanus, Kelvenius, de quibus in descriptione præfecturæ Sterlinensis. de Glotta in valle Glottiana loquimur. Levinus amnis est admodum piscosus, nominatim abundat salmonibus, quorum captura accolæ magnum quæstum faciunt, præsertim prope Lacum Lemonium. De fluvio λόγγ\_ supra. Tota regio commode in duas partes dividitur, prior & Orientalior est humilis, jacens inter amnes Innericum, Blanum, Kelvinum, Clydam, & Levinum. Erat autem pars ditionis Damniorum, estque frugum omnis generis satis ferax, præfertim juxta fluenta prædictorum anmum. Qua terra est remotior ab hisce amnibus, est minus frugum fertilis, quippe quæ paulatim in colles tantum gramine & ericis coopertos edita, itaque pecori pascendo magis idonea siet, unde incolæ maximum proventum habent. Reliqua pars regionis assurgit in montes altos, & ibi præsertim ut dicebamus incipiunt apparere Grampii montes. Incolæ hujus partis, sicut & proximorum tractuum horum montium, dicebantur Antiquis Waccomagi, ο\_ακκυμάγοι Ptolemæo, id est loca vasta & deserta incolentes: voce composita, cuius una pars est magus quod notat habitationem; ita multarum urbium ingreditur nomen apud antiquos, quod discas ex secundo libro Gentilis nostri, ut alios taceam, estque vocabulum origine Hebræum, quibus \_\_\_\_<sup>76</sup> magon est habitatio, à verbo simplici \_\_\_\_ avan habitaculum: altera pars compositionis est Vaica vel Baicha, quo nomine denotatur locus desertus vel vastus. Hæc vox etiam Hebræa est \_\_\_\_ Baca, vastare, spoliare; hinc Vaccæi hodie Baschi, & Vaciones hodie Vascones, qui habitant loca vasta deserta in Pyreneis montibus & juxta. Porro hic est vestigium veteris nominis Vaicomagon, in prædo quod situm est in clivo montis vasti imminentis lacui Leimanno ab ortu, & dicitur

<sup>75</sup> i.e. urbis

<sup>76</sup> i.e. \_\_\_\_ ?

vulgo Blanvochie, id est declive viride montis vasti, nam *Blan* hodie nostratis notat declive gramine virescens. Hoc prædium pssidet unus ex gente Buchanana. Iam licet hæc pars Regionis nostræ ascendat in montes vastos, interim juxta cursus aquarum sunt valles satis frugum fertiles. Incolæ utuntur vice lignorum in ignem; qua propiores sunt fluvio Cludæ, Lithanthrace sive carbone fossili, de quo alibi. Reliqui vero omnes per cunctam regionem in usum ignis habent cespitem itidem fossitum nigrum, de quo etiam alibi. lignorum rario [68] est usus, montes enim sunt glabri minusque sylvis abundant. In finibus hujus æsturarii, nominatim in Longo & Finno, est quotannis ingens captura halecum, quæ per plures menses durat; ei incolæ magno studio & labore incumbunt, iis enim piscibus bona parte anni pauperiores vicini, præsertim ipsi piscatores, non solum in obsonium sed pro pane utuntur. Mercatores plurimum quæstum ex iis piscibus faciunt, nam eorum copiam exteris divendunt. Tota Regio continet plus minus duodecem Parochias sive vicinias, quæ singulæ habent sanctas ædes ad sacras synaxes. Familiæ quæ hic habitant, vel terras habent, insigniores sunt hæ; imprimis Stuarti, quorum princeps Dux Levinus non solum hic ampla habet latifundia sibi propria, sed etiam dominium totius provinciæ, à qua titulum dignitatis Ducalis habet in hoc Regno. Deinde sunt Cambelli, quorum Princeps Marchio Argatheliæ habet possessiones cum ædibus amplis ac arces. Tertio sunt Colchoni, qui plurima hic habent prædia & arces, nomen genti est à prædio ad Glottam cognomine, quod sic vocatur à curvatura vel flexura montis, Col enim sive Cul est flexura priscis nostris, à Græco κυλλ\_ς, id est curvus: & Chon est collis sive mons, à Græco χ' voc; idem unde Chonocha priscis nostris pro clivo ad valles aquosas, & est nomen provinciæ in Hibernia, sicut apud nos nonnullorum prædiorum. Post hos sunt Naperi, qui se ex antiqua prosapia Leviniorum dicunt prognatos, ad quos attinebat dominium provinciæ antequam ad Sturtos perveniret. Ex his Naperis, quorum Philarcha fuit dum viveret, ortus est maximus ille Mathematicus Merchistonii Baro. Deinde sunt Parlanidæ sive Mardalani,<sup>77</sup> qui suam etiam originem ad familiam Levinorum referunt. Postea sunt Alanidæ sive Machalani, item Haldeni, qui hic magnas possessiones & dominia habent. Sunt etiam ex Samplæis quidam, qui hic prædia habent; item ex Hamiltoniis nonnulli, juxta Clydam. Denique ex Buchananis plurimi circa Blanum, Anericum, & Levinum, possessiones habent. Sunt & aliæ in hac Regione minores gentes, de quibus taceo hoc in loco. Bona pars valli Severi, ut alibi dicebam, per hanc transit Regionem, desinitque ad Glottam prope Dunglassum, arcem Colchonneorum, sed de hoc alibi.

### *Insulæ in Lacu Lomundo*

Yland Vealich, longitudinis vix dimidiati stadii, fluvio Levinio proxima.

Duæ exiguae Insulæ (anonyma utraque) littori proximæ, ad porten ylen.

Yland Abyz, non procul ostio Ainrici fluminis. Yland Kerdaig, ex minimis una.

Yland Cuirnich, aut Kernaig, sylvosa est, habitata tamen.

Inche-Chaille, quæ vox Silvestrem insulam significat, culta & frugifera, habet etiam Ecclesiam parochiale. Ei ad euro-astrum objacet Turrinche, longitudinis prope trium stadiorum.

Huic propinquæ est Lack-ow, exigua insula.

Kre-inche vix tractum arcus quantitate æquans. Carigow. Omnes hæ exiguae insulæ proxime dictæ, interjacent Inche-chaille antedictam, & Inche-Mourin.

Inche-Mourin aut Innche-Merin, Marini Insula, prope viginti stadiorum longitudinis, omnes reliquas quantitate & nobilitate antecedit, messi & pastui accommoda, ædificiis culta, venationi cervorum apta, unde reges ea multum delectati, venatu frequenter illic se exercebant. Inche-Fadd ad tria millia illinc versus arctum, frugum ferax, nec sylvæ indiga, humili & laudato solo. Haud procul inde ad orrum

---

<sup>77</sup> i.e. Macfarlani ?

hybernum abest Darrach, id est quercus insula. Inde ad quadrantem miliaris est Ylen Cowan, à Cowano, viro religioso & in iis regionibus Divo habito, nomen sortita. Paulum inde ad occasum cernitur Inche-Crowny, culta & incolis frequens. Proxima est Rosh, exigua insula & littori contigua, quod Errachar-moir nomen habet.

Huic succedit Carig-ow.

Kerdaig ad occasum proximat Inche-Crowny jam dictam, parva, & sylva obsita.

Vnde ad occasum succedit Yland na Bock, aut hircorum Insula, quatuor aut quinque stadiorum longitudinis.

Haud procul Marini insula ad occasum æstivum abest Inche-Moyn, longitudinis unius milliarii, ut plurimum sylvis aspera.

Inde ad occasum, stadii intervallo, proxima est Iland na Chastel, tota fere hedera obtecta, habet antiquam arcem unde ei nomen.

Ad tres inde sagittæ jactus sequitur Gowloch, è minimis una, non tamen arborum indiga.

Vnde ad occasum vergit Inche-Davannan longitudinis sesquimilliarrii, & æqualis latitudinis, sylvis decenter sparsa, luxuriat hic genesta, multa sylvestrium baccarum genera, frequentes hic angues reperiuntur; qua sese in tumulos attollit Tom-na-clag dicitur, amœnis habitationibus conspicua, hortis, & fructiferis arboribus nitida ad oram occasui hyberno obversam. Pertinet hæc insula ad Nobiliss. Comitem Glen-carniæ.

Huic adhæret inter occasum & meridiem Nowag insula, ab agnis nomen habens.

Ad ortum vero æstivum proxima est Inche-Connagan, milliare in longitudine expansa, latitudine dimidio minor, sylvis betulæ arbores vestita, non desunt arva frugifera, sed angues hic frequentes stabulantur.

Exigua insula anonyma, inter duas majores prædictas jacet.

Proximæ continentí Row-Chassil dictæ adhæret Yland Beg, cuius nomen exiguum spatium denotat.

Inche-Lonaig, sesqui-miliari longitudine, latitudine dimidia: hic taxus arbor frequens crescit, quæ nullibi in his insulis præter hanc conspicitur.

Huic ad meridiem vicina est Freuch-yland, exigua illa, & anguibus scatens.

Inde ad meridiem exiguo intervallo Cammer-Raddach, parva & sylvis vepribusque horrens.

Sequitur ad occasum æstivum Creig-na-Skarrow.

Ad littus Rosh dictum jacet Yland Rosh.

Et huic contigua Insula exigua, anonyma.

Yland na Darragan, à superiori ad tria millia, sylvis tecta.

Vnde ad arctum (ubi jam lacus angusto canali contrahitur) visitur Insula Notyr-Gannich dicta, quæ ab arenis nomen habet.

Supra eam ad septem millia passuum abest Yland Terbart.

At ab ea ad meridiem ad quinque millia passuum jacet Row-glask commodis ædibus Mac-Farlani Comarchæ visenda.

Ab insula Terbart ad tria millia passuum ad septentrionem Yland Ow, amœnis habitationibus, hortis, & viridariis distincta.

Inde ad tria millia passuum ad initium totius Lacus Yland Eaunlich, culta, & habitata.

[69]

STIRLING  
SHIRIFDOME.

## EX CAMBDENO.

Lennoxiæ ad Ortum æstivalem conterminus est ager Sterlinensis, nomine à primario oppido assumpto, soli ubertate, & nobilium frequentia nulli Scotiæ provinciæ secunda. Hic illud angustum est terræ spatium, quo GLOTTA & BODOTRIA, sive *Dunbritton Frith & Edenborough Frith* (ut ad nostra tempora loquar) diversi maris æstu longius inventi ne invicem pertingant, dirimuntur: quod Iulius Agricola, qui huc & ulterius penetravit, primus observavit, & hoc interstitium præsidiis firmavit, ita ut omnis citerior Britanniæ pars à Romanis tunc teneretur, hostibus velut in aliam insulam submotis; ut recte judicarit Tacitus, non aliud Britanniæ quærendum terminum: Nec ulterius sane subsequenti tempore Virtus exercituum, & Gloria Romani nominis, quæ vix sisti poterant, limites imperii hac in parte promovit, licet incursionibus subinde infestaverit. Sed post hanc gloriosam Agricolæ expeditionem ipso revocato, *Britannia*, ut ait Tacitus, *missa*, nec huc usque retenta. Nam Britanni Caledonii ad *Tinum* usque flumen Romanos repulerunt, adeo ut Hadrianus, qui Britanniam anno plus minus quadragesimo post adiit & multa in ea correxit, non ulterius processerit, sed jusserrit ut Deus TERMINVS, qui nulli cedere solitus, ipsi Hadriano ex hoc loco perinde ut in oriente cis Euphratem, retrorsus cederet. Vnde illud B. Augustini: *Deus TERMINVS qui non cessit Iovi, cessit Hadriani voluntati, cessit Iuliani temeritati, cessit Ioviani necessitati.* Vsque adeo ut Hadrian. satis habuerit inter *Tinam & Escam* fl. murum cespititium ducere centum mill. pass. citra *Bodotriam* ad Austrum. Verum Antoninus Pius, qui ab Hadriano adoptatus, in ejus nomen transit, dictus *Titus Ælius Hadrianus Antoninus Pius*, ductu Lollii Vrbici quem Legatum huc miserat, barbaros iterum trans BODOTRIAM alio ut habet Capitolinus *cespititio muro*, scilicet ab illo Hadriani, submovit. Quem hoc in loco de quo agimus ductum fuisse (& non à Severo ut vulgo creditum) non alios advocabo testes quam duas antiques Inscriptiones hic effossas, quarum altera, ad *Cadir* parieti domus infixæ, docet Legionem Secundam Augustam per tria mill. pass. & amplius, altera jam in ædibus Comitis *Marescalli ad Dunotyr*, quæ innuit vexillationem Legionis vicesimæ Victricis per III mill. pass. murum duxisse. Sed habe ipsas, ut Servatius Rihelius nobilis Silesius, qui has regiones curiose observavit, mihi descriptas:

IMP. CÆSARI T. ÆLIO  
HADRIANO ANTONINO.  
AVG. PIO. P.P. VEXILLA-  
TION. LEG. XX. VAL.VIC.  
F. PER. M. P. III.

IMP. CÆS. TITO. ÆLIO  
HADRIANO ANTONINO.  
AVG. PIO. PP. LEG.II. AVG.  
PER. M. P. M. DC. LXVII

Ad *Cadir*, ubi hæc posterior extat, etiam alter ostenditur lapis, in quo intra coronam lauream duabus victoriolis sustentata legitur:

LEG.  
II  
AVG.  
FECIT.

Et in pago (*Minibruch* dicta) ex domo Ministri translata est hæc inscriptio in Nobilis domum, quæ ibidem exædificatur:

D. M.  
C. IVLI.  
MARCELLINI  
PRÆF.  
COH. I. HAMIOR

Cum autem Barbari imperante Commodo hunc murum transgressi multa vastassent, Severus Hadriani murum, ut jam diximus, restauravit. Postea tamen regionem interjectam in suam potestatem redegerunt rursus Romani. Nam Carausium sub Diocletiano refirmasse hunc murum & septem castellis communivisse tradidit Ninius. Postremò hunc locum munierunt Romani Theodosio juniore imperante, ductu Gallionis Ravennatis. *Fecerunt autem, inquit Beda, ex cespitibus murum non tam lapidibus quam cespitibus construentes, utpote nullum tanti operis artificem habentes, ad nihil utilem<sup>78</sup>, inter duo freta vel sinus maris per millia passuum plurima. ut ubi aquarum munitio deerat, ibi præsidio Valli fines suos ab hostium irruptione defendenter. Cujus operis ibidem facti, id est, Valli latisimi & altissimi usque [70] hodie certissima vestigia cernere liet.* Incepit hic murus, ut hodie ferunt Scotti, ad Avenum fl. qui *Edenburgh Firth* subit, & transito *Carrone* fluviolo ad *Dunbritton* pertingit. Beda autem, ut modo dictum, incipere dicit in loco *Pen-vael*, id est, Pictorum lingua, *Caput valli*, Britannorum *Pen-gual*, Anglorum *Penwalton*, Scotorum *Cevall*, quæ omnia proculdubio à Latinorum *Vallo* deducta, locumque illum duorum fere millium spatio abesse ab *Abercurnig* sive *Abercurning*. Desinit autem vulgi opinione ad *Kirk-Patrick* natale solum S. Patricii Hibernicorum Apostoli, juxta *Cluidam*, secundum Bedam ad *Alcluid*, secundum Ninium ad civitatem *Pen Alcloyt*, quæ eadem videantur. Vocatur autem murus iste vulgo *Grahams dyke*, vel à *Grahamo* Scoto bellico, cuius virtus in eo perrumpendo in primis eminuit, vel à Grampio monte ad cuius radices visitur. Qui *Rotam Temporum* scripsit, murum de *Abercorneth* appellat, id est, *Ostii Corneth* flu. ubi Bedæ seculo *monasterium celebre in regione*, ut ille prodidit, *Anglorum, sed in vicinia freti quod Anglorum terras Pictorumque tunc determinavit.* Proxime hunc Murum cespititium sive Vallum qua *Carron* fluvius Sterlingensem hunc agrum secat, ad lævam duo tumuli aggesti cernuntur, quos *Duni pacis*, & ad duo fere millia passuum inferius antiqua est substructio rotunda XXIV cubitos alta, XIII lata, in summo aperta, sine calce ex asperis saxis ita conformata, superiori lapidis parte in inferiorem inserta, ut totum opus in arctum surgens mutuo complexu se sustineat; hanc alii Dei TERMINI templum, alii *Arthurs-Oven*, qui quicquid magnificum ad Arthurum referunt, alii *Julius hoff* vocant, & à Iulio Cæsare constructam opinantur; ego autem à Iulio Agricola potius opinarer, qui hanc partem præmunivit: nisi Ninius jam docuisset à Carausio in Arcum triumphalem erectam fuisse. Ille enim (scribit Ninius) *ad ripam Caruni domum rotundam politis lapidibus fornicem triumphalem in victoriae memoriam erigens construxit, murumque reædificavit, & septem Castellis munivit.* Medio spatio inter *Dunos Pacis* & hanc substructionem, ad dextram *Carronis* ripam, antiquæ urbeculæ confusa etjamnum cernitur facies, ubi olim navium fuisse stationem vulgus credit, qui *Camelot* vocant. celebri in Arthuri fabella nomine, & *Camalodunum* fuisse à Tacito memoratum, frustra contendunt. Ex *Caronis* fluminis subterlabentis nomine CORIA DAMNIORVM, cuius meminit Ptolemæus, potius videatur. Nunc habe quod de hoc Romani imperii limite ad Carronem cecinit optimus ille Poëta G. Buchananus:

*Roma securigeris prætendit mœnia Scottis,  
Hic spe progressus posita, Carronis ad undam  
Terminus Ausonii signat divortia regni.*

In hoc agro Sterlingensi ad orientalem partem cernitur Castrum *Callendar* Baronum de *Levingston*. [ADDIT. Iacobus de Levingston Comes de Callendar minor natu, emit à majori natu fratre Comite de Linlithquo Baroniam de Callendar, qui à Rege Carolo in Comitatum erectus est: hic diu in

---

<sup>78</sup> i.e. *utilis* ?

Belgica sub Ordinibus Fœderatis meruit & arma gessit, milite gregario per omnia officia ad Tribunatum pervenit, & tandem ante annos aliquot in patriam concessit, ibique nunc Locum tenens exercitus Scotici sub Leslæo.]

Familia Baronum *Fleming* prope habitat ad *Cumbernald*, quod acceptum ferunt Regi Roberto *Brus*, ob operam fortiter & fideliter in patria tuenda præstitam, unde etiam honorem hæreditarium Camerarii Scotiæ sunt consequuti. Nuperrime etiam Regis Iacobi Sexti gratia Comitis titulum in hanc familiam intulit, cum I. Baronem *Fleming Wigtoniæ* Comitem creaverit. In vicinia est *Elphington* quæ suos etiam habet Barones [ADDIT. quorum primus fuit Alexander Elphinstonus, cui propterea quod Barlæam, Reginæ Margaritæ Henr. VII filiæ ancillam, in matrimonium duxerit, cum Baronis titulo Rex Iacobus IV Baroniam de *Kildrimie* in feudum concessit] eò dignitatis à Rege Iacobo Quarto enectos, & qua *Fortha* meandris suis tortuosus volvitur, & pontis patiens *Sterlinium*, vulgo *Strivelin*, & *Sterlin Borrough* adsidet, ubi in supercilio rupis præcipitis arx regia eminet firmissima, quam Rex Iacobus Sextus novis ædificiis exornavit, cuique diu præfuerunt ut Castellani Domini de *Ereskin*, quibus Principum Scotiæ dum minori sunt ætate, cura & custodia subinde fuit demandata. De *Sterlino* autem quæ cecinit I. Ionstonus cætera supplebunt:

*Regia sublimis celsa despectat ab arce  
Pendula, sub biferis mœnia structa jugis.  
Regum augusta parens, Regum nutricula natis,  
Hinc sibi Regifico nomine tota placet.  
Hospita sed cuivis quovis sub nomine, amicus  
Sive es, seu non es, hospes an hostis item.  
Pro lucro cedit damnum. Discordia tristis  
Heu quoties procerum sanguine tinxit humum?  
Hoc uno infelix, at felix cætera: nusquam  
Lætior aut cæli frons, geniusve soli.*

[ADDIT. Et Arturus Ionstonus in hunc modum de agro Sterlinensi:

*Sterlino quis digna canat? Cunabula Reges  
Hic sua securis imposuere jugis.  
Aura salutifera est, facit hoc vicinia cæli,  
Nec datur à sævo tutior hoste locus.  
Adspicis hîc geminis structas in rupibus arcis,  
Tectaque Tarpeji turribus æqua Iovis.  
Fortha triumphales hîc, dum fugit, excipit arcus,  
Cogitur & curvo subdere colla jugo.  
Haud aliter Phrygiis ludit Mæander in oris,  
Sæpe fluit, trepidans sæpe recursat aqua.  
Orbe pererrato levis huc vestigial flectens  
Advena miratur ruris & urbis opes.  
Admiranda quidem sunt hæc, & carmine digna:  
Plus tamen hîc virtus Martia laudis habet.  
Non semel Ausonios Sterlinum reppulit enses,  
Limes & Imperii, quem bibit, amnis erat?]⁷⁹*

---

<sup>79</sup> The interrogation mark should be deleted

[71] Circiter duo hinc milliaria *Banoc* amnis præaltis utrinque ripis hieme rapidus *Fortham* petit, celeberrimus victoria Scotorum, si qua alia clarissima, Edwardo Secundo Angliæ fugato, qui navicula saluti trepidus consuluit, & instructissimo quem Anglia ante emisit exercitu, virtute R. Roberti *Brus* fuso, adeo ut uno & altero post anno Angli in Scotos vexilla non sustulerint. Ager autem vicinus infamis cæde Iacobi Tertii, quem quidam Scotiæ proceres armato in filium patre hîc peremerunt, nescio an sua vel ipsorum culpa, exemplo sane pessimo. Circa *Sterlinum Alaunam* statuere videtur Ptolemæus, quæ vel ad *Alon* Rivulum qui *Fortham* hîc illabitur, vel ad *Alway* Ereskinorum ædes, qui hæreditarii hujus agri extra Burgum sunt Vicecomites. [ADDIT. Comitis autem Sterlinii titulum adeptus est à Carolo Dux<sup>80</sup> Wilhelmus Alexander, Secretarius Regius & libellorum supplicorum magister, impetravit etiam novam Scotiam in feofamentum; libertatem etiam à Rege obtinuit creandi 100 Baronnettos.]

NOVA DESCRIPTIO  
PRÆFECTVRÆ  
STERLINENSIS.

---

<sup>80</sup> i.e. Dominus ('D.' wrongly expanded)

Præfectura *Sterlinensis* non ita arctis hodie coeretur terminis ac ager olim *Sterlinensis*, nam sub ea appellatione tantum intelligunt scriptores territoriorum urbi *Sterlino* circumquaque vicinum, jam vero ut à nuperis fæculis latius extenditur versus ortum, austrum, & occasum, habetque terminus hosce; ab ortu amnem Evenum, qui decurrens è montibus ab austro versus boream se immiscet Forthæ sive Boderiæ, præfecturam hanc secat ab agro Lithgoano. ab austro habet vallem Glottianam & amnem Blanum, qui ingreditur Anericum; hic vero sese exonerat in Lacu Leymonio. ab occasu ipsum Lacum Leimonium habet. Blanus, Anericus fluvii, & Lacus Leimonius dividunt hanc provinciam à Levinia. Fortha sive Boderia fluvius est limes præfecturæ nostræ à borea; hic fluvius nobilis incipit non procul à radice Leimonii montis, currit ab occasu in ortum, nomen habet à profunditate Boderiæ: Bod enim significat profundum, hoc à Græco Βοτ\_ς & Rea sive Ria, fluxus à Pœ. Hæc præfectura faciebat olim partem ditionis Damniorum. Regioni nomen est inditum à metropoli, puta Sterlinum, quæ ita nuncupatur à situ; posita enim est in declivi præruptæ rupis, ad cujus radicem aqua profunda fluit, nimirum Boderia, sive Fortha. Ster, priscis Saxonibus est mons, rupes; & Lin, aqua profunda etiam hodie. Walvernus. Hæc urbs dicta fuit olim Binobara, male apud Ptolemæum, Vindovara. Bin, ut notum est, mons, & vara, fluvius. ita nomen hodiernum urbis, est interpretamentum veteris appellationis. In vertice hujus urbis est arx munitissima, decorata altero abhinc sæculo elegantissimis Iacobi V ædificiis. urbs sita est in loco non minus usui hominum commodo, quam aspectui grato. Ager enim vicinus est frugum ferax, & quo nihil apud nos amœnius reperiri est, præstertim si ex arce vel editiore urbis parte versus ortum Forthæ Meandros despicias; à dextra parte urbis sita fuit nobilis Abbatia, vulgo dicta Dambuskenneth,<sup>81</sup> male pro Campskynnell, vox composita notat flexuram rivi sive fluvii; ita Latine bene redditur Campe canalis, nam campe est flexura, & Kinnell five Canalis est fluvius. Ad hanc urbem provinciales ad jus audiendum accedunt. urbs hæc censemur quasi clavis totius regni, per eam enim aperitur via ab austro ad boream, & contra nullibi transitum adeo facilem invenias, quia hic solum Fortha ponte transitur. Qui amnis secat australem plagam à boreali, & tantum brevi isthmo à Lacu Leimonio distat, qui isthmus impedit quo minus tota plaga borealis Insula siet. In hac urbe primum excusus fuit ille nummus, qui à loco Sterlinus dicitur, eo tempore, quo Boreales Saxones occupabant totum agrum. Inter Tinam & Fortham ab ortu, inter Tinam & Glottam ab occasu, hic nummus Sterlini excusus inserviebat Saxonibus, Scotis, & Pictis, quorum ditiones hoc in loco tanquam in centro desinebant. Praeter Evenum sunt in hac Regione hi præcipui: Caron decurrens ab australibus regionis montibus versus Boream sese immiscet Forthæ; deinde est insignis ille amnis ob notabile hoc prælium inter Scotos & Anglos, in quo tot millia Anglorum cecidere; ad ejus enim ripam pugnatum est. amnis vulgo audit Bannokburne, id est, torrens decurrens è collibus; siquidem Bannok est parvus mons est enim dimunitivum à Bin, Ben, vel Ban, quod est mons, & burne est interpretamentum torrentis. Influit hic amnis in Fortham, descendens ab australibus montibus. Est etiam alias amnis ab eisdem montibus defluens, [72] sed currit primum à boreali ad austrum, donec perveniat ad ima montium, unde fluit in occasum; nomen amni est Kilwin, id est, celer fluvius; Kell, est celer, & Win est aqua. In his itidem montibus nascitur alias amnis, qui à multis flexibus dicitur Campsey, nam Campsi est curvatura, & Ey est aqua; amnis hic sese abscondit in Anerico fluvio. Ab hoc amne tractus montium vicinus, vulgo dicitur Campsey-hilles, id est, montes imminentes sinuoso amni. Paulo occidentalior est amnis nomine Blanus, terminans præfecturam nostram ex parte à Levinia. Hinc Maximus gentilis noster, qui natus est ad amnem hunc, dicit se natum esse in ea provincia. Post hos est nobilis ille fluvius Anericus, defluens ex montibus predictis versus occasum, qui post plures minores amnes in sese receptos tandem se condit in Lacu Leimonio. Hæc Regio nostra qua se dimittit in valles & in planities extenditur, hic est frugum perquam ferax, illuc pratis virentibus amœna; qua ascendit in montibus versus austrum, abundat gregibus ovium: βῆσσαι montium versus boream & occasum gramine virentes, & silvis tectæ, nutriunt boves innumeros, unde incolis est maximum vectigal. Amnes in hac regione sunt piscosi, nominatim Fortha abundat

<sup>81</sup> i.e. Cambuskenneth

salmonibus. In parte Orientali provinciae vice lignorum in ignem lapide nigro sulphureo, maximus laboribus ex visceribus terræ extracto (quem vulgo carbonem vocant) utuntur; reliqua fere tota provincia in ignem utitur cespite exciso ex nigra superficie terræ, coalitæ ex aqua lutosa & putrescente, & musco arborum per aliquot sæcula humi jacentium; hanc vulgo Mossam à musco vocant. Incolæ montium versus boream & occasum ligna urunt, quorum copiam habent, quia Lacus Leimonius finit Provinciam nostram. Ab occasu (de eo lubet hic unum aut alterum verbum dicere) protenditur in longitudinem circiter viginti quatuor miliaria; ab austro in Boream undique fere ambitur montibus præaltis, nisi ab Austro<sup>82</sup> latitudo ejus, qua maxima est octo miliarium, qua minima duo. Sunt in eo triginta Insulæ, in tribus quarum errant Sacræ Ædes, sunt non paucæ compages trabium connexarum (ut erant antiquissimæ rates) cespite viridi coopertæ. In has autem, tempore belli, Lacus accolæ cum uxoribus liberis & rebus domesticis se recipere solebant, & hæ sunt Insulæ natantes, de quibus fabulantur Scriptores, cujusmodi in pluribus aliis lacubus invenias. Nugamentum est merum de undis hujus Lacus sine flatu ventorum; & pisces, quos ajunt sine pinnis esse, sunt ex genere anguillarum, quas vulgo Poanas vocant, quare nihil mirum. Montium<sup>83</sup> qui Lacui imminent longe altissimus est ille, qui à Lacu ipso nomen desumit, & Banleimont dicitur, id est, mons Leimonius. Regio hæc continet in se plus minus viginti vicinias sive Parochias, in quibus singulis sunt sacræ Ædes ad sacros coetus. Familiae insigniores, quæ vel hic habitant, vel prædia ampla possident, sunt hæ in primis. Vt à parte Orientali incipiām, sunt Levinstonii, qui multa latifundia in hac parte & in australi possident. 2, Brucii: 3, Elphinstonii: 4, ex Moreis sive Moraviis nonnulli: 5, ex Setoniis quidam: 6, Gramii: 7, Naperii; his proximi sunt Buchanani, qui secundum amnem Anericum ab austro, & Lacum Leimonium ab occasu ampla possident prædia, ex quibus est unum primarium, ad Principem familie sive Philarcham pertinens, quod vulgo Buchannan dicitur, unde genti nomen. Vox prædium denotans est compositum, sonatque agrum humilem vel depresso juxta aquas: Much enim vel Buch, notat humilem locum, & Annan, aquas: & tale est revera perpingue hoc prædium, irrigatum ex austro ab Anerico, & id Lacus Leminius lambit ab occasu. Per regionem hanc nostram ductum fuit illud Vallum Severi, quod nos vulgo per interpretamentum Grahames Dyk vocamus, siquidem Grame est nobis id quod Severus est latinis, & Dyk nobis quod illis vallum. Incipit vero vallum ad Fortham, non procul ab Abercorna, paulo ulterius versus ortum in agro Lithgoano; inde ducitur versus occasum ad Grangiam & Kiniliam, loca nota; hinc ad Innerevenum vel interiorem Evenum, unde progreditur ad Falkirkum oppidum, sic vocatum quod sit ibi in edito loco situm; Fal, enim vel Fel, est locus editus à Græco \_αλός, quod idem significat; & Kerk, vel Kirk, à κερκός circulus; templa enim Deorum antiquissima erant rotunda: post hoc, ad locum qui vulgo Camelon dicitur, progreditur, de quo multa alibi legas licet, quare de eo nihil hic. Inde procedit Vallum ad sylvam Cumbernaldii, ubi erat maximum munimentum, quod vulgus noster vocat Castle Kain, à quo Vallum deducitur ad Barhill, id est, turrem in colle; Bar enim est turris; & Hill, collis. Non ita pridem hoc in loco eruti sunt non pauci lapides eleganter sculpti, cum inscriptionibus Romanis; nonnulli ex hisce conservantur à vicinis nobilibus. Hic Vallum relinquentes Provinciam nostram ingreditur Leviniam, & procedit ad

---

<sup>82</sup> Punctuation is required here

<sup>83</sup> Abbreviation ‘montiu’ expanded

Kirkintillocum, id est templum situm in monticulo de Kirk; jam<sup>84</sup> Tilluc, vel Tilli est monticulus, vel locus paulo editior. hic etiam erat magnum munimentum. Inde protenditur Vallum ad ostium Glottæ prope Dunglassum, id est rupem ad aquam: Dun est mons vel rupes; & Glas, aqua priscis. à Boreali latere Valli, ab uno extremo ad alterum ducta fuit fossa lata & profunda, juxta imum valli; fama est ab uno munimento ad aliud fuisse subterranean itinera, per quæ milites clam euntes communicabant consilia, ut res postulabat. Vallum est plus minus triginta sex miliarium in longitudinem porrectum, ab ortu ad occasum.

---

<sup>84</sup> i.e. (probably)nam

[73]

**DESCRIPTIO  
FIFÆ.**

**EX CAMBDENO.**

In hac ampla Caledoniorum regione, post Sterlinensem agrum, de quo postremo dictum, & duas minoris notæ Præfecturas sive Vicecomitatus, *Clackmanan*, cui Eques dictus de *Carss*, & *Kinross* cui *Mortonii Comes*<sup>85</sup> Vicecomites præsunt, spectatissima peninsula *Fife*, quasi cuneata inter duo aestuaria, *Fortham* & *Taum*, in Ortum longius procurrit. Terra fruges & pabula, carbonesque fossiles benigne profundit, mare præter alios pisces ostrea & conchilia affatim producit, & littora consita oppidulis, quæ strenuis abundant nautis. In australi hujus latere, ad *Fortham* primum Occasum versus, apparet *Cul-ros* nova Baronia I. *Colvil*: inde eminet *Dunfermling* monasterium olim celebre, Regis Malcolmi Tertii opus & tumulus; nunc autem Comitis nomen & honorem Alexandro *Seton* viro prudentissimo præbet, quem à Barone de *Fivy* Iacobus Rex Britanniarum in Comitem *Dunfermling*, & Regni Scotiæ Cancellarium, jampridem merito extulit; filius ejus jam Comes. Inde *Kinghorn* aestuario adsidet, à quo Comitis titulum & honorem R. Iacobi Sexti beneficio Patricius *Lion* Baro *Glamys* nuper accepit. Postea *Disert* est in littore acclivi situ, unde Ericetum ejus nominis se pandit, ubi locus satis amplus, quem *Carbonum aream* vocant, terreno bitumine abundat, & partim non sine incolarum damno ardet. Cui adjacent *Ravins-heuch*, id est, *Corvorum collies præruptus*, Baronum de S. *Claro*, sive *Seincle* habitatio. Supra *Levinus* fl. in *Fortham* fe condit, qui è lacu *Levino* (in quo arx *Douglassiorum*, nunc *Mortonia* Comitum) effusus, ad ostium *Wemmis* castrum habet, fedem nbilis ejusdem cognominis familiæ, quam Baronis dignitate nuper Iacobus Sextus adauxit. Hinc littus sinuoso tractu ad *Fif-ness*, id est, *Fifæ promontorium sive Nasus*, reducitur. Supra S. Andreæ urbs Archiepiscopalnis apertum Oceanum prospectat, antiquior loci appellatio, ut habent schidæ antiquæ, *Regimund*, id est, *Mons S. Reguli*, in quibus legitur, *Oengus* sive *Vingus* Rex Pictorum Deo & S. Andreæ dedit, ut effet caput & mater omnium Ecclesiarum in regno Pictorum.

Antea tamen Laurentius *Lundoris* & Richardus *Corvellus* Legum Doctores, bonas literas hīc publice professi, Academiæ fundamenta jecerunt, quæ fœlici literatorum proventu, tribus Collegiis, & in illis Regiis Professoribus jam celeberrima. In cuius laudem I. Ionstonus Regius ibidem faciarum literarum Professor cecinit:

FANVM REGVLI,  
sive  
ANDREAPOLIS.

*Imminet Oceano, paribus descripta viarum  
Limitibus, pingui quam bene septa solo?  
Magnificis opibus staret dum gloria prisca  
Pontificum: hīc fulsit Pontificalis apex.  
Musarum ostentat surrecta palatia cœlo,  
Delicias hominum, deliciasque Deum.  
Hic nemus umbriferum Phæbi, Nymphæque sorores  
Candida quas inter prænitet Vranie.  
Quæ me longinquis redeuntem Teutonis oris*

---

<sup>85</sup> i.e. Comites

*Suscipit, excuso collacat inque gradu.  
 Vrbs nimium fœlix Musarum si bona nosset  
     Munera, & ætherii regna beata Dei.  
 Pelle malas pestes urbe, & quæ noxia Musis  
     Alme Deus, coeant Pax, Pietasque simul.*

*Eden sive Ethan* fluviolus juxta mari se immiscet, qui exortus prope *Falkland* olim Comitum Fifensium, nunc regium secessum ad venandi voluptates percommode situm, sub perpetuo collium dorso, qui hanc regionem medium intersecant, per *Struthers*, ab arundineto ita dictum, castrum Baronum *Lindsey*, & *Cuprum* Burgum insignem, ubi Vicecomes jus dicit, profluit. De quo ille idem I. Ionstonus:

#### CVPRVM FIFÆ

*ARVA inter nemorisque umbras & pascua lœta  
     Lene fluens vitreis labitur Eden aquis.  
 Huc veniat si quis Gallorum à finibus hospes,  
     Gallica se hic iterum forte videre putet.  
 Anne etiam ingenium hinc & fervida pectora traxit?  
     An potius patriis hauserit illa focis?*

Inversa jam littorum fronte ad Septentriones, ad Taum æstuarium floruerunt olim duo egregia monasteria, *Balmerinoch* ab Ermengerda Regina, uxore Regis Guilielmi, filia Vicecomitis de *Bellomonte* in Gallia, extractum, quod nunc suo Barone Iacobo *Elphinston* gaudet, [ADDIT. nunc Iano ejus filio] & *Lundoris* à Davide Huntingdoniæ Comite inter sylvas constructum, & [74] hodie Patricii *Lesley* Baronia, quibus intersidet *Banbrich* Comitis *Rothusii* sive *Rothes* instar castri firmata habitatio. Sed de *Fifæ* oppidis littoralibus habe jam hæc si placeat I. Ionstoni carmina:

*Oppida sic toto sunt sparsa in littore, ut unum  
     Dixeris; inque uno plurima juncta eadem.  
 Littore quot curvo Forthæ volvuntur arenæ,  
     Quotque undis refluo tunditur ora salo:  
 Pene tot hîc cernas instratum puppibus æquor,  
     Vrbibus & crebris pene tot ora hominum.  
 Cuncta operis intenta domus, fœda otia nescit;  
     Sedula cura domi, sedula cura foris.  
 Quæ maria & quas non terras animosa juventus  
     Ah! fragili fidens audet adire trabe?  
 Auxit opes virtus, virtuti dura pericla  
     Iuncta etiam lucro damna fuere suo.  
 Quæ fecere viris animos, cultumque dedere;  
     Magnanimis prosunt damna, pericla, labor.*

Præfuit huic provinciæ, ut reliquis hujus regni olim Thanus, id est, antiqua Anglorum lingua, *Regis minister*, ut etiam hodie Danica, sed Malcolmus *Canmore Macduffum*, qui antea erat Thanus *Fifæ*, primum hæreditarium Comitem *Fifæ*, constituit, & de se optime merito concessit, ut ejus posteri regem coronandum in cathedra locarent, in exercitu regio primam aciem ductarent, & cædem fortuitam nobilis vel plebeji ab ipsis patratam data pecunia redimerent. Extatque haud procul à *Lundoris* Crux lapidea, quæ pro limite inter *Fifam* & *Strathern* barbaris versiculis inscripta, quæ afyli quoddam jus habuit, ut homicida qui intra nonum cognationis gradum Mac-Duffo *Fifæ* Comiti conjunctus, si ad hanc Crucem accederet, vaccasque novem, cum juvenca daret, homicidii absolveretur. [ADDIT. Hi versiculi inveniuntur in fine Actorum Parlamenti, in libro de verborum significatione, in explicatione verbi *Cros Mackduff*.] Quando ejus posteri hoc titulo exciderunt mihi minime notum [ADDIT. per foris facturam inquit Buchananus, quem consulas licet.] Regem autem Davidem II. hunc Comitatum *Guil. Ramsay*, cum singulis immunitatibus, & lege quæ

vocatur *Clan-Mac-Duff* donasse ex Regni Archivis constat: & gentem *Wemesianam, Douglassiam,* maximamque tribum *Clan-Hatan*, cuius Princeps *Mac-Intoskech* ab his profluxisse pro certo habetur. Meque docuit in suis de verborum significationibus cl. & eruditissimus I. *Skene* Clericus Registri Scotiæ, quod Isabella, filia & hæres Duncani Comitis *Fifæ*, Comitatum Fifensem certis quibusdam legibus Roberto Tertio Scotorum Regi, in usum Roberti *Stewart*, Comitis *Menteith*, concessit, qui postea Dux Albaniæ regnandi cupiditate perditissime flagrans, Davidem Regis primogenitum fame malorum extrema miserrime confecit. Sed ejus filius Murdacus, cum patris tum filiorum suorum scelera luit, capitali supplicio à Iacobo Primo affectus, decretumque ut Comitatus *Fifensis* in perpetuum Coronæ adunaretur. Verum Vicecomitis *Fifensis* authoritas ad *Rothusiæ* Comitem jure spectat hæreditario.

[75]

NOVA  
FIFÆ  
DESCRIPTIO,

Auctore ROBERTO GORDONIO.

Fifa, Ottoliniæ veteris pars, secundum Boëthium, olim dicta Rossia, id est, peninsula, inclusa undique mari Germanico, Forthæ & Tai æstuaris præterquam ab occasu, cuius nominis indicia adjuc restant, Culrossia, oppidum ad limitem Occidentalem, quod est velut dorsum aut posterior pars Rossiæ, & Kinrossia urbcula ad Levini lacus ripam, quod est veluti Rossiæ caput, nunc vero post an. DCCCXL Fifa. (Kean enim lingua Hibernica caput.)

A Fifo, cognomine Duffo, cui Regio illa à Kennetho ejus nominis 2, Scotorum Rege, ob egregiam in bello contra Pictos veteres incolas virtutem, donata anno post natum Christum 840. Cujus posteri primum Thani Fifæ, hoc est, præfecti, seu Nomarchæ, dein Comites appellati sunt, à Milcolumbo 3, anno Christi 1057, & insignibus privilegiis supra omnes nobiles donati, ob insignem fidem Regi & regno præstitam temporibus difficillimis. Inter Kennethi templum, Kennoway, & Levinum amnem tumulus est, quem rudera esse arcis comitum Fifæ, septem vallis totidemque fossis olim septæ, tradunt indigenæ, & in ipso limite qua Ierniam tangit, Macduffi crux.

Ad septentrionem Tai æstuario separatur ab Angusia, quæ veteris Horestiæ pars, & Gorea: à Cauro Ierniam seu Strathiernam, Perthensem & Clacmananam provincias tangit; ab occidente, unde Ocellis montibus dirimitur, uti ad Austrum Forthæ æstuario (veteribus Bodotria) terminatur, & objacet Laudoniæ ac Lymnuchensi provinciis. Orientale vero latus totum ab Oceano Germanico pulsatur.

Patet in longitudinem 32 millaria, ab orientali videlicet Fifæ promontorio, Fyfnes, prope Careliam oppidum, ubi velut in cuneum anguste tenuatur, ad Culrossiam; lata ubi vel maxime in æstuaris procurrit, 17 mill. Toton vero ambitus 84 millaria in circuitu complectitur.

Solum est inæquale & varium, ad occasum excelsius: quod non male in tres quasi areas divides; cuius extremæ ab occasu in ortum, frugum omnis generis sunt feracissimæ; media vero pascuis lætissimis & pecorum proventu fæelix, ovium præfertim quæ lanam exteris laudatam ferunt, collibus molliter surgentibus, rivulisque frequentissimis & limpidissimis, valles gramine luxuriantes secantibus; nec ad ullum frumenti genus ineptum, cum incolarum accedit industria, & nova stercorandi ars, alga marina, aut calce ex exustis lapidibus, leviter inspersa superficie terræ, quam tenuibus & sabulosis glebis animam quasi infundere, & ad fæcunditatem efficacem esse supra fidem frequenti experientia comprobatum est.

Sylvas nullas habet nobiles, præter Falcolandiam, quæ cincta aggere feras omnis generis Regum venationibus dicatas alit. neque tamen igni struendo alimenta desunt, cum incredibili copia effodiantur, etiam in ericetis, carbones, non suis solum sufficientes incolis, verum etiam vicinis provinciis & exteris nationibus; cerevisiae coctoribus in Belgio magis grati quam Leodienses. Amnes duos melioris notæ fundit; Levinum ortum ex ejusdem cognominis lacu, & in Forthæ æstuarium se effundentem: & Adenam, Edin, cuius fontes in nemore Falcolandiæ, dehinc mediam Fifam, qua angustior est, secans, & Cuprum præterlabens mari Germanico miscetur, ostio satis lato; uterque piscosus, & locis opportunis pontibus lapideis stratus.

Aëre gaudet puro & salutari, tam ad confervandam quam recuperandam valetudinem.

Commoda quæ hinc ad exteris deferuntur, sunt coria boum, cervorum, damarum, caprarum, pelles ovinæ, pisces, præsertim salmones, haleces, carbones fossiles, & sal nivei coloris coctum ex sola aqua marina.

Portus tutos accessu faciles, & contra omnes ventorum impetus securos habet complures, inter quos præferuntur Innerkythin, Bruntiland, & Eli ad sinistram æsuarii Forthæ: unde factum ut piscatura quæstuosissima, & res nautica supra omnes regni provincias floreat, nec alibi magis industrios & periculorum contemptores nautas facile invenies, licet longinquis expeditionibus in utrasque Indias nondum assueverint, sola rerum ad eas necessiarum inopia, hinc vel maxime

orta, quod mercatores ditiores ad prædiorum coëmptionem, ut lucrum certissimum, confugiant.

Dum res Pictica staret, Provinciam hanc incoluere Picti, regno vero eo funditus exciso, & post multa aspera sed secunda prælia Pictis omnibus in exilium à Kennetho 2, anno post [76] C.N. 839 ejectis, successere Scoti, sedesque suas jure belli partas admirabili constantia tutati sunt, primum contra Brittones, & Anglo-Saxones, inique ferentes æmuli vicini Regni tam ingens incrementum, Danos & Norwegos prædæ & rapinæ deditos, ac Christiani nominis insensissimos tum hostes. Posteris vero temporibus crudelitate & perfidia Edwardi I, Angliæ Regis, simul cum universo fere regno, maximas mutationes passa est, quas Deus diuturnas esse non sivit; nam primum Vallæ, vulgo Wallas, dein Davidis Roberti fil Brussii virtute, universo regno ad pristinam libertatem revocato, hæc etiam provincia postliminio rediit ad statum pristinum, neque ullas dehinc experta est calamitates, præterquam toti regno communes. Totum Australe littus frequentibus oppidulis præcingitur, quæ hodie in oppida excreverunt, inter quæ jure suffragii in supremis regni comitiis gaudent, Culrossia, Innerkything, Bruntiland, Kingorna, Kirkaldia, Disertum, Pettinweemium, Amstruthera Occidentalis, Amstruthera Orientalis, Kilrinny, Carelia; & ad littus Orientale Sancti Andreæ Fanum; in meditullio provinciæ, Cuprum Fifense, ad distinctionem alterius Cupri in Angusia, quibus adde Dunum-Fermelim, feu Fermelino-dunum: est etiam oppidulum elegans Falcolandia, ubi palatum regium magnificum cernitur; prospectu jucundissimo in vicinum nemus & planitie; jure tamen suffragii in Comitiis nondum fruitur. Torrea, Aberdauria, Wemia utraque, Levinia, Elya, Sancti Monani fanum, oppidula sunt frequentia in littore boreali Bodotriæ, piscatoribus & nautis habitata. Goreæ objicitur Neapolis, vulgo New-brugh, sita ad australem Tai, ubi æstuarium ad justi amnis modum coeretur. Ad occidentem Levini lacus est Kinrossia, urbecula non infrequens: atque onmes hæ, licet foro rerum venarium gaudeant, burgorum tamen regiorum privilegiis destituuntur, negato suffragii jure in comitiis.

[ADDIT. De Fifæ oppidis littoralibus sic cecinit Arturus Ionstonus:

*Oppida, quæ longo lavat hinc Bodotria tractu,  
Flatibus à Boreæ Grampius inde tegit.  
Flectere vos docuit Neptuni dextera remos,  
Et cava nimbosis pandere vela Notis.  
Nec vos scylla vorax, nec terret vasta charybdis,  
Nec vada Dulichiaæ quæ metuere rates  
Seu syrtes tentare juvat, seu radere cautes  
Cyaneas, vobis invia nulla via est.  
Nec satis est sulcare fretum, Fergusia vobis  
Cogitur abstrusos pandere terra sinus.  
Illius in gremio conclusos quæreris ignes,  
Et prope Tartarei cernitis ora Iovis.  
Artibus & vestris liquidus lapidescere pontus  
Cogitur, & sal fit, quod prius unda fuit.  
Montibus excisas ne jactet Saxo salinas,  
Largius has vobis sufficit æquor opes.  
Scotia vos celebret, vestro sine munere brumæ  
Sunt nimis atroces, insipidæque dapes.]*

Inter omnia vero oppida primas facile sibi vendicat Sancti Andreæ Fanum, feu Andreapolis, Sanct-Andrewes: sedes olim Archiepiscopal. Situm est in planicie, & ab ortu in occasum protensus prospectu jucundissimo in subjectum mare Germanicum, prodiga manu piscium marinorum omne genus porrigens; & ad ortum æquinoctiale, portum quidem, sed non satis commodum pro majoribus navibus, efficiens; Arcem habet olim munitissimam in rupibus ad Boream mari objectis, sed à Gallis foede vastatum, dum Cardinalis Betonii meritam cædem ulciscerentur, anno 1547; nunc vero ex parte caducam: plateas habet rectas, easque latas complures sese invicem decussantes; plateas vero ab occasu in ortum, quarum duæ ad Cœnobium illud Canonicorum Regularium ex instituto S. Augustini olim quod jam fata sua complevit celebre, situm

ad eurum & euro-notum, recta ducunt: cuius rudera ostendunt nihil minus cordi fuisse Cœnobitis paupertate, quam tam splendide mentiebantur, murus quippe adhuc integer cœnobium cingens ex lapide quadrato, multis cum propugnaculis & turribus, regium palatum magis refert, & incolas rerum omnium affluentia luxuriantes, quam cellas monachorum omnia Christi causa relinquentium. Est ibi celebris Academia seu Vniversitas omnium prima, à Iacobo I, redditibus amplis & privilegiis ornata, Anno 1426: ad quam tria spectant collegia, S. Salvatoris, S. Mariæ, & S Leonardi, in hoc postremo ornando singularis enituit munificentia nobilissimi ingeniorum fautoris D. Iohannis Scoti, Scoto-Tarvatii, Equitis aurati, quum prioribus professionibus Philosophicis, novam superaddiderit humaniorum literarum seu eloquentiæ, stipendio liberali collato, quod perpetuum esse voluit: cuius etiam liberalitate ingens incrementum experta est Collegii publica Bibliotheca.

[ADDIT. De Andreapoli sunt hi versus Arturi Ionstoni:

*Vrbs sacra, nuper eras toti venerabilis orbi,  
Nec fuit in toto sanctior orbe locus.  
Iuppiter erubuit tua cernens templa, sacello  
Et de Tarpeio multa querela fuit.  
Hæc quoque contemplans Ephefinæ conditor ædis,  
Ipse suum merito risit & odit opus.  
Vestibus æquabant templorum Marmora mystæ,  
Cunctaque divini plena nitoris erant.  
Ordinis hic sacri princeps, spectabilis auro,  
Iura dabat patribus Scotia quotquot habet.  
Priscus honor periit; traxerunt templa ruinam,  
Nec superset Mystis qui fuit ante nitor:  
Sacra tamen Musis urbs es, Phœbique ministris,  
Nec major meritis est honor ille tuis.  
[77] Lumine te blando, Musas quæ diligit, Eos  
Adspicit, & roseis molliter afflat equis.  
Mane novo juxta Musarum murmurat ædes  
Rauca Thetis, somnos & jubet esse breves.  
Proximus est campus, studiis hic fessa juventus  
Se recreat, vires sumit & inde novas.  
Phocis amor Phœbi fuit olim, Palladis Acte,  
In te jam stabilem fixit uterque larem.]*

Abbatias,<sup>86</sup> Prioratus, monasteria complura, regum præsertim liberalitate fundata, numerabantur olim; instaurata vero Religione, primum annexa fuere coronaæ Regiæ, dein nobilibus donata, à quibus hodie possidentur, tanquam feuda regalia.

Nulla est Regni provincia, quæ plures habeat incolas nobiles; nam inter Comites numerantur Rothusius, Princeps familæ amplissimæ de Leslie, hæreditarius vicecomes, vulgo Seriffus, seu præfectus juri dicundo, & rerum capitalium provinciæ: Cupri vero convenient incolæ omnis ordinis ad jus ab eo accipiendum, nisi quod in minoribus causis suo jure fruantur oppida regalia. Moravius ex gente Stewartorum castrum ædificavit Dunibersel, cui adjacent hortus amoënißimus, qualem alium tota Scotia non habet, cum Baronia circumiacente. Mortonius Dublassius, Aberdauriæ hæreditarius & alibi. Crafordius Lindesius, qui etiam judex est hæreditarius rerum criminalium Episcopatus S. Andreæ, complura habet amplissima castra, inter quæ eminet Struddera, adjunctum habens vivarium 4 vel 5 mill. conservandis cervis & damis commodissimum. Levinius ex gente Leslie, supremus nunc imperator exercitus Scotici, castrum habet Balgonniæ ad dextram Levini amnis. Kingornius, Princeps familæ de Lyon, castrum

---

<sup>86</sup> i.e. Abbatiae

antiquum Cornu Regis ad oppidum Kingornam, dirutum, cuius muri tantum superstites, possidet, easque terras acceperunt, cum ejus prædecessor Regis Rob. II filiam uxorem haberet. Kellæus Princeps familiæ de Fenton, Kelli elegantissimam arcam possidet. Fermelodunensis comes de familia Seaton, in oppido cognomine. Wemesius, de Weems, amplissima possidet prædia, & complura castra. Southeskius de Carnagie castrum habet Leuchars. Dalhousæus de Ramsay ad Abbatis-aulam. Atque hi omnes Comites.

Vicecomes de Dudop, Scrigerorum familiæ Princeps, Baroniam & castrum de Innerkithing possidet. Barones vero majores, qui castra & Baronias habent, numerantur, Sinclairus de Sinclair, Elphinston de Balmerino, Balfour de Burlæus, Leslie de Lundores, Melvinus de Melvill, Lyndesay de Baccarres, Murray de Balvarid.

Atque horum nobilium singuli locum & suffragium in supremis Comitiis Parliamentariis obtinent, inter nobiles majores, quos vulgo *Lords* Scotti vocant. Hisce proximi sunt Toparchæ & minores Barones, quos vulgo *Smal Baronns* & *Lairds* vocant, quibus in propriis territoriis jus furcæ & fossæ competit, quorum singuli suffragium olim obtinuerunt in supremis Regni Comitiis, & veniebant nomine libere tenentium in Capite de Domino Rege, nunc vero per duos à fe deputatos comparent: & cum reliquis Baronum Regni deputatis Secundum Regni membrum in Comitiis faciunt: in territoriis suis pari jure fruuntur cum majoribus nobilibus.

Nobilium horum minorum cognomina aliquot subiectus Catalogus exhibet, ordine Alphabetico, ne quis inferiorem sibi prælatum quæri possit:

Achmultie, Arnot Fareny, Ayton, Anstruther, Areskin Endertill, Beatoun Balhom, Beatoun Creuz, Balfour Kimeare, Barclay Colernny, Balcanqual, Brace de Earles Hawl, Brace de Kearnock, Broun de Fordal, Boswell de Balmoutho, Colvill Cleish, Carstares Keinnocher, Crichtoun Lwydoun, Crichtoun Abercrwmbey, Cunninghamame Barns, Claphan Carslogey, Forbes Rires, Gibson Dwrie, Hamylton Kwanbrackmount, Halkhead Pithfirran, Henryson Fordel, Hay Nachton, Hope Crighal, Heriot Ramornie, Inglis, Kirkcaldy Grange, Kynnimum, Kynneir, Lyndsay Wormonston, Lesly Newton, Lundy alias Maitland, Lumsden Innergellan, Lermont Balcomye, Monipenny Pithmilly, Moncreiff Balcasey, Moncreiff Randerston, Melvill de Bruntyland, Myrtoun de Cambo, Makgill Rankillo, Orrok, Pitcairne Forthar, Preston Wallefield, Preston Ardrie, Sandilands S. Monans, Scott Scottis Tarvet, Scott Ardross, Scott Rossy, Scott Pitledy, Sibbet Rankilo over, Wardlau Pittrevie, Weymes Bogyn, Wood.

Portus Elyensis à Domino Guilielmo Scott Barone de Ardross ex lapidibus ita extractus est, ut cum Romanorum operibus certare possit, idque factum anno 1620, propriis suis sumptibus, sine ullo Burgorum adjumento.

*Ad Tabulam F I F Æ ,  
Idem Auctor.*

Vetustissimos hujus tractus incolas nostri Historici agnoscent Pictos, quibuscum Dani de ejus possessione rem habuere: quod verosimile situs ipse Regionis facere videtur; projecta enim & in mare procurrrens inter duo æsturia, copiosa Regio hos prædones allexisse videtur, cum illi non hanc solum, sed quæcumque mare hoc attingunt avide appetierint, à Pictis tamen retenta, & ab iis in jura Scotica cum eorum regno concessit.

Vetus nomen Picticum interiit, &, quemadmodum [78] cæteræ eorum antiquitates, (quæ procul dubio non indignæ cognitu fuere) hodie plane ignoratur. At Ptolomæus, qui circa annum Domini 160 floruit, hic Vennicones populos collocat. Vetustissimum nomen ejus nostri Rossiam agnoscent, quæ nomenclatura nihil vero abludit, illa vox enim prisci sermonis genuina Cherronesum significat. At hodiernum Fifæ nomen, à Fifo Macduffo potentissimo ejus Comite, qui ad annum 670 floruit, habuisse putatur.

Forma paulum longiuscula inter duo æstuaria porrigitur, in Cuneum ad Carrelium oppidum desinens, undique mari aut marinis aquis septa, nisi qua occasum respicit, & reliquæ continent adnectitur, ubi præfecturam Clacmanensem, Sterlinensem agrum, & Comitatum

**Palatinum Ierniæ vicinos habet. Longitudo à Culrossia ad Carelium oppidum, hoc est, ab occasu in ortum, triginta duo milliaria nostratia complectitur; latitudine vero, à Kingornia ad æstuarium Tai, quindecim milliaria præter propter habet.**

Aër beneficio maris supra fidem climatis mitis & clemens; at non paucas Regiones videre est, magis ad austrum vergentes, longe magis frigori nivibus & coeli rigori obnoxias, dum vel montibus obsæpiuntur vel mari absunt; at omnem hyemis sævitiam hinc depellit immense & inexhausta fossilium carbonum copia, unde commodissima & jucunda habitatio, & magna incolarum frequentia.

Solum frugiferum frugibus commodum, triticum, avenam, secale, pisa, fabas, & multa leguminum genera benigne profert, neque desunt hortensia. ubi agri fluminibus aut mari longius absunt, aut montibus subsunt, hos incolarum industria, stercoratione præcipue calcis, (cujus hic ingens coquitur ex saxis calcarii vis) uberiore reddit.

Magnum foenus quotannis dominis redit è venis carbonum fossilium, qui vel domi vel exteris distrahitur. maximæ & inexhaustæ eorum fodinæ, iis locis qui Fortham spectant, reperiuntur, quorum beneficio, magna multis locis salis candidissimi vis quotidie excoquitur, quæ præter quotidianos usus etiam exportatur. Mensibus quoque Augusto & Septembri est halecum in vicino littore quæstuosa piscatura, quæ maritimam plebem exercet.

Incolarum ingenia cum cæteris æstimare liceat, sine jactantia tamen vere dici potest, ullam Regni provinciam neque mitiores neque cultiores incolas habere; sive nobilitatem qui frequentissimi hic sedes habent, sive plebem spectes: multis aliis locis asperos, feros, ignaros videre est, at humanissima provincia hæc civiles, cultos, mansuetos homines profert, neque ad arma tractanda ullis aliis secundos.

Montium nominatissimi Ocelli (*the Ochells*) veteribus non incogniti, qui occiduum provinciæ oram præcingunt, eamque longo tractu ab Iernia dividunt, neque alti illi neque asperi, ubique fere culturam patiuntur, aut herbidis vallis distincti, pecori usui sunt. In mediterraneis diversi colles huc illuc se diffundunt, & attollunt, amoenis & frugiferis vallis divisi & in campos diffusi, ubi paulo altius sese erigunt varia sortiti nomina: unde ad australe latus Falcolandiæ Regii secussum (cum adjuncto oppido & vivario) arce, mons bicornis se attollit qui Lomondiæ nomen habet. Alius est lacubus Levino & Orro interjectus Bin-eartie dictus. Normans-Law despicit æstuarium Tai, haud procul Benbricha dissitus. Quæ partes eurum aut ortum hyemalem respiciunt, habent montes Largo-law, Kelly-law, Dun-eker-law, Logy-law, Duncarro-law.

Flumina sunt, Edinus non incognitus veteribus & Ptolomæo Tinæ nomine designatus, ab hodierno Tina longe alias, quem idem Vedram nominare videtur, cuius fontes habentur in vivario Falcolandiæ; illic enim fluvius ille primum Edini nomen habet, quanquam Miglus fluvius longe superius ex Ocellis montibus defluat, & infra vivarium aquas tenui adhuc Edino misceat: unde Edinus paulum aquis auctior, multis ignobilibus rivis susceptis, per amoenam & cultam planitem delapsus Cupram urbem alluit: inde circa ostia Motri recepto fluviolo, procul Andreapoli ad duo milliaria Oceano miscetur, navium propter brevia impatiens. Levinus è lacu ejusdem nominis profluens, in quem lacum Cuichi nomine bina flumina & tertius Garnius exonerantur. post emissarium lacus jam Levini nomine insignis recta in ortum means, ad oppidum, quod à Levini ostiis nomen habet, æstuario Forthæ miscetur, receptis prius Oro & Lochio fluviolis.

Multa nec contempnenda oppida hic cernere licet in maritimis, præsertim porter negotiationum opportunitatem, qualia sunt:

Cupra, mediterranea urbs, vicecomitatus caput, ubi jus dicitur, ad Edinum fluvium, antiqua proculdubio, quemadmodum multæ è terrestribus urbibus, quarum jam splendor evanuit. Arguere hoc videtur jus ex iis petitum, neglectis maritimis, quæ antiquioribus temporibus aut nullæ aut tenues admodum fuisse evidentur, dum majores nostri rara adhuc cum exteris commercia exercent, Britonum, Danorum aut Saxonum frequentibus bellis fatigati.

[**ADDIT. De Cupra sic cecinit Arturus Ionstonus:**

*Vivere si Scotos inter dignabere, Cuprum*

*Apta tibi sedes, mater Amoris, erit.*

*Non procul hinc colles pinguntur floribus, illis,  
 Quod colis, Idalium cedit, & altus Eryx.  
 Rupe sub herbosa cursus spectantur equorum,  
 Carceris Elæi talis arena fuit.*  
 [79] *Hic juvenes spectare licet, quos figere possis,  
 Sive juvat jaculum stringere, sive facem.  
 Fontis Acedalii vitreas qui provocat undas,  
 Lene fluens urbis lambit Adena latus.  
 Adspicis hic cygnos & amantes littora myrtos;  
 Cingeris his, geminus te, Dea, vectat olor.  
 Prata virent circum, tibi deploratus Adonis  
 Hic rubet, Idalio læsus & igne Crocus.  
 Fundit ager segetes, Cereris ne despice munus,  
 Hoc sine subsidio friget & alget amor.  
 Cum cerasis hic poma legunt matura puellæ,  
 Aurifer Hesperidum quidquid & hortus habet.  
 Ocyus, huc properans, veteres, Dea, linque penates,  
 Et tua fer tecum vincula, tela, faces.  
 Quæ prius à Cypro meruisti Cypria dici,  
 Incola jam Cupri Cupria mater eris.]*

Andreapolis non ita pridem totius regni in sacris metropolis, Archiepiscopatus sedes, Musarum domicilium, celebri Academia illustris, amoeno situ ad Oceanum posita, portum habet non incommodum, mare vicinum piscosum, campos salubres & spatiuos. Fundamenta aut incrementa debentur Albato Regulo (unde vetus Fani Reguli nomen) qui è longa peregrinatione redux, ossa Andreæ Apostoli secum devecta, hic in sacello se condidisse jactans, opinionem sanctitatis (rudi illo seculo) loco conciliavit. Quicquid sit, opinio illa certe multum urbi profuit, nam statim profusa regum liberalitate, & multorum procerum munificentia, ditissimus Prioratus illic fundatus est, cuius redditus Archiepiscopi opes æquabant. Manent rudera Ecclesiæ & Monasterii, quæ antiquam gloriam & magnificentiam abunde testantur.

Sunt præterea non negligenda oppida, Carelia in extremo ad ortum angulo. Anstruther, Pittenweym, S. Monans, Eloy aut Eliot, Levins-mouth, Weemis, Disert, Kircaldy, Kingorn, Brunt-ylany, unde quotidianus ad Letham trajectus, Abyrdaur: Inner-Kethyn olim mercioniis florens, Dunfermelyn: omnia hæc ad aestuarium Forthæ oppida, excepto Dunfermelyn, quod paucis milliaribus abest. At in adverso Tai littore sunt; Neuburg, East-Ferry, & in mediterraneis Falcolandia. Duo oppida in hoc tractu veteribus memorantur, Orrea & Victoria, mediterranea utraque, illa Cupræ, altera Falcolandiæ situ non longe absunt, sed num eadem sint, an antiquæ illæ jam diu defecerint, non est tutum conjicere.

Ante Reformatam religionem tria Monasteria & tres Prioratus hic monstrabantur, opimis dotati redditibus. Dunfermelyn aut Fermelinodunum, Davidis ejus nominis primi fundatio. Londoris, hanc erexit David Huntingtonii Comes, Malcolmi quarti & Gulielmi Regum frater. Balmerino, Ermgardæ Reginæ, Gulielmi Regis conjugis, opus. Prioratus vero sunt, S. Andreæ, quem Alexander primus fundavit; alter est Pittenweym, fundatus à ..... tertius Port-Moloch, Brudei Pictorum Regis opus.

Hodie Ecclesiastica negotia quatuor presbyteriis administrantur, ea sunt Cupra, S. Andreas, aut Andreapolis, Kircaldia, & Fermelinodunum, quibus singulis suæ subsunt Parochiales Ecclesiæ.

Ad Careliam urbem anno 874 contra Danos, quos Hungar & Hubba ductabant, pugnatum est, ubi Constantinus Scotorum Rex captus, & ab immanni hoste capite truncatus est. Multis postea annis, circa A.D. 1300, Gulielmus Wallace fortissimus heros, & nostræ libertatis difficillimus temporibus vindex, Ioannem Psewartum Anglorumque exercitum, cæso duce, maximaque copiarum parte, debellavit, ad locom qui hodie *Black-yronsyd-forrest* dicitur.

Insulæ nonnullæ oræ australi objacent. Garvia insula (ubi angustissimum fretum est) olim arce munita, quæ superius navigantibus aditum præcludit. Paulo inferius est S. Columbi insula, cœnobii nunc diruti sedes, & haud procul Carelia ad initium freti. Æmona, hodie Maja dicta, ubi olim quoque cœnobium visebatur, soli est arenosi & æqualis, aquarum dulcium non indiga, nunc Pharum præfert, unde facibus nocturni navium prætervehentium cursus diriguntur.

Cum mos Regni jam ab antiquo ferat nobiles plerunque ruri in suis ædibus diversari, neque multum urbibus assuescere, sed expeditis negotiis domi suæ vitam agere; Provincia hæc innumeris villis, arcibus, prætoriis nobilium, ubique nitidissime culta est, quarum seriem enumerare longi operis est, eamque compendiosa hæc Chorographia vix caperet: at certe institutum hoc campestris vitæ, decori & cultui Regni plurimum confert; dum sua quisque prædia ad invidiam ornare & colere satagit. Hinc numerosas familias, hinc hospitales epulas, domus apertas, officii & humanitatis omnia plena, peregrinantibus aut itinerantibus cernere licet.

Non possum tamen non hic attexere primariæ nobilitatis, quæ in his locis plerunque residet, aut indigena est, non inutilem memoriam; sed nullo ordine, quia mihi ignotus, & Parlamentarii juri est, stemmata vero faecialibus relinqu, cum hæc sint præter institutum operis mei.

Rothesius Comes Leslaeorum familiae princeps, ad Levinum amnem ædes habet Leslææ arcis nomine insignes. Craufordiæ Comes, avita nobilitate, antiquis moribus, avos referens, Lyndesiorum amplissimæ familiae princeps, in vicinia Cupræ oppidi egregiam villam (Struthers vocant) cum amplissimo vivario possidet. Vemius Comes, Vemiorum familiae princeps, ad Vemiam urbeculam arcemque ejusdem [80] nominis in australi littore lares habet. Balmerino, illustris & antiquæ Elphinstonie domus propago, ad Tai fluminis æstuarium: & in hujus vicinia Londoris, qui è Rothesia familia genus habet. Fermelino-duni comitis titulos à patre, non ita pridem regni Cancellario, habet illustris & nobilis juvenis Setoniorum cognominis & familiae. Sinclarius Baro arcem Ravensheuch ab antiquo possidet, cuius stemma antiquum & nobile: ejus enim majores Zetlandiam & Orcadas comitatus titulo tenuere: Ad hanc familiam hodierni Cathanefiæ Comites, & quicunque alii Sinclairii cognomen ferunt, originem referunt. Est quoque Levinius Comes Leslææ originis, diversus à Levinia ad Glottæ æstuarium, hunc artibus militiæ clarum non ita pridem ad hunc honorem evexit Carolus Rex. Balcarrassius Baro ad orientalem tractum familiae & cognominis Lyndesiorum. Burghlejus Baro ad lacus Levini ripam, qui Balfuriorum familiam ducta hærede restituit. Et si qui alii sint, ignoscant ignorantiae meæ, qui in hac Regione cognoscenda semiperegrinus, neque debitam ab omnibus opem in his lucubrandis sentio.

In limite hujus Provinciæ, ad viam publicam, qua in Ierniam transitur, non procul Abrenethia pago, moles lapidea est antiqui operis, *Clan-Mac-Duffs-crose* vocant, id est, crux familiae Mac-duff, cuius hæc memorantur jura: quicunque magnum illum Mac-Duffum, hujus Provinciæ olim potentissimum comitem, (cujus potissimum opera eversa erat Mac-Bethi tyrannis) intra nonum gradum sanguine attingebat, homicidii reus ad hanc aram supplex fugiens, producto & dato definito, eoque satis levi boum numero, crimine solvebatur: extabat vetus inscriptio, nunc erasa tempore, versibus semilatinis, quam nisi pigeret & longiuscula esset integrum proferre possem, sed nullo usui, cum eam à nemine moralium intelligi posse arbitrer, neque barbara illa Latinis admista ullum hodiernum sermonem sapiant, jam ante sexcentos annos posita.

Ad Kingorniam oppidum non ita pridem ad littus in scopulo fons aquæ limpidissimæ repertus est, oculis salutaris habitus, aliaque insalubrium viscerum vitia levare creditus, & non pauci ejus usu se opem sensisse fatebantur, aut jactitabant, at nescio quomodo hodie eviluit.

#### KETHÆ INSVLÆ DESCRIPTIO.

Ketha insula in æstuario Forthæ, (qui veteribus Bodotria dictus est) medio fere cursu inter Fifam & Lothianam à Zephyro-borea in Euro-notum protenditur in longitudinem ad 1500 passus, in latitudinem extenditur qua Boream spectat ad 500, qua Notum respicit non amplius 200. Solo pingui & graminis apprime fertili, sed incuria possessorum adhuc inculto, plerumque in plana

explicatur, herbas feliciter gignit, quarum præcipuæ sunt tota Bona, oxalis, Scabiosa, Serpillum, Papaver Spumeum, Alime, utraque plantago, Caryophyllus marinus, Cochlearia, hedera terrestris, Dens Leonis, Sedum minimum, Cornu cervi, Bellis, Geranium minimum, Bardana, Senecio, Aparine, Lapathum, Quercula, Echium, Marubium, Hyoscyamus, Carduus Mariæ. Aquæ limpidissimæ quatuor habet scaturigines, & totidem portus, quatuor ventis cardinalibus objectos. Insula media in cacumen fastigiatur, quod opere tridecagono Franciscus & Maria, Francorum & Scotorum Reges, firmissime communierunt muris, ex lapide fere quadrato, ad sex ulnarum & dimidii altitudinem assurgentibus, latitudine pene dimidia: Areæ diameter est pedum fere centenorum. In ambitu murorum tria sunt insigniora propugnacula: in quorum basibus bombardæ majores ita commode locari possunt, ut obsidentes ab accessu propiore arceantur. Puteum habet aquæ vivæ intra passum vigesimum à murorum radice, aquatione non difficiili. Interius terra murorum altitudinem adæquat: ipsius Reginæ Mariæ insignia marmori insculpta in muris adhuc visuntur, hoc subscripto anagrammate: *Sa vertu m'attire*. Murorum qui boream spectant pars, aut temporis injuria corruit, aut consulto diruta est: idem fatum invasit & ipsa ædifica in area munimenti olim extorta. Inter silices est fodina lapidum quidem nigricantium & sulphuris odorem, dum cæduntur expirantium, in ædificiorum autem structuris apprime commendatorum. In insulæ circuitu hibernis mensibus copiosissima est ostreorum captura: æstate variorum generum pisces, formicarum instar, densis agminibus circumnatant, ubere piscatorum quæstu.

Nomen insulæ dedit nobilis Kethorum familia, cuius authorem à Malcolmo II Scotorum Rege ad annum Christi 1010, & hanc & Baroniam Ketham Marescallanan in Lothiana, cum hæreditariâ dignitate Marescallorum Scottiæ, virtutis & operæ contra Danos in prælio ad Bariam in Angusia fortiter navatæ præmium, accepisse tradunt annalium nostrorum scriptores. Ab ejus posteris ad Leontas Glammæ Regulos ejus Dominium translatum est, cuius familæ Princeps Ioannes Leon Kingorniam Baroniam in littore Fifano Kethæ oppositam, à Roberto II Scotorum Rege, dotalem accepit cum ejusdem regis filia. ab ejus hæredibus eadem Insula, anno 1649 alienata est Ioanni Scoto, Scoto-tarbatae Baroni, Cancellariæ Regni Scotiæ directori, & in Suprema Curia Senatori, cuius auspiciis munimentum [81] supra memoratum cum ædificiis instaurari & resurgere incipiunt. In Gallorum historiis, *Isle des chevaux*, Equorum Insula vocatur; quod equi hic felicissime pinguecant.

#### INSVLA BAS.

Insula de Bas, octo miliaribus à Maja versus austrum distans, videtur potius pars esse Fifæ quam Lothianæ, quia certum est, vetus fuisse patrimonium Macduffi Comitis Fifæ, post cujus foris facturam patrimonium ejus integrum diviserunt inter se, Rex & Episcopus S. Andreæ, adeo ut superioritas istius insulæ etiam nunc divisa sit, dimidia pars insulæ à Rege, pars altera ab Episcopo tenebatur: expulsis Episcopis ad Regem jam rediit tota. Lauderus de Bas, qui quamvis multa latifundia alia haberet, tam in Lothiana quam Fifa, titulum tamen istius rupis assumxit, Dominusque de Bass per multa secula indigetus, ut probetur ad Fifam pertinere. Idem de Bass, non ita pridem Domino Alexandro Gipsonio vendidit Baroniam Scaniæ & Levin in Fifa.

Insula ipsa undique est prærupta, & ab omni parte inaccessible, nisi à parte Africo opposita, ubi tamen difficulter unus solus, adjutus rudente, potest scandere, ut domum adeat. domus situ satis firma, & tormentis quibusdam ferreis nihilominus munita, quam cum semel præterioris semper magis ac magis ad summitatem usque in conum coarctatur.

In ipsa summitate sacellum est exiguum & fons limpidissimus, vix nutrit 20 oves. Hyemis tempore carbones non habent, sed sæpius ex avium nidis focos efficiunt. Præter aves, quas Majam edere diximus, unam habet penitus admirandam, vulgo Anser Bassanus dicitur, aliquanto minor vulgaribus anseribus, pinguior multo; vivit enim ex halecibus, saporemque illorum, dum comeditur, retinet. Pinguedine omnes aves, cujuscumque generis, facile superat. Mense Aprili vel Mayo hi anseres ad insulam istam appellunt, & tunc omnia quieta sint oportet, sed cum nidos ædificare incepunt, nullum fragorem metuunt, earum plumæ ad implendos lectos idoneæ, vicinis

satis care venduntur Edinburgenses 25 sc. solvunt pro uno ansere, unicum singulæ habent ovum, idque semel saltem in anno, illudque tanta arte collocant, ut si quis ex rudente pendens, illud semel à rupe abstulerit, rursum in eum locum collocare non poterit. Non incubant ovo ut aliae aves, sed plantam pedis super imponunt, & sic pullum fovent & educunt: coloris subcinericei sunt juniores, adulti albi, oblongum habent collum more gruis, rostrum acutissimum majoris digiti longitudine, & flavo colore.

Os, quod vulgo *de Bril* appellamus, in aliis avibus separari ab osse pectoris potest, in hoc vero minime, ita ut nulla vi avelli queat, ideo illi annexum, ne in pontum desiliens, dum haleces sectatur, nimia sua violentia collum rumpat. Si in quovis loco extra conspectum maris collocetur, ut mare videre non possit, corpus suum è terra levare, vel volare non potest. Mense Augusti auferuntur pulli & vicinis magno pretio venduntur, reliqui avolant in annum sequentem. Multi tamen ex iis hoc modo interimuntur; Aserem nautæ glabrum lœvigant & dealbant, eique haleces annexunt, quem asserem loco puppis cymbæ alligant, & quem Anseres videntes & arripere rostro conati, rostrum tam firmiter asseri impingunt, ut illud evellere nequeant, sed capiantur, aut potius se ipsos capiant.

#### MAYA INSVLA.

**Maya Insula hereditas fuit olim Balfoureorum de Monquany, postea Alani Lamundi, qui eam patruo Domini de Barns ejus pupilli nomine vendidit, & sic pertinet ad Dominum de Barns. Dicata olim fuit S. Adriano, ibique fuit sacellum & monachorum conventus, ubi steriles feminæ annuatim D. Adriano salutantes, inde redeuntes puerperæ devenerunt, an sanctitas loci illud causaverit, judicent sapientes.**

Invenitur in registro Regio Iacobi IV, Scotorum Regis, charta quarundam terrarum concessa Andreæ Wood de Largow, ob hoc servitium, ut paratus esset Rege vocante (fuit enim Naucerus peritissimus) eum ejusque conjugem ad visendum S. Adrianum comitari. Continet milliare à borea ad Austrum, & quartam partem minus in latitudine, distat à continente Fifæ per VII milliaria. Fontem habet scatulentem & lacum exiguum, nullæ illic crescent segetes, pascuntur tamen ibi æstate 100 oves & 20 boves circiter. Pars occidentalis inaccessibilis ob rupes præruptas, orientalis plana. Loca ubi cymbæ appellere possunt quatuor sunt, videlicet Tarphol, Altarstius, Pelgrimshavin, & Kirkhavin.

Dominus domo utitur satis commoda sibi & suæ familiæ, in ea enim locus cerevisiarum coctioni aptus, culinæ &c. circa hanc phocæ multæ, præsertim à parte orientali, ubi sæpius bombardis interficiuntur. Piscatio circa hanc insulam frequentissima, piscantur enim ab omni littore Fifano per totum annum, & singulis diebus. Optima navium statio est prope orientale latus flante violenter Zephyro. Aves frequentiores ibi degentes sunt Skarts, Dunters, Guls, Skouts, Kittiwx, posterior magnitudine columbæ à voce, quam edit, sic appellatur, & est optimi & melioris saporis quam [82] perdrix, avidissime mese Iulii comeditur. Skouts anate minor est, ejusdem coloris, caro dura, ova tamen anserinis majora ponunt, quæ, elixa duraque redditæ, optime cum aceto & petrocelino eduntur, putamina viridis sunt coloris, maculis nigris interspersa. Fuit olim sedes & pars Prioratus de Pitraweem, eique censum annum pendit. In feofamentum dedit Carolus Rex Iano Cunigham, concedendo ei insulam, cum libertate inibi ædificandi pharum, ad navibus noctu prætereuntibus ostendendum lumen, uti ædificavit ibi turrim 40 pedes altam, undique ad summitatem fornicatam & lapidibus stratam, ubi per totum annum lucet focus carbonum ut supra, pro ea libertate tenentur nautæ per tonnam persolvere 2 sestertios. Primus hujus auctor Alexander Cunigham, hyeme ex insula Fifam domum suam Born, prope Careill petens, naufragio periit. Post decennium beneficæ Catelianæ<sup>87</sup> confessæ sunt ope dæmonis hoc se fecisse; tempestas enim illa, ne quidem per dimidium horæ duravit, illeque solus ex omnibus, cum scapha ad littus fluctibus pulsus. De quo sic Alex. Scotus primus Andreapoli humaniorum litterarum Professor:

<sup>87</sup> h.e. Carelianæ

*Lumina Barnæus posuit vigilantia turre,  
 Carperet ut ponto navita tutus iter.  
 Cum neque Sydoniis felix neque stella Pelasgis,  
 Nec de Signiferi jam nitet ulla Choro,  
 Inter navifragum Carram & Bassæ ardua saxa,  
 Ecce salutiferum Maia lumen habet.  
 Hic tamen heu princeps & tanti muneris auctor,  
 Qua tetigit portus læta carinas suos,  
 Nec Casum Arcturi, Haedorum aut palluit Ortus,  
 Occidit undoso naufragus ipse freto.  
 Forthiades quæ causa fuit? quis crimine tanto  
 Obstrinxit vestras invidiosus aquas?  
 Sydera Barnæo crudelia fata tulerunt,  
 Forte quod in terris syderis autor erat.  
 Lumine Amyclæos superat quod perpetæ flamas,  
 Nec cadit aut ullo tempore nube latet.  
 Forte etiam Æoliis auster meditates ab antris  
 Vindictam, fratres movit ad arma suos;  
 Auspice Barnæo, quod jam sua flamina nautæ  
 Irrita despiciant invalidasque minas;  
 Vel potius Nerei genus, & natantia ponto  
 Numina (si fas est dicere) livor habet.  
 Ne supra Glaucum & supra Inoem Melicerem,  
 Ille Caledoniis jam coleretur aquis,  
 Vrbe aliqua aut etiam latitans furialis Erychtho  
 Littorea, magicis est operata sacris,  
 Inque caput superis charum Styga moverat omnem,  
 Damna Acherontæo vaticinata gregi.  
 Quicquid erat, neque enim clausas adamante resigno  
 Fatorum leges, sint sua jura Polo.  
 Magnis sœpe viris, qui clara exempla dedere,  
 Contigit inter aquas mortis acerba pati.  
 Sic pius Æneas, Romani nominis auctor,  
 Vix nato sobole gurgite raptus erat.  
 Sic & Fergusius pater, illibata nepotes  
 Vnde per innumeros sceptra Britannus habet.  
 Victor & Armeniis princeps Romanus in oris  
 Fridricus Latii spes, Asiaeque timor;  
 Innumerique alii; Ceyx; puer Icarus olim;  
 Quique dedit nomen dux Tyberinus aquis,  
 Vitam ergo Cunighame tuam non sydera, venti,  
 Non rapuere maris, Tartariive Dii.  
 Sed Deus eximiis æquans te heroibus, ipsa  
 Iam morte authoris constabilivit opus.  
 Luceat ut Majæ compar cœlestibus ignis  
 Barnei & virtus charior igne suo.  
 Quin mare non ausum tam sacram piscibus escam  
 Tradere, te planxit, restituitque tuis.  
 Obscuri cecidere alii, & volvuntur in undis,  
 Mors eadem, ast tumuli non erat æquus honos,  
 Hinc, quoniam multos servasti lumine cives,*

*Civica te in cœli luce corona beat.*

Adjungam hoc loco non infacetum Caroli Geddae Carmen, de lumine sive Pharo Majæ, cuius pentametri literæ numerals designant annum Domini, quo fundata est turris:

*Flamina ne noceant, neu flumina, Lumina Maja*

*PræbVIIt, & MeDIIs InsVLa LVXIt aqVIIs.*

M D L L X V V V V I I I I I.

Inche-Keith Insula longitudine est unius miliaris, pertinet ad Dominum de Kingorn, In historia Gallica appellatur Equorum insula, reddit enim equos pinguissimos spacio duorum mensium. Arx ibi fuit munitissima, cuius rudera supersunt. Tempore minoritatis reginæ Mariæ, ex ea Galli, qui eam insederant, expulsi, & actu Parlamenti diruta. Cuniculi ibi multi.

Insula S. Columbi, S. Colme Inche, olim Æmona dicta, fuit olim Abbatia, habuit multa latifundia in feudum concessa, post diruta monasteria, Iacobo Stuarto, Domino de S. Colm: jam in manus Comitis de Murray per emptionem venit. Pascit 20 oves. Insula non amplius distat 2 mill. ab Abyrdouria.

Inche Garvie, muri & fornices magni fortalitii ibi etiamnum supersunt, operiuntur nunc asseribus, suntque aliquot milites præsidiarii, bombardis possunt attingere utrumque latus, ita ut flumen, iis invitis navigari nequeat.

[83]

ANGVIA, ANGVIS.

## EX CAMBDENO.

*Ad Tai æstuarium & interius ad fl. Escam Septentrionalem Angusia vulgo Anguis, genuinis Scotis Aaneia, campos tritici & omne genus frumenti feraces, amplos colles, lacus, saltus, pascua & prata expandit, plurimis arcibus & castris condecorata. In primo à Gourea limine Glamys est castrum & Baronia familiæ cognomine Lions, quæ emicuit ex quo I. Lion gratia apud Regem Robertum Secundum florens hoc, nec non Baronis dignitatem cum Baronia de Kinghorn, in dotem cum Regis filia accepit, simulque, ut scribitur, cognomen Leonis, cum leone in insignibus intra tractum liliatum, ut ipsi Reges gerunt, sed coloribus variantibus: ut Patricius Baro Glamys, cuius filius Ioannes nunc floret, honorem Comitis Kinghorn à Rege Iacobo ejus nominis Sexto nuperrime consequutus est.*

*Forfar parum abest ubi jus dicunt Barones Greii Vicecomites hæreditarii, qui à Greis de Chillingham in Comitatu Northumbriæ oriundi venerunt in Scotiam cum Iacobo Primo ex Anglia reduce, quorum primo Andree cum uxore Helena Mortimer Dominium de Foulis Regia munificentia contulit. [ADDIT. Dominus Grei unicam tantum habens filiam, & multo ære alieno obrutus, ut debita persolverentur, & filia illa unica hæres honesto juveni collocaretur, eam despondit filio Domino Guilielmo Grei civis Edinburgensis, qui debita persolvit, & post excessum socii per infeofamentum regium Dominium de Grei habiturus est.*

*Sic ceninit Arturus Ionstonus de Farfara:*

*Farfara, te decorant regalis rudera tecti,  
Et lacus, & multæ fertilitatis ager.  
Sunt angusta tibi, fateor, pomæria, latum  
Sed tamen imperium Scotia prisca dedit.  
Quos geris, agnoscit tellus Angusia fasces,  
Seque tuo sistunt rura remota foro.  
Ius dicunt populi proceres, plebs excolit artem  
Qua parat & tenues jugiter auget opes.  
Tergora sunt illi validis detracta juvencis,  
Et que virgineos velat aluta pedes.  
Vmbrorum levibus dedit hæc sandalia plantis,  
Et soleas sociis, funiger ordo, tuis.  
Ne nive vel glacie lædaris tempore brumæ,  
Hæc tibi perones, rustica turba, parat.  
Fortibus hæc ocreis veteres instruxit Achivos,  
Et Grajæ crepidas hinc petiere nurus.  
Plebs eadem tragicis munivit crura cothurnis,  
Hujus & inventum nobile soccus erat.  
Roma suas posthac ne tollat in æthera vires,  
Nec bellatrices Sparta superba manus.  
Imposuere jugum populi cervicibus illæ,  
Fortibus hæc vincilis crura pedesque premit.]*

*Proxime Tai ostium sedet Dundee quod olim Alectum, alii Taodunum appellant, oppidum sane celebre, & cujus Constabularius peculiari jure Regum Scotorum est Vexillifer. [ADDIT. Taodunum hisce bellis civilibus Monterosius cum exercitu adortus est, at paucis domibus exustis fortiter à viris & feminis repulsus. postea autem valla fossisque ab incolis munitum.] Nomen vero Dundee Donum Dei alludendo interpretatur Hector Boetius hinc oriundus, qui bonis literis reflorentibus Scoticam historiam eleganter scripsit, eamque ex tam intima antiquitate, ut in ejus scriptis Paulus Iovius admiratus sit extare de his remotis ab orbe partibus, Hebridibus, & Orcadibus mille amplius annorum memoriam, quum in Italia altrice ingeniorum tot sæculis, post ejectos*

Gothos, scriptores defuerint. Sed de hoc loco sic I. Ionstonus haud procul hinc natus:

*Qua Notus argutis adspirat molliter auris,  
Hac placide coeunt Taus & Oceanus.  
Hic facili excipiens venientes littore puppes  
Indigenis vasti distrahit orbis opes.  
Sæpe dolis tentata, & belli exercita damnis,  
Invictis animis integra præstat adhuc.  
Fama vetus crevit cum Relligione renata,  
Lucis & hinc fulsit pura nitela aliis.  
Alectum dixere prius; si maxima spectes  
Commoda, fors Donum dixeris esse Dei.  
Tu decus æternum gentisque urbiske Boeti,  
Cætera dic patriæ dona beata tuæ.*

[ADDIT. Et sic Arturus Ionstonus:

*Vrbs vetus, undosi cui parent ostia Tai,  
Et male Cimbrorum quod tegit ossa solum,  
Genua te spectans sua ridet marmora, moles  
Pyramidum flocci Barbara Memphis habet.  
Ipsa suas merito contemnunt Gargara messes,  
Quasque regit, damnat terra Liburna rates.  
Et Venetum populi de paupertate queruntur,  
Nec Cnidus æquoreos jactat ut ante greges.  
Si conferre lubet, pubes Spartana juventæ,  
Consulibus cedit Roma togata tuis.  
Qui mendicatum Tai de gurgite nomen  
Dat tibi, credatur mentis & artis inops.  
Structa Deum manibus cum possis jure videri,  
Iure Dei Donum te tua terra vocat.]*

Hinc in conspectu est *Brochty-crag* arx quam plures menses Angli præsidiarii defensarunt, cum perpetuæ pacis studio matrimonium Mariæ Scotiæ cum Edwardo Sexto Angliæ votis expeterent, & promissum armis repeterent, demumque sponte deseruerunt. [ADDIT. *Brochty-craig* pertinet ad Dominum Grei: elegantissima hic est salmonum piscatio, imo ad ipsos castri muros.] [84] Oceano inde aperto objacet *Aber-broth*, conracte *Arbroth*, locus cum amplis redditibus à Rege Guilielmo in honorem Thomæ Cantuariensis religioni olim dictatus, juxta quem *Rubrum promontorium* in altum longe conspicendum porrigitur. Prope *Esca Australis* in mare se evolvit, qui è lacu profluens præterlabitur *Fyneuim* castrum incolis suis *Lindesaiis* Craufordiæ Comitibus illustre. [ADDIT. Desiit esse Craufordiorum familia per venditionem omnium terrarum, dein per foris facturam, & postremo necem Ludovici, novissime in prælio apud Philiphaugh interemti. Titulus vero Comitum Craufordiæ, eo forisfacto 1644 concessus est per actum Parlamenti Iano Domino Lindsey, qui ostendit contractum inter eum & prædictum Ludovicum, & regium desuper infeofamentum, ubi cavetur, si nulli masculi hæredes ex illo Ludovicico tempore mortis fuæ superstites essent, quod dignitas & quædam terræ illi Iano Domino Lindsey cederent.]

*Brechin* deinde eidem fl. apponitur quam Cathedra Episcopali David Primus exornavit.

[ADDIT. Baronia illa de Brechin & Navar pertinebat ad Comitem de Mar, sed ante decennium eam vendidit Patricio Maul de Palmure uni generosorum Cubiculi regis, qui jam eam possidet. Castrum Brechin propugnaculis apprime munitum, & ex quadrato lapide rubro constructum. Brechinum sic celebrat Arturus Ionstonus:

*Fertile Brechinum geminos interjacet amnes,  
Hic Boream spectat, respicit ille Notum.  
Rupibus inclusæ sternuntur pontibus undæ,  
Sunt quoque securis flumina plena vadis.*

*Hanc simul Arctoi decorat victoria regis,  
 Perfida cum socii terga dedere duces.  
 Præsulis hic sancti domus est, & pyramis aedi  
 Proxima, Phidiacæ forsitan artis opus.  
 Si molem spectes, nihil est exilius illa,  
 Ipsa tamen cœli culmina tangit apex.  
 Est structura teres, nec raro lumina fallit,  
 Eminus hanc spectans esse putabis acum.  
 Dædala compages & ventos ridet & imbræ,  
 Nec metuit magni tela trisulca Iovis.  
 Si fabricam conferre lubet, Brechinia turris  
 Pyramidas superat, Nile superbe, tuas.]*

In ostio ejusdem fluminis jacet *Mont-rose*, id est, *Mons Rosarum* oppidum, quondam *Celurca*, ex occasu alterius ejusdem nominis exortum, quod inter duas *Escas* intersidet, & Comitis titulum *Grahamorum* familiæ impertit. [ADDIT. *Mons Rosarum* oppidum amoenum in ipso fluminis ostio, magna hic camporum planicies ad duo milliaria se extendens. Postremis Scotiæ Comitiis ob perfidiam in patriam & arma sumta reus Majestatis in Parlamento Iacobus Montrosiæ comes declaratus est, & promissa 20000 libarum qui caput ejus efferret.] De *Celurca* hæc I. Ionstonus:

*Aureolis urbs picta rosis, mons miolliter urbi  
 Imminet, hinc urbi nomina facta conunt:  
 At veteres perhibent quondam dixisse Celurcam,  
 Nomine sic prisco & nobilitata novo est.  
 Et prisca atque nova insignis virtute, virumque  
 Ingeniis, patriæ qui pepere decus.  
 [ADDIT. Et sic Arturus Ionstonus:  
 Nobilis urbs rosei jam gaudet nomine montis,  
 Quæ prius à cœlo dicta Celurca fuit.  
 Proximus huic mons est, quem præter labitur amnis,  
 Ambrosias populo præbet uterque dapes.  
 Mons lectas pecudes, salmones sufficit unda,  
 Lautius & si quid stagna Neronis habent.  
 Quæ recreent oculos, incingunt lilia ripas,  
 Ipsaque puniceis sunt juga picta rosis.  
 Ad latus eoum se vectigale profundum  
 Explicat, & velis mille teguntur aquæ.  
 Propter aquas populo præbet spectacula campus,  
 Flumine quem Boreas hinc lavat, inde Notus.  
 Hic juvenum pars flectit equos, pars utitur arcu,  
 Pars rotat Herculea grandia saxa manu.  
 Sunt quos lucta juvat, pars gaudet ludere disco,  
 Vel volucres curvo pellere fuste pilas.  
 Vrbs celebris, te si spectet Capitolia Romæ  
 Iuppiter, Idalium deseret alma Venus.<sup>88</sup>*

Haud multum hinc abest *Boschain* Baronum de *Ogiluy*, quibus ab Alexandro illo Angusiæ Vicecomite, contra *Donaldinos* insulanos in cruento ad *Harlæum* prælio cæso, est origo & antiqua nobilitas. [ADDIT. Vendita autem hæc Baronia Domino de *Suthesk* aliquot ab hinc annis. Duæ præterea hoc tempore emerserunt nobiles familiae, videlicet Davidis comitis de *Suthesk*, qui primò Baro Baroniæ de *Kynaerd* appellabatur. Altera familia est illius fratris, Ioannis Domini Lour, (à

---

<sup>88</sup> Add ]

*Loeren*) qui prius Baro de Ethie dicebatur. Alexander, tertius frater, diversas habet Baronias, nimirum, Carrelstoum olim Craufordiorum, Balmamone, & alias. Comites in Angusia sunt Crauford, Kinghorn, Suthesk, Grei, Spiny, Lour.

Invenitur in registro confirmatio cambii facti inter Dominos Marescal & Lindsey, qui terras suas de Strudder (Achter-Vder Strudder in feofamento appellatur) pro castello & terris de Dunotyr, ad Lindesium tunc pertinentibus, cum ea servitute, ut filius infans familiæ de Lindsey tempore belli à Domino Marescallo in castro de Dunotyr cum servis suis pro dignitate aleretur. Istius castri nunc Dominus Wilhelmus comes Mareschalli, dominus Keith & Altri, vicecomes hereditarius Merniæ.]

De Angusiæ Comitibus Gilchristus Angusianus, sub Malcolmo III rebus gestis clarus, primus fuit quem legi Angusiæ Comes. Circa annum M CC XLII Ioannes *Comin* fuit Comes *Angusiæ* qui in Francia obiit, ejusque vidua (forte Comitatus hæres) enupsit Gilberto *Vmfrauill* Anglo. Ipse enim posterique ad Comitia Angliæ Parliamentaria fuerunt evocati, ad annum [85] usque tertium Richardi Secundi, titulo Comitum *Angusiæ*. Iurisperiti tamen Angliæ in juris formulis illum Comitem agnoscere recusarunt, eo quod *Angusia* infra regnum Angliæ non esset, donec rescriptum, quo Rex ipsum nomine Comitis Angusiæ ad Parliamentaria comitia evocaverit, coram pro Tribunali protulisset.

Reganante Davide *Brus*, Th. *Stewart* Comes fuit *Angusiæ*, qui Berwicum ex improviso aggressus coepit, statimque amisit, & paulo post in squalore carceris apud *Dunbritton* obiit. *Douglasii* autem, excelsi atque invicti animi magnitudine, à Roberti III temporibus *Angusiæ* Comitum titulo claruerunt, postquam Georgius *Douglas* regis filiam in uxorem duxerat, primi Scotiæ Comites habitæ, & ad quos spectat coronam solemnibus regni conventibus ante Reges gestare. Sextus autem ex hac stirpe *Angusiæ* Comes fuit Archebaldus, qui Margaretam filiam Regis Henrici Septimi Angliæ, & Iacobi Quinti Regis Scotorum matrem in uxorem duxit, è qua Margaretam ille progenuit Matthæi *Stewart* Comitis Lennoxiæ uxorem, quæ post fratri sine prole obitum jure suo in hoc Comitatu Davidi *Douglas de Peteindreich* patrui sui filio, cum consensu mariti & filiorum, lubens cessit, ut familiam illam sanguine conjunctissimam, beneficii etiam vinculo sibi arctius astringeret, cum filius Henricus nuptias Reginæ Mariæ ambiret, è quibus Britanniæ bono R. IACOBVS Magnæ Britanniæ Monarcha auspicato natus.

#### STRATH-ERN.

Ad *Taum* æstuarium, quod *Fifam* à Septentrione terminat, Iulius Agricola Proprætor Britanniæ optimus sub pessimo Imperatore Domitiano, tertio expeditionum anno, vastatis eousque nationibus, vicitribus signis pervenit. In hoc æstuario *Ern* fluvius eximus aquas *Tao* confundit, qui è lacu ejusdem nominis ortus regioni per quam defertur nomen impendit suum, *Straith-Ern* enim dicitur, quod antiqua Britannorum lingua *Convallis ad Ern* significat. Hujus *Erni* ripam exornat *Drimein* castrum familia Baronum de *Dromond*, qui honores consequuti sunt amplissimos, ex quo Rex Robertus *Stewart* Tertius uxorem ex his sibi assumxit. Fœminæ enim ex hac stirpe excellenti oris & vultus dignitate palmam cæteris præripuerunt, adeò ut Regibus fuerint in deliciis.

Eademque ripa surgit *Tulibardin* castrum, lætius ex quo propitia Regis Iacobi Sexti gratiâ Ioannes *Moravius* sive *Murray* Baro de *Tulibardin* ad honorem & amplitudinem Comitis *Tulibardin* sit evectus. [ADDIT. Patricius Muravius frater ejus hunc comitatum à fratre suo emit, ejusque filius jam possidet.] Altera ripa inferius *Duplin* castellum, habitatio Baronum *Olyphant* adhuc memorat qualis clades, & quanta nunquam antea, ibi Scotis ab Anglis qui Regi Edwardo *Balliol* in suppetias venerant, fuerit illata, ut virtute divina non humana se hanc victoriæ retulisse scribant ejus temporis scriptores Angli; Scoticique referunt ex *Lindesiorum* familia octoginta periisse, & *Haiorum* nomen penitus delectum fuisse, nisi familiae Princeps uxorem gavidam domi reliquisset. [ADDIT. Franciscus quidam cognomento Hajus hanc Baroniam emit circa 1640 annum fratris Comitis de *Duplin* Scotiæ Cancellariæ filius.] Nec longe dissitum *Innermeth* Dominis suis *Stewartis* è familia de *Lorna* satis notum. [ADDIT. Illæ terræ nunc ad Davidem Dromond emtione pervenerunt.]

Vbi vero *Ern Tao* confluas admiscuit aquas, & *Taus* jam spatosior, in ripa *Aberneth* suspicit, Pictorum olim Regiam & civitatem frequentem, quam, ut antiquo legitur fragmanto, *Nectanus Rex Pictorum Deo & Brigidae dedit usque ad diem judicii cum suis finibus qui positi sunt à lapide in Abertrent, ad lapidem juxta Carful, id est, Loghfol, & inde usque ad Ethan.* Cessit longo post tempore in possessionem *Douglassiorum Comitum Angusiæ*, qui *Abernethi Domini dicti, & ibidem eorum nonnulli sepulti.*

Primus quem legi Stratherniæ Comes fuit Robertus *Stewart* anno M CCC LXXX. Inde David filius Regis Roberti Secundi junior, cuius unica filia Patricio *Grahamo* data, Mailisium sive Melissum *Grahamum* genuit, cui Rex Iacobus Primus Comitatum abstulit postquam in feudum masculinum avo ejus materno datum fuisse ex Regni Archivis comperisset. Huic agro uti etiam *Mentethiæ* adjacenti Seneschalli authoritate Barones *Dromondi* hæreditario præsunt.

#### MENTEITH.

*Menteith*, ut ferunt, nomen habet à *Teith* flumine quem & *Taich* vocant, & inde hanc provinciolam *Taichiam* Latine dicunt: cuius ripæ adsidet *Dunblan* Episcopatus, quem Rex David ejus nominis Primus instituit, Ad *Kirck-brid*, id est, *Fanum Brigidae*, ædes suas primarias habent Comites *Menteithiæ*, ut etiam Comites *Montrossiæ* ex eadem stirpe haud procul ad *Kin-kardin*. Pertingit autem hæc *Menteith* usque ad montes, ut accepi, qui Lacus *Lomundi* Orientale latus claudunt. Comites *Menteithiæ*, antiqui fuerunt è familia *Cumenia*, quæ olim totius Scotiæ numerosissima & potentissima sua mole corruit, recentiores ex stirpe *Grahamorum*, ex quo Mailisius *Graham* Comitis honorem consequutus erat.

[86]

#### ARGATHELIA, sive ARGILE.

Vltra lacum *Lomundum* & Lennox partem Occiduam se expandit juxta *Cluidæ* æstuarium *Argathelia*, quæ & *Argadia* Latine, vulgo *Argile*, rectius *Argathel*, & *Argwithil*, id est, *Iuxta Hibernicos*, vel, ut veteres schidæ habent, *Margo Hiberniæ*. *Hiberniæ* enim adjacet, cuius incolas *Gwithil* & *Gaothel* appellant Britanni. Regio longe lateque procurrit piscosis lacubus lacinata, & montibus ad armenta pascendis alibi percommoda, in quibus feræ vaccæ & cervi vagantur; ad littus autem scopulis & nigricantium montium sterilitate horrescit. Hac in parte, ut author est Beda, *Britannia post Britones & Pictos tertiam Scotorum nationem in Picotrum parte recepit. Qui duce Reuda de Hibernia egressi, vel amicitia vel ferro sibimet inter eos sedes, quas hactenus habent, vindicarunt. A quo videlicet duce usque hodie Dalreudini vocantur: nam lingua eorum Dal partem significet.* Et paulo post. *Hibernia propria Scotorum patria, ab hac egressi tertiam in Britannia Britonibus & Pictis gentem addiderunt. Est autem sinus maris permaximus qui antiquitus gentem Britonum à Pictis secernebat. Qui ab Occidente in terras longo spatio irrumpit, ubi est civitas Britonum munitissima usque hodie, quæ vocatur Alcluith. Ad cuius videlicet sinus partem Septentrionalem Scotti (quos diximus) advenientes sibi locum patriæ fecerunt.* Nominis illius *Dalreudin* vestigia jam supersunt, quod scio, plane nulla, nec apud authores quidem, nisi eadem sit cum *Dalrieta*. In vetusto enim libello de divisione Albaniæ legimus de Kinnadio, quem Scotorum Regem fuisse constat, & Pictos debellasse, hæc ipsissima verba, *Kinnadius biennio antequam pervenit in Pictaviam* (sic Picotrum regionem vocat), *Dalrieta regnum suscepit. Dalreæ* etiam alicubi hoc tractu in recentiori memoratur historia, ubi infeliciter Rex Robertus *Brus* pugnavit.

Vt huic provinciæ jus per *Iusticiarios Itinerantes*, Perthi administraretur, quando Regi visum fuerit, sanxit R Iacobus IV Ordinum regni authoritate. Sed ipsi Comites sua in quibusdam jura habent Regalia, viri amplissima authoritate & numerosa clientela, qui ab antiquis *Argatheliæ* Regulis per inumeros proavos genus deducunt & à *Cambello* ipsorum castro cognomen acceperunt; Comitisque honorem & titulum Regi Iacobo Secundo acceptum ferunt, qui (ut

proditum est) Colinum Dominum *Cambell* Argatheliæ Comitem propter virtutem & familiæ dignitatem investivit. Cujus posteri propitia Regum gratia jam aliquandiu fuerunt Iustitiarii Regni Scotiæ generales (sive ut illi loquuntur) *Iustitiarii generaliter constituti*, & Aulæ Regii Præfecti.

[ADDIT. Archibaldus circa 1630 renunciavit juri Iustitiarii generalis, ob quam causam Rex ei concessit jurisdictionem Insularum Argatheliæ, Hebridum, &c. In postremo Regis adventu circa 1640 creatus est Marchio de Argyl.

Hoc peculiare habent Marchiones de Argyl, jam ab antiquo & longo tempore, ut quando filias elocant, amici & clientes illorum dotem persolvere tenentur, & propter id conveniuntur & taxantur secundum quantitatem equorum & boum. Legitur in Cragii feudis, Dominum de Argyl concessisse clienti suo Constantino *Walkenshaw* quasdam terras, ut paratus esset quando vocaretur, machinas majores tempore belli explodere.]

PERTHIA,  
PERTH SHIRIFDOME.

E gremio montium Albaniæ *Taus* fl. totius Scotiæ maximus se fundit, primumque per agros proruit, donec in lacum diffusus satis insulosum cursum cohibet. Inde ripis coarctatus *Perthiam* regionem amplam & fœcunde opimam irrigans, *Amund* rivulum ex *Atholia* prolabentem suscipit.

Hæc *Atholia* (ut de via paulo deflectam) maleficiis mulieribus infamis, regio satis fertilis saltuosas habet convallies, ubi SYLVA CALEDONIA variis anfractibus umbrarum horrore, ursorum, nec non immanium taurorum jubatorum, quos modo memoravi, latibulis formidolosa, olim longe lateque per regiones circumquaque se explicuit. Locorum hic gloria parva, sed Comitum sane memoria insignis. Thomas filius Rollandi de *Gallovidia* junior jure uxorio fuit Comes Atholiæ, cuius filius Patricius à *Bissettis* æmulis Haddingtoniæ occisus in cubiculo, ædibus in quibus egit mox incensis, ut fortuito incendio periisse videretur. Comitatu autem successit David de *Hastings*, qui Patricii duxerat materteram, cuius filius David ille de *Strathbogy* dictus videatur, qui paulo post, regnante apud Anglos Henrico Tertio, Atholiæ Comes duxit alteram filiam & hæredem Richardi filii nothi Ioannis Regis Angliæ cum longe lautissima in Anglia hæreditate, quæ illi enixa duos filios Ioannem Comitem Atholiæ, qui fluxa fide sublimi suspendio, patibulo scilicet quinquaginta pedum alto, periit, & Davidem Comitem Atholiæ, cui ex nuptiis cum altera filia & hærede Ioannis *Comini* de *Badzenoth*, ex una hæredum Audomari de *Valentia* Comitis Penbrochiæ magnæ obtigerunt possessiones. Illi natus David, qui inter Angliæ Comites ad Comitia Angliæ Parliamentaria sub Edwardo Secundo subinde evocatus, & factus *Locum tenens* Scotiæ sub R. Edw. *Balliol* [87] cecidit prælio in saltu de *Kelblen* M CCC XXXV, virtute Andreæ de *Moravia* devictus. Ejus filius David duas tantum progenuit filiolas, Elizabetham Thomæ *Percio*, à quo Barones de *Borrough* sunt prognati, & Philippam Thomæ *Halsham* equiti Anglo enuptam. Deinde Atholia titulus Waltero illi *Stewart* R. Roberti Secundi filio obvenit, qui Iacobum primum Scotiæ Regem crudeli morte sustulit, pœnasque nefariæ crudelitatis solvit meritissimas, adeo ut Æneas Sylvius, tunc temporis P P. Eugenii IIII in Soctia legatus, dixisse feratur, *Se dubitare, majorine laude eos, qui Regis mortem vidicarunt, afficere; an acriori sententia eos qui tam indigno parricidio se contaminarunt, configere deberet*. Paucis interjectis annis concessus est hic honor Ioanni *Stewart*, è familia de *Lorne*, filio Iacobi, qui Eques Niger cognominatus, ex Ioanna vidua Regis Iacobi primi, filia Ioannis Comitis *Somersetti*, & nepti Ioannis Gandavensis Ducis Lancastriæ. [ADDIT. Comitus iste Atholiæ nunc devenit in manus filii quondam Ioannis Comitis de Tilli-Berlin, cuius mater fuit Stewarta, & una trium filiarum Domini de Emnermeth, à quibus emit jus, & onera Comitus debita hæredum persolvit, non ita pridem diem clausit, filiusque ejus in hæredem ejus est deservitus.]

*Almundo* recepto *Taus* jam plenior *Dunkelden*, sede Episcopali à Rege Davide ornata, petit. Hoc Caledoniorum oppidum plerique ex vi verbi suspicantur, & corylorum tumulum interpretantur, qui à corylis Caledoniæ sylvæ nomen inditum volunt. Pergit hinc *Taus* per cadaver desolatæ urbculæ *Berthæ*, non immemor quanta clade olim affecerit cum torrentior agros, sata læta, & boum labores prostraverit, præcipitemque hanc urbculam cum regio infante & incolis

traxerit. Pro qua commodiore situ Rex Guilielmus *Perthum* extruxit, quæ statim adeo fuit opulenta, ut qui eo seculo vixit Nechamus de ea cecinerit:

*Transis ample Tai per rura, per oppida, per Perth,  
Regnum sustentant istius urbis opes.*

Posteritas autem à templo in S. Ioannis honorem posito *Saint Johns towne* vocavit, Anglique flagrante inter *Brusios & Balliolos* bello operibus magnis armarunt, quæ Scoti postea magna ex parte subruerunt. Cæterum urbcula est elegans, situ amœno inter duo vireta, &, licet ædes sacræ nonnullæ excisæ, splendida; ita distincta, ut singuli artifices singulos fere vicos seorsim incolant, marinasque commoditates *Taus* accedente æstu naviculis subvehit. Vnde I. Ionstonus jam sæpe dictus:

*Propter aquas Tai liquidas, & amœna vireta,  
Obtinet in medio regna superba solo.  
Nobilium quondam Regum clarissima sedes,  
Pulchra situ, & pinguis germine dives agri  
Finitimis dat jura locis, moremque modumque  
Huic dare, laus illis hæc meruisse dari  
Sola inter patrias incincta est mænibus urbes,  
Hostibus assiduis ne vaga præda foret.  
Quanta virum virtus, dextræ quæ præmia, norunt  
Cimber, Saxo ferox, & genus Hectoridum.  
Felix laude nova, felix quoque laude vetusta,  
Perge recens, priscum perpetuare decus.*

[ADDIT. Et sic Arturus Ionstonus:

*Berta prius, Perthum nunc urbs antiqua vocaris,  
Et fimul à sancto præsule nomen habes.  
Te tua mundicies commendat & aura salubris,  
Et qui fœcundos irrigat amnis agros.  
Divitias lapsi testantur fragmina pontis,  
Et non vulgari marmora cæsa manu.  
Hunc Iovis imperio collectis imbris unda  
Subruit, impositum nescia ferre jugum.  
Hic quoque, Grampigenæ quam tollant carmine vates  
Est tibi flumineis insula cincta vadis:  
Insula parva quidem, celebrem sed reddidit olim  
Monticolas inter pugna cruenta duces.  
Hic agiles exercet equos generosa juventus,  
Linquit & alipedes post sua terga notos;  
Martius hæc meruit circus vel arena vocari  
Grajugenum levibus nobilitata rotis.  
Sunt tibi vicini saltus, hic figere cervos,  
Mollibus & capreis tendere lina potes.  
Carsia nec procul est, hic & redolentia poma,  
Et pyra Crustumis æquiparanda legis.  
Vtile dum dulci misces, punctum omne tulisti,  
Et tibi debetur summus honoris apex.]*

Nuper vero *Perthum* Rex Iacobus Sextus in Comitatum erexit, cum Iacobum Baronem *Dromund* Comitem Perthiæ creaverit. [ADDIT. obiit Iacobus improlis, & sic ad fratrem Ioannem hæreditatis jure pervenit, filius ejus natu maximus filiam Comitis Huntilæi uxorem duxit.]

Huic circumvicina sunt *Methuen*, quam Margareta Anglicæ vidua Iacobi Quarti tertio suo marito Henrico *Stewart* è stirpe regia & hæredibus numerata pecunia adquisivit, simulque Baronis dignitatem à filio Iacobo Quinto impetravit. [ADDIT. Iam Dominium de Methuen pertinet ad Ducem

Lennoxiæ.] Inferius *Rethuen* castrum *Rethuenorum* abominandi nominis, & ex omni memoria eradendi, cum ordinis amplissimi decreto sancitum sit, ut qui ejusdem essent nominis, illud deponerent & novum sibi adscicerent; postquam *Rethueni* fratres execrabilis & nefanda conspiratione in cædem Iacobi Sexti Principis longe optimi conjurassent, qui ipsorum patrem Guilielmum *Gourea* Comitem dixit, & postea cum jura ipsi Regi insolentior præscriberet, jure regni perduellionis reum capite multavit. Sed de damnatæ memoriae viris hæc nimio plus videantur, licet & posterorum ad cautionem intersit stirpes noxias memorare. [ADDIT. Et sic castrum hoc per foris facturam *Rethuenorum* regi cessit, qui in feofamentum ejusdem noviter Guilielmo Murray suo cubiculario concessit.]

*Gourea* illa, frumentariis campis & singulari [88] soli ubertate nobilitata, ad alteram *Tai* ripam planior procumbit. In hac è regione *Perthi* trans *Taum Scona* celebre olim monasterium, regibus Scotiæ inaugurandis venerandum visitur, ex quo Kenethus Pictis in proximo ad internectionem occisis, saxum ex Hibernia in *Argatheliam* translatum regibus Scotorum consecrandis lignea cathedra inclusum hic collocaverit, quod Rex Edwardus Primus Angliæ Westmonasterium deferendum curavit. De quo vaticinium vulgo jactitatum, quod cum nunc fidem invenerit, ut id genus paucula, subjungendum curavi.

*Ni fallat fatum, Scotti quocunque locatum*

*Inveniunt lapidem, regnare tenentur ibidem.*

Nunc autem *Scona* Davidi de *Moravia* sive *Murray* Regis Iacobi speciali gratia Baronis titulum præstat. [ADDIT. Postea hic creatus est vicecomes de *Stormont*, erasoque hoc penitus monasterio, adeo ut ne minimum quidem ejus vestigium videre est, eo loci elegantissimum ædificavit palatum, una cum amœnissimus<sup>89</sup> hortis, sed nulla prole relicta, virtute chartæ *Taliæ*, post decessum Quint-Ierni ejus hæredis sine liberis defuncti, dominium hoc jam cessit Ioanni Comiti de *Annandall*.]

Vbi jam *Taus* grandior se dilatat, *Arrol* impendet, inclytorum comitum *Arroliæ* habitatio, qui à *Brusiorum* temporibus hæreditarii fuerunt Scotiæ Constabularii, & originem sane vetustam repetunt ab *Hajo* quodam viro validissimo, qui cum filiis inclinatam Scotorum aciem in difficiili contra Danos prælio ad *Longcarty*, arrepto jugo, adeo fortiter & fœliciter pugnando & adhortando restauravit, ut victoriam reportaverint, Rex regnique ordines illius virtuti victoriam & salutem retulerint. Vnde hoc loco sibi & suis agri feracissimi assignati, qui in rei testimonium jugum pro crista insignibus superposuerunt. [ADDIT. Hæc Arroliæ Baronia nuper vendita per dominum de *Kinghorn*, avunculum hujus Comitis Arroliæ, Comiti de *Duplin*.] De *Huntley* castro adjuncto nihil esst quod scribam, nisi quod amplissimæ & honoratissimæ familie nomen fecerit: de qua suo loco. [ADDIT. Errat hic *Camdenus*, non enim hæc Baronia nomen dedit familie *Huntley*, sed alia illa quæ versus meridiem in *Tivedalia* vel *Mercia* sita est. Baroniam vero hanc à Domino *Gray* emit pro Dominis de *Kinghorn*.]

---

<sup>89</sup> i.e. amœnissimis

[89]

PROVINCIÆ  
PERTHENSIS  
NOVA DESCRIPTIO.

**Provincia Perthensis à Septentrionibus & occidente æstivo confines habet Badgenochæ & Lochabriæ regiones, in Innernessæ Præfectura sive Vicecomitatu sitas; ab Oriente æstivo eam claudit Marria, in præfectura Abredoniæ jacens; ab Occidente Argatheliam contingit; ab Occidente Hiberno proxime adjacet Britannodunum, alias Lennoxia; ad meridiem habet Clacemannam, Sterlinum, & Forthæ æstuarium; ab Oriente Hiberno Fifam & Kinrossiam; & denique ab Oriente Angusiam contingit. Hæc Provincia in longitudinem porrigitur ultra quinquaginta duo millia passuum, videlicet ab Innergoria ex plaga Orientali ad Aberfullæ parochiam versus Occidentem, ubi proxime adjacet Lennoxia: Qua vero latissima est, videlicet ab Vchnahannoloch, monte in Atholiæ & Badenochiæ confinio, ad Sterlini pontem plus minus 48 millia patet. Insignium fluviorum quibus irrigatur facile primus & maximus est Taus, qui è lacu cognomine, 10 millia passuum longe & unum mille lato, in Braidalbin erumpit, is se ad Grampium montem inflectens Atholiam attingit, regionem fertilem in ipsis Grampii saltibus collocatam; ejus partem ad radices montis in planiciem explicatam Blaram vocant, quæ vox liberum arboribus solum significat. Infra Atholiam ad sinistram Tai ripam sita est Calidonia oppidum vulgo Dunkell, hoc est tumulus corilis. confitus infra Caledoniam ad 10 millia passuum in dextra Tai ripa situm est Perthum ipsum, cuius defertur honos, quod totus Vicecomitatus eodem nomine insigniri gestiat. In lacum Taum sese exonerant rivuli videlicet Duchartus & Locheia: Duchartus profluit ex lacu quodam cognomine, vulgo Loch Dochart, duo millia passuum longo & quingentos passus lato. Hic Lacus Insulam habet & arcem munitam, utramque versus plagam Occidentalem fluvii Tai; longitudo, quæ inter lacum cognominem unde oritur & Emsæ fluvii ostium, ubi in mare se devolvit, ad arcem de Brochiæ porrigitur 1000 passuum, habet 46.<sup>90</sup> Ex Leonini saltus agris defluit amnis Leo, qui ex lacu cognomine duo millia passuum longo ortus, postquam 24 millia passuum flexuoso suo decursu emensus est, tandem in Taum ad 1000 passuum infra lacum illabitur. Deinde infra 9000 millia passuum<sup>91</sup> orientem versus, prope templum de Logyrant in Atholia Taum subintrat Timella, amnis insignis, qui ex Lacu Ranocha oritur suoque decursu Atholiam perstringit per passuum millia 16. In Timbella rursus, prope plumbi viridarium, vulgo Leidgrein, influit Gnariæ rivulus, ex lacu cognomine originem trahens, cuius longitudo 18 millia passuum in Gnariam prope Blaræ arcem sese exonerat. Tulta ex lacu cognomine ortus, ejus longitudo 16 millia passuum, ad Caledoniam, 16 millia passuum infra Tai caput, in Taum labitur. Brana, 6 millia longus, ortum habens ex lacu Flenchiæ 2 millia passuum longo, in Glenquheith, infra Caledoniam, ad 6 millia passuum Orientem Hibernum versus, ad veteris arcis Kincleviensis rudera Taum intrat. Ila ex saltu cognomine vulgo Glenila originem ducens, cuius longitudo plus minus 20 millia passuum, in Ilam<sup>92</sup> rursus ad Bermeniam incidit. Kethæ amnis, salmonum piscatu nobilis, præsertim ad abruptissimam sui cataractam, quam etiam accolæ Ketham vocitant, prope Dromondi Blaram, ubi inter occursantes scopulos tanto ruit impetu ac fragore, ut nimia sui vehementia auditus instrumentum vitiet: Eo namque statis temporibus quotannis descendit<sup>93</sup> ingens salmonum<sup>94</sup> copia,**

<sup>90</sup> i.e. porrigitur, millia passuum habet 46.

<sup>91</sup> i.e. 9 millia passuum (presumably; author's mistake?)

<sup>92</sup> i.e. Taum (presumably; author's mistake?)

<sup>93</sup> i.e. ascendit (presumably; author's mistake?)

<sup>94</sup> abbreviation 'salmonu' expanded

quorum alii dum pluvia, aut inde natorum fluminum illapsu, paulo auctior aut torrentior factus est amnis, superato Cataractæ præcipitio artes piscatorias eludunt, & salvi evadunt: alii dum contra ruentis aquæ impetum, Cataractam, non tam nando quam saliendo, licet irrito conatu, scandere nituntur, torrentis impetu retrovecti piscatorum technis decipiuntur; alii denique ex gurgitibus voraginosis, infra Cataractam, retibus & aliis piscatorum decipulis capiuntur affatim. In Ketham rursus sese effundunt Glensciae & Strathareliæ rivuli, ab istarum regionem capitibus promanantes. Supra Perthum oppidum, vulgo divi Ioannis, occidentem æstivum versus in Taum devolvitur Almonda, à capite saltus cognominis profluens, qui in longitudinem sese porrigit ultra 14 millia passuum. Taum ordine dignitatis proxime sequitur Ierna, fluvis satis celebris, originem trahens ex lacu cognomine vulgo Locherne, in regione montana, quam vulgo Balquidriam vocant, inter cujus lacus ostium, & Ierniæ illapsum in Taum, ad Abernethium, 3 millia passuum infra Ierniæ pontem, distantiam faciunt 24 millia passuum. In Iernam ad Coniriæ<sup>95</sup> templum influit Ruthellæ rivulus, ex saltu montano vulgo Glenertnay [90] descendens per 6 aut 7 millia passuum; haud procul ab eodem templo in Ieram<sup>96</sup> devolvitur amnis Lydnoca; ex saltu cognomine prorumpens, 4 aut 5 millia passuum longus. Prope Coniriam,<sup>97</sup> ad plagam Orientalem, haud procul à templo Cryfæ in Iernam se exonaerat Turretæ rivulus, ex lacu cognomine vulgo Loch-turret, plus minus 4 millia passuum longo oriundus. Prope Kinkellam in Iernam illabitur Machaniæ amnis, 6 millia passuum longus. Ad Forteviotæ templum in Iernam labitur amnis Maia, à montibus ocellis<sup>98</sup> effusus per 10 millia passuum versus occasum hibernum. Irrigatur hæc provincia fluvio insigni & amœno, quem vulgo Alanam vocant, is originem dicit ex saltu quodam montano vulgo Glenlocherne, & in Fortham illabitur supra Sterlinum, ad miliare unum versus occidentem: hic fluvius suo decursu Blanodunum oppidum medium secat. Ex Taichiæ lacu originem trahit Fortha, in quam illabitur Keltia, ex Bennacheri lacu oriundus, prope arcem Duni in Taichia. Hujus provinciæ lacus sunt: lacus Ranochus 12 millia longus, lacus Gnarius, lacus Tiltius, hi duo Badenocham, Ranocham & Atholiam interjacent, suntque æqualis longitudinis; videlicet uterque duo millia passuum longus. Lacus Lyadenus inter Glencoam & Ranocham jacens, circuitum habens milliarum quinque. Lacus Ranochus longitudinis 7 mille passuum, latitudinis vero unius mille passuum, quo in Lacu est Insula. In valle Leonis, jacent lacus Daw & Girr, qui duo, mille quingentos singula habent in longitudine passus. Lacus Leonis, lacus Taus, lacus Dothanus, qui quidem singuli suas habent insulas & inibi propugnacula. Lacus Iernæ 7 millia passus habens in longitudine, unum mille passus in latitudine. Lacus Turellus in Strathernia, lacus Lidnachus, lacus Bennatherus, lacus Tubellus Insulam habens, Clunienses lacus duo, Carniæ lacus duo. In Atholia sunt lacus Vidius, lacus Eshnæus, lacus Shiochus, lacus Kennartus, lacus Glassius, lacus Kinnardothæus, lacus Derculluchus.

<sup>95</sup> i.e. Comriæ

<sup>96</sup> i.e. Iernam

<sup>97</sup> i.e. Comriam

<sup>98</sup> i.e. Ocellis

**Tota quanta est hæc provincia pascuis apprime felix, campis frumentariis nobilis; in Goria præcipue fructiferarum arborum proventu fœcunda: denique nemorum umbris, fluviorumque & lacuum amenitate jucunda.**

**Sedes Episcopales in hac provincia olim erant duo, una Caledonia, altera Blanoduni: Prioratus Strathfillan, Inchmahomo, & Carthusianorum Monasterium: in urbe Perthensi Sororum etiam monialium de Elcho.**

**Arces in hac provincia præcipue sunt hæc, Blara in Atholia, Wemia, Ballocha supra Taum, Garsinlarga, Migartea in valle Leonis, Comræa, Garntelia, Morthlæa, Moncluria, Ardbleria, Turris Cluniensis, Lacus in Tai Insula, Lacus Docharti Insula, Assintolia, Lacus Ronaldi Insula, Lacus Timmelli insula, Loyra, Almundi, Kilonria, Gorthæa, Moneia, Fordæa, Abrothelia, Drimmæniæ, castellum Tillibardinum, Kincairnia, Gleneiges, Duncruba, Dunplinum, Innermaja, Egismagirdill, Balmanno, Moncrief a occidentalis & orientalis, Elcho, Skellia, Rossia, Glendovana, Strovia, Kinsannia, Bathaica, Aula Gastani, Fingaslea, Kincardia, Megintia, Huntlæa, Forthæa, in Ilæ saltibus Innerpefray, Arx Duni in Taichia, Calandera, Taichiæ Insula, Edinampla, Cambusmora, Lanarca, Tullialana, Blara Vallicampia, Glasclunia, Rupis Aula, Bamfia, Blara in Goria, Ruthvena, sive Venatorum turris, Balhusia, Inchturia, Insula Martini, Auchterdura, Brakia Insula, Lacus Ierniæ cum propugnaculo, Keria, Coldachum, Cella Brigidæ & Duchræa.**

**Quatuor sunt in hoc vicecomitatu Præsbyteria, Dumblanense, Achterardure, Perthense & Dunkeldense, in quibus sunt 88 Ecclesiae parochiales. Pontes sunt Ierniæ, Ruchelis, Comræi, Ruthveni, Tiltæ in Atholia, Alani pontis resonantis super Dovanam, Lothayæ, Ducharti, Arelæi, Machamæ & Dumblani.**

**Urbes, Culrossia & Perthum.**

**Burgi,<sup>99</sup> Baroniæ, Achterardura, Dumblanum, Calidonia, Creifa, Abruthea, Duna, Alica, & Arolia.**

---

<sup>99</sup> delete punctuation

[91]

VICECOMITATVS  
ABERDONIA  
ET  
BAMFIA,

una cum Regionibus & terrarum tractibus sub iis comprehensis. EX CAMBDENO.

MERNIS

Hisce Regionibus Ptolemæi seculo sederunt *Vernicones*, forsitan iidem qui *Veturiones* Marcellino. Nomen tamen penitus intercidit, nisi tantillum ejus in *Mernis* superesse opinemur, V enim in M in contextu orationis saepius transit in lingua Britannica. Hæc *Mernis* regiuncula mari Germanico obversa pingui gleba satis librata camporum jacet planicie. Maxime autem memorandum est *Dunnotyr*, Castellum arduæ & inaccessæ rupi, è qua mare despectat, superimpositum, mœnibus firmis, turribus intercurrentibus communictum, quod diu *Keithi* è familia veteri & splendidissima, qui virtute Duce consecuti sunt, ut sint Comites *Marescalli* Regni Scotiæ hæreditarii, hujusque provinciæ *Vicecomites*. [ADDIT. vide Buchananum de bello ubi *Keithi* Danos debellarunt, nam inde dignitatem *Marescalli* acceperunt, quam ab illo tempore possederunt & possident adhuc.]

Hic in porticu cernitur illa quam modo memoravi vexillationis Legionis Vicesimæ antiqua Inscriptio, cuius literas illustrissimus Comes qui nunc floret, antiquitatis admirator, inaurandas curavit. A mari remotior *Fordon* locatur, cui à Ioanne de *Fordon* aliqua gloria, qui hinc oriundus Scotichronicon magno labore sedulo congregit; cuius studio recentiores Scotorum historici plurimum debent: sed vetustior gloria à S. Palladii reliquis hoc in loco olim ut creditum repositis, qui à Cælestino P. P. Scotis anno CCCC XXXI Apostolus destinatus. [ADDIT. Paldykirk habet nundinas celebres per tres dies quotannis, ubi frequens mercatorum concursus ad pannos præcipue emendos, quos in Belgicam transferunt].

MARRIA, MAR

A Mari in mediterraneis supra *Mernis*, *Marria* ad sexaginta plus minus mill. pass. se dilatando excurrit; qua latior, Occasum versus, montibus intumescit, nisi qua *Dee* fl. Ptolemæo *Diva*, & *Donus* fl. sibi viam aperiunt & campos foecundant. Ad *Doni* ripam *Kildrummy*, magno est ornamento, vetus sedes Comitum *Marriae*. Nec longe diffita est Baronis *Forbois* habitatio, qui vetusto generis splendore clari hoc cognomen (cum prius Bois vocarentur) acceperunt, postquam familiæ hæres immanem ursum valide trucidasset. Sed ad ostium majori sunt ornamento duo oppida quæ ab ostio, quod Britannice *Aber* dicitur, unum mutuata nomen, sed unius agelli interjectu distincta: alterum citerius, Episcopali dignitate, quam huc à *Murthlaco* viculo R. David Primus transtulit, pulchris Canonicorum ædibus, pauperum Xenodochio, & scholis bonarum literarum publicis, quas Guil. *Elphinston* loci Episcopus anno M CCCC LXXX ad erudiendam juventutem consecravit, admodum est nobile, & *Vetus Aberdon* dicitur. Alterum ulterius *Nova Aberdon* Salmonum captura est celeberrimum. [ADDIT. Collegium novæ Aberdoniæ fundarunt prædecessores *Marescalli* Comitis, regentesque adhuc præsentat; & noviter Thomas Rhedus, vir doctissimus ibi Bibliothecam publicam, multis & egregiis libris instructam fundavit, deditque salaryum 400 libras per annum pro ejus custodia. Exire professorem Matheseos Dominus Lyddelius, Medicinæ Doctor.] Verum Aberdoniam hisce versibus depingit qui inde oriundus I. Ionstonus:

*Ad Boream porrecta jugis obsessa superbis,  
Inter connatas eminent una Deas.  
Mitior algentes Phœbus sic temporat auras,  
Non aestum ut rabidum, frigora nec metuas.  
Fœcundo ditat Neptunus gurgite & amnes  
Piscosi: gemmis alter adauget opes:*

- Candida mens, frons læta, hilares, gratissima tellus  
Hospitibus; morum cultus ubique decens.*
- [92] *Nobilitas antiqua, opibus subnixa vetustis,  
Martiaque invicto pectore corda gerens.  
Iustitiae domus, & studiorum mater honoris,  
Ingenio ars, certant artibus ingenia.  
Omnia ei cedunt, meritos genetricis honores  
Pingere non ulla Ars, ingeniumve valet.*

[ADDIT. Et sic Arturus Ionstonus de Veteri Aberdonia:

*Te pius antistes colit, urbs antiqua, regitque,  
Donaque fælicem reddit & unda freti.  
Amnis aquas uno pons admirabilis arcu  
Integit, autores suspicor esse Deos.  
Talis erat Rhodii moles operosa colossi,  
Turgida quam subter vela tulere rates.  
Hunc prope salmonum soboles argentea nassas  
Sponte subit, laqueis induiturque tuis.  
Est quoque quod jactes vetus & venerabile templum,  
Cætera prædonum diripuere manus.  
Turribus hoc surgens geminis Pharos esse putatur,  
Puppibus & tutum per vada monstrat iter.  
Non procul hinc Phœbi surgunt & Palladis arces,  
Aurea crux illas & diadema tegit.  
Has pius erexit præsul, Rex divite censu  
Donavit, titulos prodiga Roma dedit.  
Non tot equus pedites fudit Trojanus Achivos,  
Lumina quot patriæ protulit ista domus.  
Nobilis urbs, extra præconem quærere noli,  
Hunc populum qui te prædicet intus habes.*

Idem Auctor de Nova Aberdonia:

*Vrbs nova piscosi quam ditant ostia Devæ,  
Vrbibus antiquis præripit omne decus.  
Hanc delubra beant totum cantata per orbem,  
Templaque mortali non fabricata manu.  
Hæc prope Romuleis ædes sacrata Camænis  
Surgit, Athenæum non procul inde vides.  
Ardua sidereis rutilant prætoria pinnis,  
Hic ubi planities panditur ampla fori  
Adspicis hic procerum vicina Palatia cælo,  
Et populi pictos, aureolosque lares.  
Quid memorem ternos, tria propugnacula, colles  
Qualibus urbs surgit quæ caput orbis erat.  
Hanc quoque Lanaris mons ornat, amœnior illis,  
Hunc ferrugineis Spada colorat aquis.  
Inde suburbanum Iamesoni despicias hortum,  
Quem domini pictum suspicor esse manu.  
Salmonum dat Deva greges, maris æquora gazas,  
Memphi, tuas, & quas India jactat opes.  
Pons septem gemino cameratus fornice Devam  
Integit, aurorem juncta tiara notat.*

*Hæc celebret vulgus, solos ego prædico cives,  
 His collata nihil cætera laudis habent.  
 Martia mens illos commendat & aurea virtus,  
 Rebus & in dubiis sæpe probata fides.  
 Hospita gens hæc est & comis & æmula Divum,  
 Quæque regunt alios, huic famulantur opes.  
 Si locus est meritis, urbs hæc Regina vocari  
 Et dominæ titulum sumere jure potest.  
 Cætera mortales producunt oppida, solos  
 Vrbs hæc Heroas, semideosque parit.*

**Idem de eadem:**

*Cum populo quisquis Romanam suspicis urbem,  
 Et mundi dominam, deliciasque vocas?  
 Confer Aberdoniam, Thetys hanc servilibus undis  
 Alluit, urbs famulo nec procul illa mari est.  
 Vtraque fulta jugis subjectos despicit amnes:  
 Vtraque fulmineâ spirat ab arce minas.  
 Illa suos Fabios, invictaque fulmina belli  
 Scipiadas jactat, Cæsareamque domum.  
 Mennesios urbs hæc proceres, gentemque Culenam,  
 Et Collissonios, Lausoniosque patres.  
 Vrbe Quirinali minor est urbs Grampica, cives  
 Sunt tamen hic animis, ingeniusque pares.]*

Omnem fere fidem superat, quanta Salmonum copia & hæc & alia Scotiæ flumina ex utraque regni parte abundant, piscis Plinio nisi fuerit Rheni *Esox* minime notus, sed in hac Septentrionali Europæ parte notissimus, *puniceo*, ut inquit ille, *rutilans viscere*. Autumno rivulis & plerumque vadosis locis coëntes ova enixi sabulo cooperiunt, quo tempore adeo sunt macilenti ut nihil fere præter ossicula habeant. Ex ovis illis vere proximo tenelli pisciculi nascuntur, qui mare petentes brevi tempore in justam crescunt magnitudinem, & natalia sua flumina repetentes adversus aquas luctantur, &, si qua occurruunt obstacula, verbere caudæ, saltu quodam (unde Salmonum forsitan nomen) cum intuentium admiratione facile superant, suisque se continent fluminibus donec pariant. Quo tempore lege cautum est, ne capiantur, scilicet à sexto Idus Septembbris ad Calendas Decembris. Inter maxima Scotiæ commoda habitu videantur, cum lege itidem prospectum fuerit, ne Anglis divenderentur, nisi Anglicis aureis numeratis. Verum hæc aliis relinquo.

Quod ad *Marriae* Comites, Alexandro Tertio regnante, Guilielmus *Marriae* Comes nominatur inter eos qui in Regem erant offensores. Davide *Brus* rerum potiente, Donaldus qui regni custos in lecto ante prælium ad *Dyplin* ab Edwardo *Balliol* & auxiliaribus Anglis occisus, cuius filiam Isabellam Rex Robertus *Brus* in prioem accepit uxorem, è qua genuit Marioriam matrem Roberti *Stewart* Regis Scotorum. Sub eodem Davide memoratur Thomas Comes *Marriae*, qui relegatus anno M CCC LXI. Et sub Roberto Tertio Alexander *Stewart* Comes *Marriae*, qui in prælio ad *Harlæum* contra Insulanos occubuit anno M CCCC XI. Iacobi Primi temporibus legitur in Scotochronico, Alexander Comes *Marriae* obiit M CCCC XXXV. *Bastardus* filius *Alexandri Stewart*, *Comitis Buchaniæ*, filii Roberti Secundi Regis Scotorum, cui Rex successit in hereditate, utpote *Bastardo*. Ioannes filius natu minor Iacobi Secundi postea hoc usus est titulo, qui, convictus magicis artibus Regi fratri perniciem molitum fuisse, vena incisa periit. Et [93] post eum Robertus *Cockeran* è Latonio ad hanc dignitatem evectus à Iacobo Tertio, mox à proceribus suspensus. Iam inde in usu non erat donec Maria Regina Iacobum fratrem nothum hoc honore exornavit, nec adeo multo post, cum *Marriae* Comitis titulum veteri jure ad Ioannem Dominum *Ereskin* spectare deprehensum esset, pro *Marria*, *Moravium* illi in honorarium titulum contulit, & Ioannem *Ereskin* virum antiquæ nobilitatis *Marriae* Comitem creavit, cuius filius eodem prænomine eodem jam

honore lœtatur , in utroque regno Regi à consiliis: [ADDIT. nunc nepos eodem prænomine & honoribus gaudet.]

BVCHANIA,  
sive  
BUQUHAN.

Vbi nunc *Buquhan*, Latine *Boghania* & *Buchania* supra *Donum* fl. in mare prominet, TAIZALI olim sedes habuerunt. Hoc recentius nomen à bobus sunt qui deducunt, cum tamen ovibus pascendis terra sit aptior, quarum lana in primis laudata. Quamvis fluvii hac in ora passim Salmonibus sint fœcundi, *Ratram* tamen fl. nunquam ingrediuntur, ut prodidit Buchananus; Qui etiam prodidit, in *Ratræ* ripa esse speluncam prope *Slanys* castrum, *cujus natura prætereunda non videtur. Aqua è naturali fornice guttatum destillans statim in lapidum pyramidas vertitur, ac nisi opera hominum antrum subinde purgaretur, spatium usque ad fornicem brevi completeretur. Lapis autem qui ita gignitur, velut medium naturam inter glaciem & saxum obtinet: est enim friabilis, neque ad marmoris duritiem unquam consolidescit.*

Ingens etiam massa Electri, quæ vel equi corpus magnitudine æquavit, haud multis abhinc annis in hoc littus ejecta. Succinum, Glessum, & Chrysolectrum hoc docti vocant, & Sotacus succum esse, qui ex arboribus in mare apud Britannos defluit, & durescit, existimavit; Tacitusque juxta sensit, dum scripsit, *Fœcundiora nemora lucosque sicut Orientis secretis ubi thura balsamaque sudantur, ita Occidentis Insulis terrisque inesse crediderim: quæ vicini Solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur, & vi tempestatum in adversa littora exundant.* Serapio autem & recentioris aevi Philosophi volunt exoriri è terra bituminosa sub mari, & juxta mare, ipsumque fluctus & tempestatem ejicere, partim pisces devorare. Sed quo ego aberravi ? in viam redibo, & aberranti veniam impetrat confessio.

Regnante Alexandro Secundo Alexander *Cominius* honore Comitis Boghaniæ effloruit, qui Rogeri de *Qunicy* Comitis Wintoniæ in Anglia filiam & unam hæredum duxit, ejusque è filio neptis eundem titulum Henrico de *Bellomonte* marito attulit. Ille enim regnante Edwardo Tertio in Parliamentariis Angliæ Comitiis locum habuit nomine Comitis *Boghaniæ*. Postea Alexander *Stewart* filius Regis Roberti Secundi fuit hujus loci Comes, cui successit Ioannes filius Roberti Ducis Albaniæ natu minor, qui à Carolo Septimo Galliarum Rege cum septem millibus auxiliarium Scotorum in Galliam evocatus, egregiam operam contra Anglos præstítit, tantaque cum laude meruit, cæso Thoma Duce Clarentiæ fratre Henrici Quinti Regis Angliæ apud *Baugium*, & magna si unquam alias de Anglis reportata victoria, ut Galliæ Constabilis fuerit constitutus. Sed tertio post anno ille cum fortissimis viris Archebaldo *Douglas* Comite Wigtoniæ & Duce Turonum, &c. alternante belli aleâ ad *Vernolum* ab Anglis devictus occubuit. Quos tamen ut inquit ille,

— *æternum memorabit Gallia cives*  
*Grata suos, titulos quæ dedit & tumulos.*

Certe quod sub Carolo Sexto & Septimo Gallia fuit conservata, & Aquitania recepta Anglis exturbatis, plurimum Scotorum fidei & fortitudini se debere Galli non possunt non agnoscere. Comitatum autem Buchaniæ deinde Iacobus Primus commiseratione permotus Georgio de *Dunbar*, quem *Marchiæ* Comitatū prius ob crimen paternum authoritate Parliamentaria exuerat, donavit: nec multo post Iacobus filius Iacobi *Stewart de Lorna*, qui cognomine *Eques Niger*, è Ioanna *Somersetta* hunc honorem consequutus reliquit posteris, & deficientibus jampridem masculis per filiam ad *Douglasium* juniorem de *Lochlevin* devenit. [ADDIT. Filia hereditaria illius Comitatus data fuit in matrimonium filio Ioannis Ereskini Comitis de Mar ex secunda uxore nato, ex quo matrimonio prognatus præsens Comes de *Buquhan*.]

A *Buchania* littore reflexo, & ad Septentriones obverso *Boena* est, & exigua præfectura *Bamff*, nec non *Ajuza* minoris notæ territoriolum castrumque *Rothamay* Baronum de *Salton*, quibus cognomen *Abernethy*, habitatio. [ADDIT. Rothamay Baronia vendita Ioanni Gordon de Carnborrou, qui eam hodie possidet; filius ejus major natu, dum comitaretur Dominum de Aboyn in turri de Frendraght, noctu pulvere sulphureo periit cum tribus aliis: historiam hanc elegantissimis versibus

descripit Arturus Ionstonus, quos hoc loco inserere operæ pretium putavi.

De Ioanne Gordonio, Vicecomite de Melgein, & Ioanne Gordonio de Rothimay, in arce  
Frendriaca combustis.

*Vos supremi ignes, extremaque lumina mundi ,  
Insomnesque faces, & ponto nescia mergi  
Sidera, mutata monimenta perennia formæ,  
Magna, minorque feræ, custosque Erymanthidos Vrsæ,  
Quique Lycaonias circum Draco pervigil Arctos  
Adspicis, Herculeis olim confixe sagittis,*

[94] *Astraque vos præter si quæ Fergusia tellus  
Cernit in occiduis semper vigilantia flammis,  
Edite, nam testes vos, & nox conscientia facti  
Extitit, Arctoi nuper sub cardine cœli;  
Gordoniae quis, vasta movens incendia, gentis  
Torruit heroas, fœta truculentior ursa,  
Impastoque lupo, nec tigride mitior, icta  
Dum furit, aut rapta dum sœvit prole leæna.  
Vidimus & diris opprobria barbara flammis  
Addita. Mausoli poterant qui busta mereri,  
Pyramidas vel Memphi tuas, vel Porsena si quid  
Altius erexit, postquam deferbuit ignis,  
Vilibus illati stabulis jacuere jugales  
Inter equos, putri stipula fœnoque sepulti.  
Nec Mora, tosta focis & adhuc fumantia mensas  
Corpora texerunt, imæ spectacula plebi.  
Hic proceres cum plebe jacent, discriminè nullo.  
Effigies his nulla viri est, sua brachia nulli,  
Nil humeros supra, nil est sub pube relictum:  
Cuique suus tantum superest sine nomine truncus.  
O cælum, ô superi! post hæc quis regis equile  
Threicii, dirasque feri Busiridis aras,  
Aut Læstrigonias epulas, aut fœda Thyestæ  
Prandia, quæque Iovi fertur struxisse Lycaon,  
Aut tua crudelis miretur fercula Progne?  
Innocuos juvenes, patriis in finibus, inter  
Mille clientelas, & avito sanguine junctos  
Hospiti dominos, omnis damique dolique  
Securos, somnoque graves, & noctis opacæ  
Vallatos tenebris, animatis sulphure flammis  
Vidimus exstinctos, & tracta cadavera fœdis  
Indignisque modis, postquam sunt ultima passi.  
Tristis, & infælix, & semper inhospita turris  
Momento succensa brevi, simul ima supremis  
Miscuit, & tumulos thalamis, & funera somno,  
Et famulis dominos, quorum confusa jacebant  
Obruta ruderibus cinis, ossa, cadavera: namque  
Corporis unius, memini, pars ossa fuerunt,  
Pars cinis immundus, tostum pars igne cadaver.  
Quam fors dura fuit! vivos dum pascitur ignis,  
Nemo manu, prece nemo juvat, nec abire parantes  
Quisquam animas pius ore legit, vocesve supremas*

*Aure bibit, dextra vel lumina condit amica.  
 Nemo sacra cineres turbatos excipit urna.  
 Nemo parentales lachrymas insontibus umbris,  
 Aut trucibus dat thura rogis, aut serta sepulchris.  
 Illustres juvenes, procerum genus alter, avito  
 Alter Hyperboreos attigens sanguine reges,  
 Sic pereunt, stratique jacent florentibus annis.  
 Ah prius hoc procerum par inclarescere mundo  
 Debuerat, patriamque novis implere trophyis,  
 Seu domito, quem tota hominum gens odit, Ibero,  
 Sive triumphatis aquilis, Rhenoque bicorni,  
 Gordoniae quem gentis honos, Huntlieus haeres,  
 Imperio nunc Celta tuo, circumsonat armis  
 Vndique Grampiacis, & sanguine miscet herili.  
 Debuerat frati comitem se jungere frater,  
 Cognatusque latus cognati cingere, pugnas  
 Inter & arma ducum, majoraque fulmina belli.  
 Sed decus hoc nostris invidit Tartarus oris,  
 Tartarea vel gente satus; nam criminis hujus  
 Horruit aspectu tellus, & pontus, & æther.  
 Æmula majorum soboles, quæ nescia vinci,  
 Nescia terreri, frameas spernebat & enses,  
 Fraude perit, tectisque dolis, nec cernitur hostis.  
 O sæcum, ô mores! fuit olim gloria gentis  
 Grampigenæ nescire dolos, sed viribus uti,  
 Et conferre manus, campisque patentibus armis  
 Cernere fulmineis, & sternere cominus hostem.  
 Sic domiti Pictique truces, Cimbrique feroce,  
 Sic Tibris, & dominæ repressa potentia Romæ est,  
 Nec secus armorum princeps & gloria Vallas,  
 Quique Caledonias rexit fæliciter oras  
 Brussius, Hayorum comitatus principe, vastos  
 De sibi vicina pepererunt gente triumphos.  
 Heu, nunc orba viris, & plusquam degener ætas,  
 Rem gerit insidiis, Martis pro cuspipe sica est,  
 Toxicæ pro telis, & clandestinus ubique  
 Pro jaculis, Bellona, tuis, heu, spargitur ignis;  
 Authorem nec scire datur; secretior ille est,  
 Quam pelagi fontes aut incunabula Nili.*

*Sacra cohors, cui jura Themis, legesque supremas  
 Credidit, & scelerum comites Rhamnusia poenas;  
 Ardua si juvenum virtus, & sanguis in uno  
 Regius, orborum vel præmatura parentum  
 Canities, viduusque thoros miserabilis Hayæ,  
 Si juris, si gentis honos, vel gloria sæcli,  
 Te movet, irato pietas vel debita cælo  
 Da trucis artificem sceleris. Quod poscimus æquum est.  
 Iudicis officium est causas aperire latentes,  
 Qua licet, & scelerum primos exquirere fontes,  
 Et modo blanditiis, duris modo vocibus uti,  
 Omnia tentando, lex quæ permittit & æquis*

*Iuppiter, exigui levis est jactura laboris.  
 Omnibus excusis, vi judex, scire quod optas,  
 Extorquere potes; præsto est qui vellicet artus  
 Simius, & stridens non uno culeus angue.  
 Est tibi trajectis armata ciconia nervis,  
 Est rota, sunt fustes, & iniquo pondere torquens  
 Anchora cervices, & queæ præmat ocrea suras.  
 Vtque, quod admisit, dirum scelus expiet, ulti  
 Nunc sceleris, famulos præbebit **Mulciber ignes.**  
 Scotigenæ ne gentis honos, sanctique Senatus  
 Gloria fœdetur, pœnis ultricibus insta:  
 Vre, seca, nulloque virûm discrimine sævi,  
 Dum tormenta tibi, superest dum **Scotica cervix.**]*

Sub his **Strathbology**, id est, **Convallis ad Bolgy**, Comitum Atholiæ olim habitatio, qui inde cognomen mutuati, nunc Marchionis **Huntley** præcipua sedes. Hunc enim titulum Rex Iacobus Sextus contulit Georgio **Gordon** Comiti **Huntley**, **Domino Gordon & Badzenoth**, antiqua nobilitate, & numerosa clientela admodum illustri, cuius majores à **Setonis** orti, Parliamentaria authoritate **Gordoni** nomen assumpserunt (cum Ioannis **Gordoni** Militis filiam Alexander **Seton** cum hæreditate admodum opima in uxorem duxisset) Comitisque **Huntley** honorem à Iacobo Secundo anno M CCCC XLIX acceperunt. [ADDITIONE. Nunc filius ejus ei successit.]

[95]

## BRAID ALBIN.

## EX CAMBDENO.

Introrsus inter elata & confragosa montis *Grampii* juga, ubi paulum subsident, est *Braid Albin*, id est, *altissima Scotiae pars*, qui veri enim & gnesii *Scoti* *Scotiam patria lingua Albin* vocant, ut ubi maxime attollitur *Drum Albin*, id est, *Scotiae dorsum*. *Brunalbin* autem legitur in vetusto codice, ubi hæc habentur: *Fergus filius Eric primus qui de semine Chonare suscepit regnum Albaniæ à Brun-Albain ad mare Hiberniæ, & Inch-Gall. Et inde Reges de semine Fergus regnaverunt in Brun-Albain sive Brunhere usque ad Alpinum filium Eochall.* Verum suis Ducibus quam terræ dotibus notior hæc Albania. Primus quem legi Albaniæ Dux fuit Robertus Comes Fifensis, quem frater Rex Robertus ejus nominis Tertius eo honoris evexit, cuius tamen filium Davidem regni hæredem ambitione percitus, male gratus, fame sustulit. [ADDIT. Placuit hoc loco inserere mortem Davidis ex Buchanan libri rerum Scoticarum decimo: Regis filius David, adolescens erat natura ferocior, & ingenio ad libidinem proclivi. Ea vitia cum augeret indulgentia patris, in quo non satis erat auctoritatis, ad reverentiam sui retinendam, tamen & admonitionibus eorum, qui infirmitati ætatis regendæ erant appositi, & multo magis materna diligentia & confilio, impetus ejus retundebantur, ea vero defuncta, libido frænis libera, ad veros mores rediit: ac, metu & pudore seposito, alienas uxores, & honesto loco natas virgines, quibus flagitium persuadere non poterat, per vim rapiebat ad struprum: si quis, ejus inhibere libidinum vellet, male multatus discedebat. De hac ejus impotentia, cum multæ querelæ ad patrem fuissent delatae, is ad fratrem suum Gubernatorem scripsit, ut adolescentem apud se retineret, donec, defervescente lascivia, ad meliorem frugem rediret. Gubernator, quam jam diu expetebat, occasionem stirpis fraternalę delendæ, nactus, Davidem, obvium sibi ad tria ferme milliaria à Fano Andreæ secum ad arcem Andreanam, quam, Archiepiscopo nuper mortuo, per speciem custodiæ tenebat, dicit: inde, paulo post, in arcem suam Falcolandiam traducit: ibi, moriturum fame, in arctum carcerem inclusit. Sed, quem patrui crudelitas ad mortem, in primis miserabilem, destinarat, ei duarum muliercularum misericordia vitam, in paucos dies, prorogavit: altera quidem virgo erat, cuius pater & arcii & custodiæ præerat. Ea panem avenaceum ita tenuiter (ut in Scotia vulgo fieri solet) extentum, ut complicari posset, sub lineo velo, quod capiti adversus Solem, negligenter injiciebat quoties adeundi hortos, carceri propinquos, erat copia, per tenuem rimulam, verius quam fenestram, immittebat. Altera nutrix rustica lac, è mammillis expressum, per canalem, in os ejus immulgebat. Hoc miserabili victu, quo magis famen accenderet, quam levaret, cum aliquot dies vitam simul & pœnam ei produxissent, custodibus diligentius observantibus, deprehensæ, ad supplicium protrahuntur, patre perfidiam filiæ vehementer execrante, dum, erga infidum Gubernatorem suam fidem ostentare conatur. Adolescens, omni humano destitutus auxilio, postquam, victus inopia, etiam sua membra laceraffet, non simplice morte defungitur. Mors ejus diu patrem latuit, nemine, tam tristem nuncium rei, quam cuncti sciebant, ad eum perferre, auso.] Sed hujus sceleris pœnas, quas ille lento Dei judicio non luit, ejus filius Mordacus secundus Dux Albaniæ gravissime persolvit, perduellionis damnatus & securi percussus, cum duos filios idem supplicium pridie pertulisse vidisset. [ADDIT. Hanc historiam sic describit idem Buchananus, eodem libro: Capti in conventu, & in custodias divisi, Mordacus, Dux Albaniæ, filii ejus Valterus, & Alexander, & ficer Dunachus, Comes Leviniæ, & Robertus Gramus, is, qui, post aliquot annos, Regem trucidavit: item viginti quatuor primæ Nobilitatis viri: sed reliqui, non adeo diu post, dimissi, Mordaco cum filio, & socero retentis. Eodem quoque die, quo captus fuerat Mordacus, Rex, ejus arces in suam potestatem redigendas, curavit, in Fifa, Falcolandiam; in Taichia, Dunum: ex hac uxor ejus educta, ad Tentallonem, Lothianæ arcem, miffa. Iacobus, filiorum minimus, audita clade familiæ, collecta manu, Britannodunum oppidum cremavit, & Ioannem Stuartum Rufum, Regis patrum, & cum eo triginta duos, trucidavit. Ipse in Hiberniam profugit: ibique paulo post decessit. Ibidem quoque mortuus est, qui cum eo fugerat, Finelaus, Lismorensis Episcopus, vir ordinis Dominicani, qui Iacobo erat auctor omnium consiliorum. Fugerat etiam in Hiberniam Valteri uxor, cum duobus filiis, Andrea, Alexandro, &

Arcturo notho: qui à Iacobo Tertio Rge, domum reversi, magnis honoribus sunt perfuncti. Eodem anno, convocatis Sterlinum proceribus, producti è custodiis, ad causam dicendam, Morcadus, cum [96] duobus fillis, & focero. Iudicium patrio more constitutum. Mos autem hic est. Eligitur, qui præsit, vir singulari prudentia & auctoritate: ei dantur minimum duodecim assessoris, qui crimina objecta audiunt, & jurati de reo pronuncient: hi fere ejusdem cum reo sunt ordinis, aut proximi, quoad fieri potest: reo judicum rejectio datur: ubi justus numerus, id est, duodenarius est confectus, aut, ut fit plurimum, eo major, expensis criminibus, quod plures judicarint, ei sententiæ statut. Hoc more tum selectis judicibus, quorum non est operæ precium nomina referre (erant certe omnes homines clari, & cum reis plerique, propinqua cognatione juncti) rei sunt perduellionis damnati. Eo ipso die, duo juvenes, postridie, pater eorum, & avus maternus capitali suppicio affecti, in colle, qui assurgit contra arcem Sterlini. Fama quidem constans est, etsi à nemine scriptum reperiam, Regem ad Isabellam, patruelis uxorem, misisse patris, mariti, & filiorum capita, tentandi gratia, an mulier ferox, ex doloris impatientia (ut fit plerunque) animi secreta revelaret: illam vero, etsi inopinato aspectu turbaretur, nihil tamen immoderatius locutam: tantum respondisse, Siquidem vera fuerint objecta crimina, Regem recte & jure fecisse.] Tertius Albaniæ Dux fuit Alexander filius secundogenitus Regis Iacobi Secundi, qui Regni Prorex, Comes *Marchiæ, Marriæ, & Gariochæ*, Dominus *Annandie & Manniæ*, à Iacobo Tertio fratre *Annandie & Manniæ*, à Iacobo Tertio fratre proscriptus & multis conflictatus difficultatibus tandem hastiludio Lutetiae adstans particula hastæ fractæ vulneratus occubuit. Hujus filius Ioannes, quartus Dux Albaniæ, Prorex itidem, & tutor Iacobi V datus, delinitus aulæ Gallicæ deliciis, ducta ibidem uxore filia & altera herede Ioannis Arverni & Lauraguezani Comitis ibidem mortem sine sobole obiit. Quem ob reverentiam regii sanquinis Scotorum Franciscus Primus Rex Galliarum eo honore dignatus est, ut inter Archiepiscopum Lingonensem & Ducem Alenconiaæ Franciæ Pares Galliæ locum concesserit. Ab ejus morte nullus Dux fuit Albaniæ, donec Maria Regina Henrico Domino *Darley*, quem pauculis post diebus in maritum assumpsit, nunc titulum detulerit, ut Rex Iacobus sextus eundem Carolo filio juniori infantulo [ADDIT. qui jam pridem Magnæ Britanniæ Rex,] concessit.

Incolunt has regiones genus hominum<sup>100</sup> incultum, pugnax, & imprimis maleficum, *Highlandmen* vulgo vocantur, qui vera soboles priscorum Scotorum, Hibernice loquuntur, se *Albinnich* vocant, corpore firm & compacto, robore valido, pedibus pernices, animis elati, bellicis exercitiis, seu potius latrociniis innati, & ad vindictam odio capitali projectissimi; Hibernicorum more virgatis sagulis induti, capillitio denso & longiori, venatu, piscatione, & prædatione vivunt. In bello casside ferrea, lorica ferreis annulis contexta, arcubus, & hamatis sagittis & machæris utuntur latioribus: atque per gentes, quas *Clannes* vocant, divisi, ita immaniter grassantur prædando, cædendo, ut ipsorum effera crudelitas legem extorserit, quâ liceat, si quis aliqua ex illorum gente damna intulerit, quicunque ex illa gente captus fuerit, aut damna resarciat, aut capite luat.

## LOQHVABRIA.

### EX CAMBDENO.

Quicquid ultra Nessum ad Occiduam devergit plagam, & Aber lacui adjacet, *Loqhuabria* inde appellatur, id est, antiqua Britannorum lingua *Ostium lacuum*; Quod ad Arctoam plagam, *Rossia*.

*Loqhuabria* pascuis & sylvis læta, nec sine ferri venis, frumenti non adeo ferax; sed piscosissimis lacubus, & amnibus vix alteri cedit. Ad *Lotheam* lacum *Innerlothea* propugnaculo

---

<sup>100</sup> Abbreviation ‘hominu’ expanded

firmata, & mercatorum frequentia olim magnam claritatem obtinuit, sed piraticis Danorum & Norwegorum bellis excisa, multis jam seculis ita jacuit neglecta, ut vix ulla illius facies relinquatur integra. Quod innuunt quos modo protuli, versiculi.

Comites, quos legi, habuit *Loquhabria* nullos, sed circa an. Salut. M L. *Thanum* nominatissimum Banqhuonem, quem Macbethus nothus, cum cæde & sanguine regnum occupasset, timidus & suspiciosus è medio tollendum curavit, quod è quarundam Magarum vaticinio comperisset fore, ut ejus posteritas extincta Macbethi sobole aliquando regno potiretur, & longa serie regnaret. Quod sane fide non caruit: Fleanchus enim Banqhuonis filiu, qui per tenebras ignotus insidias evasit, in Walliam profugit, ubi aliquandiu latuit, acceptaque in uxorem Nesta, filia Griffith *Ap Lewellin* Principis *Northwalliae*, Walterum progenuit, qui in Scotiam reversus insulanorum rebellionem tanta fortitudinis laude compressit, & tanta prudentia regios in hoc tractu reditus administravit, ut Rex totius Regni Scotiæ Seneschallum, sive Quæstorem (*Stewart* vulgo vocant) constituerit. Vnde hoc munera nomen cognomen *Stewart* ejus posteris indidit, qui passim per Scotiam numerosa nobilitatis sobole proseminati, magnis honoribus cumulati diu floruerunt: & ex illis ante annos tercentos supra triginta Robertus *Stewart* per Marioriam matrem filiam R. Roberti *Brus* ad regnum Scotiæ, & modo Iacobus *Stewart* ejus nominis Sextus Rex Scotorum per Margaretam proaviam filiam Henrici Septimi (divino summi rectoris numine ita destinante) ad amplissimum Britannicæ Monarchiæ fastigium universo orbe applaudente ascendit.

[ij 96]

LORNA,

## EX CAMBDENO.

*Lorna* generosi hordei ferax habet ad vastum lacum, *Leave* dictum, *Berogomum* castrum, in quo olim justitiæ forum, & haud procul *Dunstafag*, id est, *Mons Stephani*, quondam regum habitatio, supra quod *Lacus Aber*, in terram tam longè ex occiduo mari se infinuat, ut lacui Nesso, qui in Orientalem Oceanum se emittit, nisi angusto spatio montes interpositi dirimissent, confluxisset. In hac celeberrimum est *Tarbar* in *Logh-Kinkeran*, ubi Parliamentaria authoritate Iacobus Quartus Iusticiarum & Vicecomitem constituit, qui australium insularum incolis jus administraret. Has regiones, & ulteriores, anno incarnationis Dominicæ D CV. tenuerunt Picti, quos Septentrionales Pictos vocat *Beda*, ubi prodit illo anno Columbanum ex Hibernia *Presbyterum* & *Abbatem* habitu & vita Monachi insignem in Britanniam ad hos qui *arduis atque horrentibus montium jugis ab australibus Pictorum regionibus fuerunt sequestrati*, religione Christiana imbuendos advenisse, eosque in præmium *Hij* insulam, nunc *I-Comb-kill* quæ objacet, illi concessisse, de qua suo loco. Lornæ Domini superiori ævo fuerunt *Stewarti*, hodie autem per fœmellam eorum hæredem, *Argatheliae* Comites, qui hoc in honorario suo titulo ubique præferunt. ADDIT. Et illorum filii natu majores appellantur Lornæ Domini.

[97]

EXTIMA ORA  
SCOTIÆ,  
in qua

Provinciæ aut Regiones sunt, Rossia, Sutherlandia, Cathanesia, Strath-Navernia, cum regiunculis quæ iis subsunt, itidemque Moravia.

Quicquid terrarum longo tractu, à sinu quem Livennum dicunt, qui Lochabrium à Lorna dividit, adusque Orcades insulas, & extima Continentis, comprehensa etiam Badenocha, quæ à fontibus Spææ fluminis ad decursum ejus in longum porrigitur, non ita pridem Vicecomitatus Innernessi nomine censebatur. Ex hac urbe universi jus petebant, & in hac urbe prætoris capitalis, quem nostri vicecomitem (*Sheriff*) appellant, sedes erat, sicut hodie quoquo manet: Quæcunque etiam ex Æbudas per magna maris spatia iis littoribus objacent, eodem jure tenebantur. Præfectura hæc ad Marchiones Huntilæos hæreditarie pertinebat.

At Cathanesia provincia cessit nuperus Marchio in gratiam Cathanesiæ Comitis è Sinclariorum familia geniti, qui ejusdem Marchionis sororem Ioannam Gordoniam in uxorem duxerat, unde hodierna progenies, eaque provincia Comitatus per se censemur.

Idem quoque Marchio cessit jure Sutherlandiæ provinciæ in gratiam Georgii Gordonii cognati sui, qui ducta Sutherlandiæ Comitum hærede filia, hoc Comitatu auctus, illum in suam familiam transtulerat. Vnde hodie Provincia illa Comitatus quoque per se censemur.

Cromartia urbcula sinui ejusdem nominis apposita, cum exigua proximæ terræ parte, jam ab antiquo Vicecomitatus nomine habebatur, cuius præfectura ad Vrchartorum familiam, (cujus princeps familiæ in vicinia oppidi arcem ac latifundia habet) adhuc spectat.

His divulsis manet adhuc amplissimus universi regni comitatus, nam præter Badenocham, Lochabriam, isthmumque illum terrarum, qui Lochabriam ac Æbudas insulas interjacet, multis minoribus regulis habitatam, omnesque eas insulas quæ littori sparsim prætenduntur, Rossiam universam cum regiunculis vicinis, aut sub illa comprehensis, Strathnaverniam, Assynt, ac quæcunque lacum Nessum ambient, complectitur.

Vetus Geographia hæc loca Creones, Cantas, Carnonacas, Mertas, Logos, & ad extremam septentrionem Cornabios insedisse affirmat, quorum omnium nulla vel apud nostros Scriptores vel exteris superest memoria, nisi forte Cornabiorum obscura lateant vestigia in arce Cathanesiæ Comitum, quæ non ita pridem Gernigo, hodie *Castle Sinclair* dici incipit. At Oceanus magnis terrarum spatiis infusus, incipiens à sinistris ad Tæzalum promontorium, nunc *Buchan-nesse* dictum, à dextris autem ad Veruvium promontorium, nunc *Dungisby-head*, Innernessam usque penetrans, penitusque ad Cœnobium Beaulieu, Vararis æstuarii olim nomine, hodie *Murray Fyrth*, videtur nondum antiquitatem deposuisse; in intimo enim sinus secessu tres fluvii distinctis nominibus in unum confluentes, sub nomine Farrar fluvii, magnum illud Vararis æstuarium subeunt.

ROSSIA.

Rossiæ nomen prisca lingua Chersonesum significat: & revera provincia hæc quanquam ad utrumque mare sese porrigat, multis tamen sinubus irrumpentis Oceani utrinque lacinata, si universim eam intueare, crebas peninsulas refert.

Hos omnes sinus (quod semel dixisse sufficiat) quicunque prisca loquuntur lingua, per universum regnum Lacus nominant: ac propter ambiguitatem vocis, sinus maris, lacus salsos, terrestres vero dulces appellant.

Rossia, qua Occidentem spectat, Vergivio Oceano objecta, multis sinubus intercisa est, qui omnes piscium uberi proventu (halecum præsertim immensis examinibus) luxuriant. Terra vero omnis asperis montibus intumescit, frugibus parum felix, cum desint satis campi, silvarum frequens, pascui quam meffibus magis accommoda. Sed frugum inopiam animalium mansuetorum ac ferinæ copia levat, quæ hinc abacta quotannis longe lateque distrahitur.

Primus ad occidentem hybernum tractus *Kintail* vocatur, angusto freto à Skia insula divisus, sub eoque regiuncula *Glen-Elcheg*, avitum hoc est & patrimoniale solum illustrissimi [98] Comitis Seafort, qui longe lateque per has provincias dominatur, familiæ Mac-Kennethorum principis: In hac est *Castel ylen Donen* ini nsula<sup>101</sup> freti prædicti, ubi Comitis hujus majores primas sedes tenuere. In hunc influunt flumina modica Sheil, Lyick, Connag, Elchag, Luong. *Glen-Elcheg* vero attingit sinum Carroun, in quem exonerat se ejusdem nominis fluvius. Postea legendo oram, præteritis aliquot ignobilioribus sinibus, visitur sinus Ew, & ad mille passus supra eum lacus Ew, undique densis silvis obseptus, ubi superioribus annis ferrariæ exercitæ sunt, nescio an adhuc desitum sit.

Dehinc paulum ad septentriones sinus Brienna, annua & copiosa halecum piscatura nobilis. Sinus ille Ptolemæo Volsas dici videtur. Mediterranea supra hunc Rossiæ pars Ard-Ross dicitur, id altitudinem vel altissimam Rossiæ partem significat, inter altissimos enim montes jacens tota horrida & inculta est. Supra hunc sinum proxime dictum, sequitur *Coigach* regiuncula, quæ vox quintam significat, censebatur enim vicinæ regionis Assynt quinta pars, at nunc avulsa alias dominii est.

Proxima est Assynt, inter Chircaig fluvium ac sinum Cheulis-cung, secundum littus porrecta. Promontorium Row-stoir-Assynt hic longe ultra reliquum littus in mare procurrit. Trallign fluvius ex monte altissimo Bin-moir-Assynt defluens, infra Ard-breck, ubi loci dominus arcem habet, permenso lacu Assynt dicto in mare se exonerat: mons ille cum nonnullis vicinis in mediterraneis Sutherlandiæ, marmoris, aut saxi, quod affinitate marmor referat, venis celebris: cæterum hic aspera & inculta omnia, neque præter cervorum, boum, equorum, caprarumque greges quicquam memorabile: cum Regio inops paucis colonis vix sufficiat. Regiuncula hæc ante multa tempora Sutherlandiæ accensa, ejusdemque pars habita fuit, postea nescio quomodo inde avulsa in aliorum dominium concessit. Hodieque loci dominus Comitem Seafortium superiorem agnoscit: revera tamen vix ad Rossiam spectat, cum diœceseos Cathanensis pars sit.

Iam qua Rossia Vararis æstuarium spectat, quanquam frequenter in montes intumescat, ad littus tamen ac fluviorum margines, (qui crebri sunt) mirum quam frugibus iisque optimis exuberet: Non hic triticum, non secale, avena, pisa, fabæ, non hortenses herbæ aut fructus, supra fidem climatis, desunt. Qua Farrar fluvius in sinum sui cognominis, ut dixi, se condit, incipit hæc Regio, ubi Lovetta, arx antiqua Baronum Fraseriorum in his locis potentium vetus sedes.

Chersonesus ille qui inter duos sinus, Vararis, ejusque qui à Cromartiae oppido nomen habet, *Ard-Meanach* dicitur, quæ vox medium altitudinem significat: hinc excludo ejusdem Cromartiae territorium, & viciniam, ubi suus est, ut retulimus, Vicecomitatus.

Hic in littore visitur oppidum Chanrie dictum, ad amœnos & fœundos colles qui illud cingunt in campis expansum, arce ac remploy cathedrali, non illo tamen intergro, non incelebris. Olim episcopal sedes, unde ei nomen à Canonicis, eorum enim sedes nobis Chanrie dicitur, ut in Elgina vicina Moraviæ urbe, ea ejus pars, ubi illi cum Episcopo suo considebant, à reliqua urbe distincta, hodieque *the Chanrie* dicitur.

Ab hoc oppido in Moraviam quotidianus trajectus est: nullus tamen subset oppido portus: naves in vicinam Minlochiam tribus miliaribus supra positam se subducunt. Infra Canoriæ ad mille passus in eodum littore est *Ros-Markie*, designata ab antiquo urbis sedes, sed cuius luminibus sic perpetuo offecerit vicina Canoria, ut nunquam surrexerit. Paulo quoque superius ad littus supersunt Ormondiæ arcis rudera, unde Principes nostri partem titulorum suorum derivabant; nec injuria, in his enim Rossiæ locis diversisque aliis non exigua latifundia ad fiscum spectant, quorum census annui in Scaccario, ut vocant, dependentur.

Beau-lieu amœnum & opulentum olim cœnobium ad initium sinus non longe Farrar fluvii ostiis positum est, nunc Baronum de Lovatt possessio.

Sequiter Cromartie urbcula ad initiam finis ejusdem nominis, de quo vere dicere liceat,

---

<sup>101</sup> i.e. in insula

nullum talem portum ab Orcadibus insulis ad usque Cantium in Anglia reperiri: est enim navibus aditu facillimus, intus tutissimus, capacissimus, syrtibus, vadis, brevibus liber, omnes denique egregii portus laudes habens. In utroque littore ad depresso marginis septa linea sunt frequentia, & multi usus; recedente namque aestu siccatisque arenas, pisces manu capiuntur.

In hujus intimo recessu fluvius Connel, aut Connen dictus exoneratur, qui diversis fluvii constans, hoc nomine finitur: ad hujus ripam Mac-Kennethorum arx Kildun sedet, & paulo superius Braan, illustrissimi Comitis Seaforti arx haud ignobilis, ad quem in vicinia non exigua pars terrae spectat. Est hic fluvius Margaritifer, unde non raro Vniones insignes è conchis sui generis leguntur. At non unici hujus fluvii ea laus: quamplurimi enim alii, at<sup>102</sup> in hoc tractu diversisque aliis non hac dote cedunt: neque margaritae haec Deæ, Donæ, Ythannæ, Vgio, multisque rivulus etiam mari procul in Vicecomitatu Abredonensi desunt: multaque alia flumina mihi indicta his conchis scatent.

Vix mille passibus ab hujus fluvii ostiis, Pinwell oppidulum non magni nominis sedet, pingui & felici solo positum, unde non longe ad arctum se tollit multis jugis ingens & asper [99] mons Weves, multumque soli occupans, Thanam in proximis dicendam aspicit, herbidis tamen vallibus frequentibusque rivis irrigans non omnino inutilis est.

Ad arctoum freti latus Fowlis arx visitur, paulum à littore reducta, Dynastæ cognominis Munro avita possessio, cuius familiæ, propagines hic non exigua latifundia jam ab antiquo habent. Infra in eodem littore est Balnagaun castrum, Rossiorum universæ familiæ Princeps in his Regionibus eam tenet, & cognomen illud late per hæc loca diffusum est: paulo inferius visitur Miltoun, amoena & jucunda habitatio Baronis Innesii.

Iam ab antiquo Comites Rossenses in toto hoc Comitatu supra cæteros pollebant: quibus deficientibus jus omnes ad Donaldum Insulanam Æbudarum regulum præpotentem, aut spectabat, aut ille ex cognitione arrogabat: quo negato aut interverso succedendi jure, ille hæc armis repetit, facileque tenuit; unde animo vasto majora ac illicita concupiscens, proxima (transgressus Vararim) ad se rapit, cumque nemo se opponeret Abredoniam cum exercitu iter habet. Acta hæc circa annum 1411, quo tempore Iacobus I, defuncto Patre in Anglia,<sup>103</sup> captivus contra omne jus gentium detinebatur, regno interea per Interregem administrato. Oppositus Donaldo est Alexander Marriæ Comes, qui copias ejus cecidit, ex acie profugus, majestatis reus, hoc Comitatu multisque aliis latifundiis excidit, neque unquam posteri ejus in tantam potentiam revaluere.

Sequitur alias sinus & Chersonesus alter: sinum hunc ab oppido ei apposito Fretum-Tayn vocant, importuosus, & propter brevia navibus formidandus. Sinus hic ad multa miliaria terras irrumpens Sutherlandiam à Rossia dividit, desinit autem ad promontorium Terbat dictum. Hic egregii eximieque uberes agri sunt. In eo est Fern cœnobium amoeno loco positum: est quoque in reducto hujus sinus littore Tayn oppidum, uberi circum solo, prisca lingua Bale-Guiche aut Bale-Duiche (nam utroque modo effertur) dictum, à Dothesio vel Duicho sancto habito, cuius ibi templum cum asyli olim jure, ad hoc frequentes peregrinationes instituebantur superioribus temporibus. Supra hanc urbem ad tria miliaria, trajectus in Sutherlandiam patet, locum Portinculty vocant: ad miliaria aliquot supra trajectum hunc fretum jam angustius tenui canali fertur, ubi duo flumina suscipit, Charron ad australe littus, ac in intimo secessu Okel.

Charron ex editissimis montis Skor-mi-varr jugis defluens per montana & sylvestria lapsus, tractum quem Strath-Charron vocant, secat: universus hic tractus ut plurimum sylvis vestitus, imprimis proceris abietibus, vicinis exterisque materiam suppeditans: lætus quoque boum armentis, equorumque gregibus, ad Innercharron ostia habet. Okel fluvius nequaquam pari magnitudine, in intimum, ut dixi, sinum effunditur, tractum eum secans, qui à flumine Strath-Okel dicitur, ad quem pagi aliquot appositi, sed nihil hic memorabile: Vterque hic tractus ad Rossiorum

<sup>102</sup> i.e. et (or, ac)

<sup>103</sup> i.e. defuncto, in Anglia

familiam spectat. Paulo ultra Okel fluvium, ad Chassil rivulum totius provinciae limes est.

Montes in hac Provincia magni, multi, editi, ita ut magna soli pars iis cedat, mediterranea tamen praeter supra dictum Weves, qui duobus fretis super incumbit, ac in omni occidua ora mari imminentes exiguum terrae culturae relinquunt; horum nomina cum latiali ore vix efferi queant, edere supersedeo, vestiganti ea tabula regionis adeunda erit.

Paucæ insulæ, neque illæ cognitu dignæ oram hanc cingunt, praeter Skiam quae suam descriptionem meretur.

## ROSSIA.

### EX CAMBENO.

Rossia, ita dicta antiquo Scotorum vocabulo, quod alii *Promontorium*, alii Peninsulam interpretantur, CANTÆ populi, non absimili verbi notatione Ptolemaei ævo incoluerunt. Hæc sua amplitudine diffusa utrumque prospectat Oceanum; qua Vergivium, attollentibus se convexis jugis & crebris nemoribus, cervis, capreis, damis, & sylvestribus avibus abundat; qua Germanicum, arvis & pascuis est lætior, multoque cultior. In ipso primo hujus limine *Ardmanoch* regio non exigua, quæ in titulum filiis secundo genitis Regum Scotiæ cessit, excelsis montibus & nivi fidissimis assurgit. De quorum altitudine mihi mira nonnulli retulerunt, cum tamen veteres Geometræ nec maris profunditatem, nec montium altitudinem ad perpendicularm decem stadia, id est, mille ducentos quinquaginta passus superare prodiderint. Quod tamen qui *Tenarif* inter insulas *Canarias* ad XV leucas consurgentem, aspicerunt, & vicinum illis Oceanum navigarunt, verum esse nullo modo admittunt. *Lovett* hac in parte est castrum & Baronia celebris familiæ *Fraseriorum*, quam de regno Scotico optime meritam Iacobus Secundus, ut perhibetur, in Baronum ardinem adscivit; & *Clan-Ranaldi* gens cruentissima inito certamine totam extinxisset, nisi divinitus octoginta è primaries hujus familiæ viris uxores gravidas domi reliquissent, quæ totidem maribus editis familiam redintegrarunt.

Ad Nessi vero ostium *Chanonry* à Canonicorum [100] Collegio opulento, dum res steit ecclesiastica, floruit, in qua Episcopo Rossensi Cathedra est constituta. Iuxta locatur *Cromerty*, ubi *Urghuart* vir nobilis jure avito hujus Praefecturæ Vicecomes jus dicit; statioque est cuilibet classi quantumvis magnæ adeo commoda & secura, ut nautis & Geographis *Portus Salutis* nominetur.

Supra Littus est *Altum* cujus meminit Ptolemæus, nunc ut videtur *Tarbarth*, [ADDIT. pertinet ad Dominum Ioannem Makinny, consanguineum Comitis de Seafort]. Ibi enim littus eminet, hinc Cromero portu illo tutissimo, inde *Celnio*, nunc *Killiam* fl. inclusum. Hæc ad Oceanum Orientalem. In Occiduum mare, *Longus* flu. à Ptolemæo memoratus, qui hodie *Lough Longas*, influit. Deinde *Cerones*, ubi nunc *Assinshire*, regio plurimis aestuariis intercisa, conserderunt.

*Rossia* Comitum seriem è Scriptoribus contexere plusquam difficile est. Ante annos plus minus quadringentos Ferqhuardum hoc titulo floruisse legitur, deficientibus autem masculis ad Walterum *Lesley*, qui rebus animose sub Ludovico Imperatore gestis nomen *Generosi Equitis* promeruit, per filiam devenit, è qua *Alexandrum Comitem Rossensem*, & filiam *Donaldo*, *Insularum Hebridum* Domino, enuptam genuit. *Alexandro* nata erat unica filia, quæ in Robertum Albaniæ Ducem jus suum omne transcripsit: quo irritatus *Donaldus ille Insulanus*, regnante *Iacobi III*, se *Regem Insularum*, & *Rossiæ Comitem* dixit, longe lateque ferro & flamma in patriam grassatus. Demum Rex Iacobus Tertius Parliamentaria autoritate anno M CCCC LXXVI *Rossia* Comitatum Coronæ ita adnexuit, ut successoribus nec ipsum Comitatum, nec aliquam ejusdem particulam ullo modo à *Corona* abalienare, vel cuicunque nisi Regum secundo-genitus è legitimo connubio concedere ullo modo liceat. Vnde hodie *Carolus*, Regis filius secundo-genitus, *Dux Eboraci*; eodem utitur, & fruitur. [ADDIT. Hic est ille *Carolus*, nuper *Magnæ Britanniæ Rex*, cui anno M DC XLIX Londini caput securi amputatum est.]

### NOVA DESCRIPTIO.

Si vocem regiunculæ è prisca lingua interpreteris, significat inter duo freta, sic enim revera positus ejus est; ab ortu enim æstivo à Dureinsh ad sinum Cheulis-cung in occasum hibernum porrigitur: ubi vicinam regiunculam Assynt habet. Tota sylvis montibus aviis horrida, culturæ nisi paucissimis locis impatiens: mare ac vicina omnia piscosum, sinus halecibus fœcundi, montes venatui & aucupiis aptissimi, ad exiguum lacum Stacky tractus est sylvestris, ubi cervi omnes bifurcatis caudis reperiuntur. In Isthmo ad promontorium Faro-head cervorum gregibus eo compulsis hominumque multorum indagine & mari clausis, immissis canibus jucunda est & felix venatio. Incolæ rari, cum aspreta & avia hæc paucis vix sufficient, attamen pecori apta, equorum, boum, caprorum gregibus plena omnia, unde neque pisces, caro, aut lacticinia desunt. Superioribus temporibus Sutherlandiam dominum agnoscebat, nunc vero Strath-naaverniæ accensetur, ejusque domini ditioni subest.

MORAVIA,  
vulgò  
MVRRAY.

EX CAMBDENO.

Trans Grampium montem, qui velut serie per cohærentia juga multis flexibus dorsum huc usque agit, VACOMAGI olim sedes habuerunt ad sinum VARARIM, ubi nunc *Murray*, Latinè *Moravia*, sua feracitate, amœnitate, & fructiferarum arborum commoditate insignis. *Spey* flu. inclytus per hanc sibi iter in mare aperit, in quo hospitatur cum *Rothes* castellum irrigaverit, unde familia *Leslejorum* Comitis titulum accepit, ex quo Rex Iacobus Secundus Georgium *Lesley* ad *Rothusii* Comitis honorem eexit. De hoc *Spey* Poëta noster Nechamus:

*Spey loca mutantis præceps agitator arenae*  
*Inconstans certas nescit habere vias.*  
*Officium lintris corbis subit, hunc regit audax*  
*Cursus labentis nauta fluenta sequens.*

*Loxa* fl. à Ptolemæo memoratus, qui nunc *Loss*, juxta in mare se condit, prope quem cernitur *Elgina*, in qua & *Forres* vicina Vicecomes hæreditarius *I. Dunbar de Cumnock* è stirpe Comitum *Marchiae* jus administrat. Vbi vero mare jam subitrus solum planius & mollius reperit, & in lacum oloriferum, in qua Olorina herba abundat, diffusus, castrum habet impostium *Spiny*, quod nunc primum suum habet Baronem *Alexandrum* è stirpe *Lindseiorum*, uti vicinum *Kinloss* celebre olim monasterium (aliis *Kill-flos* à floribus non sine miraculo ibidem subito enatis, cum cadaver Regis Duffi trucidati & occultati eodem loco reperiuntur) suum etiam habet Dominum Edwardum *Brus* Angliae Chartophylacem, & Regiæ Majestati à sacris consiliis, quem Rex Iacobus VI Baronem *Brus de Kinloss* creavit. [ADDIT. Ejus filius est Comes de Elgin, major natu in duello periit.] Hæc ad littus. Interius ubi jam *Bean* castrum (*Banatia* creditur quam memorat Ptolemæus) vas marmoreum artificiose insculptum & Romanis numismatibus repletum anno M CCCC LX fuit repertum. Iuxta *Nardin* sive *Narne* est Vicecomitus hæreditarius *Cambellorum de Lorna*, ubi arx erat, in peninsula, ingenti altitudine mirificis operibus extorta, & Danicis armis olim occupata. Parum hinc abest *Nessus*, lacus peramplus, XXIII scilicet mille passuum in longitudine protensus, aqua adeo tepida ut in hoc rigenti cœli climate nunquam congelet, à quo tenui quasi montium isthmo *Lutea* sive *Lothea* lacus, qui in Occiduum mare se per *Aber* emittit, dirimitur. Ad hos lacus duo olim extiterunt insignia propugnacula, quorum alterum *Inernes*, alterum *Innerlothea* è lacuum nominibus dictum. *Inernes* suum habet Vicecomitem hæreditario jure Marchionem *Huntley*, qui late autoritatem exercet. [ADDIT. At Regi Carolo ante decennium vel circiter vendidit.] Sed habe quæ de his conjunctim cecinit *I. Ionstonus*:

*Imperii veteris duo propugnacula quondam,*  
*Primaque regali mœnia structa manu.*  
*Turribus oppositis adverso in limine spectat*  
*Hæc Zephyrum, Solis illa orientis equos.*  
*Amnibus hinc atque<sup>104</sup> hinc cincta, utrique piscibus amnes*  
*Fæcundi. hæc portu perpetue tuta patet.*  
*Hæc fuit, at jacet heu, jam nunc fine nomine tellus,*  
*Hospita quæ Regum, est hospita facta feris.*  
*Altera spirat adhuc tenuis suffamina vitæ,*

<sup>104</sup> Abbreviation ‘atq;’ expanded

*Quæ dabit & fati turbine victa manus.  
 Dic ubi nunc Carthago potens? ubi Martia Roma?  
 Trojaque, & immensæ ditis opes Afiae?  
 Quid mireris enim mortalia cedere fatis  
 Corpora? cum videas oppida posse mori.*

[ADDIT. Et sic cecinit Arturus Ionstonus de Innernesso:

*Vrbs vicina freto, tu surgis in ubere campo,  
 Et prope Parrhafiae virginis ora vides.  
 Atria te regum decorant, & sanguine fuso  
 Pictorum toties qui rubuere lacus.  
 Vela ferens Nessus vitreis interluit undis,  
 Et ratibus famulas applicat ille rates.  
 Non coit unda gelu, medio sed tempore brumæ,  
 Libera vicitrices in mare volvit aquas.  
 Nec desunt gravidæ gelido sub fidere messes,  
 Nec minus est famuli fertilis unda freti.  
 Proxima te Thule, vicinaque ditat Ierne,  
 Omnis & Arctois insula septa vadis.  
 Abstulit imperii dudum Bodotria fasces,  
 Et dominæ titulo cœpit Edina frui.  
 Tu tamen Emporium regni diceris, honorem  
 Hunc natura tibi dat Geniusque loci.*

[102] Et idem de Innerlothea:

*Quæ vetus hospitium fuit Ennerlothea regum,  
 Iam ruit, & cineres hac tumulantur humo.  
 Tempus edax rerum munitas subruit arces,  
 Perdere Pictorum quas nequiere manus.  
 Si quod adhuc marmor superest, incidite Musæ  
 Distichon hoc, cælo non metuente mori.  
 Nemo dehinc pacem Belloneæ praferat, urbi  
 Quam premis, hæc genitrix, illa noverca fuit.]*

Sub Rege Roberto *Brus*, Thomas *Randolphus*, ejus è sorore nepos, qui pro patria summos labores gravissimasque contentiones suscepit, *Moraviae* Comitis titulo fuit celeberrimus. Sub Roberto Secundo Ioannes de *Dunbar*, qui Regis filiam in pretium violatae pudicitiae cum hoc *Moraviae* Comitatu accepit. Sub Iacobo Secundo *Guilielmus Creichton* regni Cancellarius & Archebaldus *Douglas* acerrime de hoc Comitatu sunt digladiati, cum in *Moraviae* Comitatu contra leges & instituta majorum *Douglasius*, qui filiam Iacobi de *Dunbar* Comitis *Moraviae* minorem duxerat, prælatus erat *Creichtono* cui natu major fuerat collacata, potentia & authoritate *Guilielmi* Comitis *Douglasii* apud Regem, quæ tanta fuit, ut non modo hunc & *Moraviae*, verum etiam alterum fratrem *Ormondiæ*, cognatosque duos *Angusiae* & *Mortonie* Comitatibus auxerit. Sed hæc potentia, quæ non fida, quia nimia, mox fuit ipsi exitio. Sub Iacobo Quinto frater ejus, quem Regni vicarium constituit, hoc honore usus est, & nostra memoria Iacobus, Regis Iacobi Quinti filius nothus, hunc honorem à Maria Regina suore accepit, cui ille malam gratiam rependit, cum ipsam, paucis procerum adscitis, pessimo in Reges exemplo, regno abdicaverit; quod tamen ipse paulo post globulo trajectus luit. Ejus unica Iacobo *Stewart* de *Down* marito, cui genus è regio sanguine, scilicet ab Albaniæ Ducibus, hunc titulum attulit, qui ab æmulis occisus filium Iacobum reliquit in hoc honore successorem.

[103]

NOVA  
MORAVIÆ  
DESCRIPTIO.

Auctore ROBERTO GORDONIO.

Moraviam descripturi, hoc mihi verissime præfari liceat, eam saluberrimo cælo, nulli inferiorem, indulgentia & bonitate terræ longe omnibus cæteris arctois nostris provinciis antecellere. Aëris hic tanta temperies, ut omnibus circumcirca hyemis sævitia rigentibus, neque nives perennent, neque gelu aliquid magni incommodi fructibus aut arboribus pariat. Vnde verissimum experimur, quod incolæ jactant, se supra vicinos omnes quotannis quadraginta serenos sentire dies. Nihil ullibi toto regno provenit, quod non fœliciter hic luxuriet, aut si desit, incolarum socordiæ non cæli aut soli vitio adscribendum est. Si segetes respiciamus, eas mira & constanti cornucopia fundit tellus, si fructus omnigenarum arborum, herbas, flores, legumina, hic omnia affatim cernere licet, eaque omnia tempestiva. Apud alias vix cœpto autumno, hic omnia matura desecantur, & in areas subdiales (ut mos gentis) convehuntur, & si hanc regionem cæteris comparemus, vix sentitur hyems: Aperta fere semper tellus, maria patescunt, nec intercluduntur itinera. At cum multum terræ messibus occupetur, herba parcior est; est enim tota hæc regio segeti & culturæ dicata, sed pastio non longe petenda: supra enim in mediterraneis ad pauca millia passuum satis superque est, quo quotannis jam adulta æstate boes laboribus rusticis absolutis ablegantur. Nullibi instructius macellum quam hic reperies, nullibi viliori pretio annonæ: nec hoc ex inopia æris, sed ex abundantia. Incolæ etiam (ut sæpe in felici solo) in multis inertes, mari strenue se piscatura exercent, eaque vicinos excellunt. In inferioribus ad littora locis laboratur inopia glebæ bituminosæ ad ignis usum, idque solum incommodi sentit beata regio, sed illud paucis locis accidit, eique strenue compotando medentur, (nam & hoc fatendum est) & assidua se agricultura exercentes parum otiosi, parum hoc sentiunt aut curant. Siticulosa tellus frequentes imbræ aestivos desiderat, ut exuberet messis, neque iis (contra quam vicinis accidit) gravius ariditate & siccitate malum.

Regio hæc à Nesso fluvio ejusque ostiis secundum littus ad Spææ fluvii ostia, si ab oppidis ad oppida, ut itineris fert ratio, te conferas, ad triginta quatuor millaria nostratia (quæ quinta parte large Anglica excedunt) complectitur. At latitudine impar: eximia hæc terræ ubertas vix sex aut septem millaria excedit, aliquando angustior.

Solum campestre, humile, quandoque in amœnos colles assurgens, plerunque arenaceum; sed admista semper argilla, cui superfuso letamine mire pinguescit.

Præter dictos fluvios irrigatur Narno & Findorno, & ad Elginam urbem Loxia amne.

Nessus fluvius, si fontes ejus quærantur, haud procul mari Vergivio è lacu Coich defluit, unde nomine Coich assumpto, post aliquot miliarium cursum in ortum fere brumalem tendens ingreditur lacum Garris, quem permeans jam Garris dictus, tertium lacum exiguum Eawich allapsus, jam in ortum aestivum se reflectens, ad duum milliarium intervallum Nessum lacum subit, viginti quatuor millaria in longitudinem expansum, immensæ & inexploratae profunditatis, qui lacus horrido, inculto & aspero circumquaque solo, nunquam tamen glaciem sentit, neque fluvius inde effluens, quamvis nullus sentiatur aquarum tepor, lacu exiens ad quatuor millaria, Innernessam urbem ad mœnia alluens, Vararis aestuarium subit.

Narnius fluvius in montanis, quæ Strath-Herinam & Glen-Tarf tractus separant, ortus, tractumque sibi cognominem (Strath-Nairn vocant) dividens, in ortum aestivum cursu pergens, ad urbeculam itidem sui nominis mare ingreditur, sine portu tamen.

Findornus fluvius iis jugis oritur, quæ Badenocham, Glentarfam & Strath-Herinam dividunt, & longo cursu Herinus dictus, unde tractus quem irrigat Strath-Herina dicitur; jam mari propior, Findorni nomine assumpto, præteritis Tarnvayo arce, Fortressa oppido, Killossa opulento & magni nominis olim cœnobio, ostia habet, quæ mare subit, sub ipsa ostia in occasum reflexus, unde quamvis portus satis tutus sit, quærenti tamen difficilis.

Loxia pauculis supra Elginam urbem milaribus è tribus rivis una confluentibus ortus, eam urbem ad

septentrionem alluens, non longe illic in mare defluit; nulla re insignis nisi quod exundationibus multum damni dat vicinis campus uberrimis, effusis præsertim in vicinum lacum [104] Spynie undis, unde multum egregiæ telluris haustum lacui accessit, neque quotidie cessat malum.

Spæa, ingens, limpidissimus, rapidissimus, omnium secundum Taum maximus, emergit ex exiguo lacu sui nominis, in jugis quæ Badenocham & Lochabriam interjacent; ut plurimum incitato cursu in ortum æstivum, altis undique montibus septus, silvisque coronatus, multis fluviis, innumeris torrentibus, è montium præcipitiis auctus, fertur, donec intra sex miliaria mari appropinquaverit, tum recta in arctum deflectens, plana & culta secans, multum damni vicinis campus dans, ostia subit: nullo portu insignis, minora navigia ægre admittit, vix ad mille passus æstum sentiens; non raro æstivis caloribus, nullis imbribus, flantibus Zephyris, qui undas impellunt, intumescit. Nullus Britanniae fluvius proventu salmonum ei par, præter Dæam & Donam, quem tamen utrumque variis annis æquat: coniduntur enim & exportantur hinc quotannis plerunque octuaginta, non raro supra centum *Lastas* ut vocant, quarum si ratio ad *Tonnas* ineatur, quarta parte excedent. Tota hæc tam quæstuosa dominis piscatura intra paucissimos æstivos menses, & intra miliaris unius spatium absolvitur, ad vicum Germach dictum. Toto cursu à fontibus piscatura exercetur, at vix coniduntur, sed in quotidianos usus cedunt, & tridentibus uncinatis, clara luce manu in pisces natantes jactis, aut coribus vimineis corio circumtectis noctu piscatio hæc instituitur, corbes hos apprime Lucanus describit:

*Primum cana salix, madefacto vimine, parvam  
Textitur in puppim, cæsoque induita juvenco,  
Vectoris patiens tumidum supereminet amnem.*

Corbes hos nemo sanus & inexpertus ingredietur, assueti tamen audacter, cessante omni alio trajectu, feroci fluvio supra modum intumescenti feliciter se credunt. Ius tam lucrosæ piscaturæ ad cœnobium Pluscardense ab antiquo spectabat: de qua re fama ad nos manavit, quandam è Regibus nostris antiquioribus, cuius nomen intercidit, ex itinere in hoc cœnobium divertisse, epulisque minime regalibus exceptum, mirantique vilem apparatum, Cœnobiam hoc ex inopia excusase: subjicienti Regi, quidvis se præstiturum, quod sine aliorum injuria concedi posset, cœnobiam respondisse, nihil jam vacui in terra relictum, omnibus possessis, petere se solum pauca in flumine stadia, quæ neminem laederent, & juris regii essent, quod annuente Rege facile concessum est.

In duas præfecturas seu vicecomitatus Provincia hæc dividitur: prima, eaque major, Elginæ & Fortressæ nominibus venit; altera angustior, Narniensis à nomine urbculæ vocatur. Excipiuntur hinc prædia & terræ, quæ ad Episcopatum Moraviensem ab antiquo spectabant, in his enim jura Regalia Episcopus habebat, quæ nunc fisco cesserunt. Aliquantum quoque soli circa Innernessam urbem ad eam præfecturam pertinet.

Oppida sunt Innernessa, ad Nessum, qui ponte sublico trajicitur, portu infido & minorum navigiorum solum capace, cæterum commodissimo loco posita, & ad regionum vicinarum commercia suscipienda idoneo: antiquitus Regum domicilium: Arx in amœno colle urbem & viciniam omnem late despicit: ager suburbanus fœcundus: nihil deest, nisi quod gleba illa bituminosa qua instruitur focus longius petenda.

Potus omnium harum provinciarum cerevisia, cum lupulo frequentius sine eo, antiquo more decocta. Non deest omnibus his oppidis vini transmarini copia, æquo satis pretio. Memini me adolescente cum Lutetia domum redirem, vidisse vinum Rotomagi longe carius væniisse, quam post paucos menses idem in his oris væniebat: erat autem utrumque Burdigala advectum: Causa erat modicum tum apud nos vectigal. At præter vina habent nativum suum liquorem, aquam vitae dictum, quo præsente (nunquam autem deest) fastidiuntur vina etiam generosissima: Extrahitur liquor hic è cerevisia, adhibitis aromatibus, ubique fere, & tanta copia, ut omnibus sufficiat. Hoc fe ingurgitant plenis haustibus, ut peregrinis miraculo sit, (tantæ ejus vires sunt) ad hæc eos durare posse. Nemo fere melioris notæ abstemius, nec hanc infamian matronæ effugiunt. Itinerantes asperima hyeme, intensissimis frigoribus, lagenula hujus liquoris & caseolis aliquot muniti, nam de obsonio aut pane parum solliciti sunt, longissima itinera sine incommodo pedibus emetuntur: Et quanquam hæc ad hanc urbem adnotaverim, communis omnium harum regionum hic mos est.

Paulum sequendo littus visitur nova substructio Comitum Moraviæ, (castrum Stuarti vocant) amoeno & fertili loco posita, cui adhæret ecclesia parochialis *Pettie* vocata, ubi superioribus temporibus servabantur ossa gygantæ Ioannis, per antonomasiam *Parvi* dicti: quæ intra meam

ætatem, flammis absumpta ecclesia, non amplius comparent. Propius ad urbem est *Cullodin* arx; neque longe illinc *Dac-hous* Baronis *Fraserii de Lovatt* castum. At legendo oram maris, præterita *Ardirsyir*, ubi trajectus est, solitudo est, ubi cædis exercitus Danorum vestigia supersunt.

Sequuntur Narna, ad ostia Narni littore arenoso posita, ubi, si quid mihi contra omnium consensum dicere liceat, hic Ptolemæum Alata castra locasse video, quæ cæteri ad Edinburgum retulerunt: nulla certe in numeris ejus [105] menda, cum ille eo loco institutam descriptionem numeris apte succendentibus persequatur. Faciem hujus loci mutavit ætas, & mare, aggestis arenas, portum, qui antiquis temporibus satis tutus fuerat, obstruxit, & non exiguum uberrimæ terræ partem partim delevit, partim hausit: apparent hodie recedente æstu magnificæ & præclaræ arcis rudera, sed de hoc viderint alii. Trans flumen diversæ visuntur arces, inferiorisque nobilitatis (quos *Gentlemen* patria lingua vocant) ædes: quorundam nomina attingam, *Loch-luy* à lacu dicta, quod ibi loci mare brevem sinum faciat. Sequuntur *Inshock*, *Kinnudie*, *Penig*, *Kinsterie*, *Auld-Ern* vicus habet vicinam rupem, cuius fragmina decussa ignibus ardent & flammam dant, manente tamen saxi mole: mihi videtur sulphuris vivi vena, nam cinerei aut grysei coloris est, eodem modo ardet, & sulphur aliquantum olet.

Ascendendo flumen occurrit *Park*, nec longe illinc *Caddel* arx, ubi est pyritis vena, ærisque non obscura indicia. Diversa ripa sedet *Kilraok* Rossiorum arx. Vlterius littus sequendo nihil habetur præter campos junco marino & chame-junipero tectos & innumera Phocarum examina, quæ multum damni salmonibus flumina subeuntibus dant. Inde *Cowbinn*, & ad ostia *Findorni* venitur. Supra apparent *Grange-hill*, *Brodie*, *Earls-mill*, *Moynes*, *Lethin*, ad rivum qui in *Findornum* defluit: omnes hæ jucundæ sunt habitationes & solo felici positæ. Ad fluvium infra silvam videtur *Tarnway*, antiquissima Moraviensium Comitum arx & sedes. Duobus inde miliaribus in adversa ripa est *Forres* oppidum, ameno loco (si quod aliud septentrionis) positum, olim Regum habitatione & arce, quæ nunc pene defecit, insigne: at hodie priorem magnificantiam non tuetur. Paullum infra est cœnobium olim magni nominis, opulentum, & magnifice extrectum, *Killos*: sed fato rerum hodie parum antiqui splendoris manet. Ad illud in flumine sunt moles ad excipiendos pisces decadente æstu, ut in Rossia diximus. In bivio qua iter est Forressam, stat ingens columna, uno lapide constans, monumentum pugnæ à Milcolumbo Kennethi filio Rege nostro, contra Suenonis Dani copiarum duces habitæ, nunc pleraque vetustate adesa sunt, neque apparent literæ.

Inter hanc & Elginam ad octo miliaria à dextris & sinistris, innumeræ arces, villæ, vici; quæ omnia enumerare non est opus, paucos attingam. Altyr, ad Cuminios spectans, quæ gens ante trecentos annos omnium Scotiæ nobilium, & supra omnes Scotorum proceres potentissima & numerosissima, jam pene defecit. Tenuerat ea gens Buquhaniæ maximam partem, Strath-Bogiam universam, Balvaniam, Badenocham, Lochabriam, Atholiam, multaque alia in his oris: Multa quoque in australibus nostri regni provinciis, quæ mihi non nunc occurrunt: Ecclesiasticos quoque redditus non exiguos: sed cum à partibus Edwardi primi Anglorum Regis in patriæ dedecus contra Robertum primum, vindicem nostrum, stetissent, perduellionis rei, iis omnibus exciderunt, maximamque partem aut misere periæ aut solum vertere.

Sequuntur *Kylbuiack*, *Bogs*, *Aslyisk*, *Burgie*, *Ernesyd*, *Avas*, *Hemp-riggs*, *Pettindreich*, *Mayn*, *Quarrell-wood*, *Inche-Brok*, *Funrassie*, *Duff-hous* ad caput lacus *Spynie*, cuius exundationibus multum damni quotidie sentit, *Gordons-toun*, *Kirkton*, *Dreny*, & in ora *The Bruch*, olim munita arce mari circumducto, rupi firmissimæ superposita, cum reliquum littus arenosum sit. Hinc nunc quoque in adversa Rossiæ, Sutherlandiæ, & Cathanesiæ littora quotidianus trajectus est. Proxima est Rosyll, ubi arenæ ventis mari excitæ non exiguum optimæ terræ portionem aratro subtraxerunt. Inferius ad ripam lacus est Bellormie, eique contiguus vicus cum ecclesia *King-Edward*, solo uberrimo positus, à nomine ejus Angliæ Regis dictus, qui nihil non tyrannide sua tum insederat. In eo vico olim palatium, aut structura palatii nomine, ut chartæ ibidem scriptæ adhuc testantur, fuerat, cuius hodie nihil superset.

Trans Loxiam amnem est Innes, Baronis Innesii domus, qui multa in propinquo latifundia tenet adusque Spæam, & in flumine non exiguae piscaturæ partes. Sequuntur *Leuchars*, *Wrchart*, *Cokstoun*, *Ortoun* ad trajectum Spææ, & supra eam Rothes arx, cui debet titulos illustrissimus

**Rothesiae Comes, ut in Fifa attigimus. Supra paucis miliaribus ad Loxiam est Pluscarden, antiquum & opulentum cœnobium, cui nihil præter Abbatem deerat, à Priore enim regebatur.**

Superest Elgina, præfecturæ caput, ubi jus dicitur, non ita pridem Episcopi sedes. Loxia eam ad ortum & septentrionem variis flexibus errans ambit, solo arenaceo, at insigniter fertili posita: Arcis rudera in arenaceo colle ad ortum urbis flumini incumbunt, hæc Danicis bellis periit, sicuti non paucæ per totum regnum munitæ arces. Templum in ea cathedrale, aut potius parietinæ Templi, quod dum florereret, magnitudine, splendore, insignis artificii labore, omni denique exquisita magnificèntia, omnia, non solum harum regionum, sed totius regni Templa excelluisse videtur. Episcopus laxas & amœnas ædes, firmissima arce munitas (*Spynie dictas*) ad lacus ripam ejusdem nominis, altero ab urbe lapide, ubi diversaretur, habuit, quæ hodie supersunt, juncundissimis hortis, & silva, quæ jam deficit, circumdatas. Lacum frequentat omne genus aquaticarum alitum, Cygnorum præsertim. Herba innascitur lacui, caule recto, foliolis hyperico non dissimilibus, [106] longe tamen majoribus, semine racemoso in summo caule, flores non observavi, nunquam se aquis exerit, nec purum aërem videt, Olorinam accolæ vocant, quam nondum Botanici observarunt, sicut nec innumeræ alias hujus climatis indigenæ plantas: hanc sectantur Cygni, hac libenter vescuntur, unde tanta iis cum hoc lacu familiaritas. Iam si urbem spectes, nullus ædibus nitor, nullus talis cultus, qualem tam beata postulat regio, quod plane incolarum socordiam arguit: at introgresso nihil in mensa desiderabitur, larga omnia, optima omnia. Gens comis, hilaris, aperta, & in epulas, pocula præsertim effusa.

Fama refert Thomæ Randulfo, fortissimo hujus reionis Comiti, à bello reduci occurrisse magnum viduarum hujus urbis agmen, quarum viri in acie ceciderant, orbitatem & egestatem deplorantes, illum misertum<sup>105</sup> statuisse, ut ager suburbanus in partes secaretur, quæ postea hodique octavæ vocantur, non à numero, multæ enim sunt, sed id nominis placuit dari; statuisse præterea ut temporibus futuris civium viduæ earum partium usumfructum ad vitam haberent, quarum mariti possessores decessissent, quod nunc quoque tenetur.

Supra Elginam, Forressam, Narnam, in mediterranea pergenti occurruunt colles & regio aridior, neque inferiori comparanda; hanc *the brae of Murray*, is est, Moraviam superiorem appellant, ulterius procedenti sylvestria, avia, montes, herbidæque valles videntur.

Supersunt tres regiunculæ, Strath-Arkeg, Strath-Nairn, Strath-Herin (nam Strath-Spæam in alium locum rejicimus) non est quod iis immoremur. Strath-Arkeg, vel Strath-Eriggeg, vel ut effertur Strath-Herrig, ad fluviolum ejusdem nominis, qui se in Nessum lacum exonerat, posita est. Tota aspera, lacubus, rivulis, montibusque distincta, vicatim habitata: ad Baronem Fraseriam de Lovatt ejusque clientes pertinet.

Strath-Narnia meliore solo ad decursum Narni fluvii sita, & à variis dominis possidetur.

Strath-Herina secundum Findornum jacet, culta satis, & villis vicisque frequens. In ea est Moya lacus, & in ejus insula ædes Makum-Toish dynastæ, quæ vox Thani filium significat. Thani hi antiquitus præfecti Regionum erant, primæque nobilitatis proceres. In horum locum circa Malcolumbi tertii tempora successere Comites, ignotum antea hic dignitatis genus. Dynasta hic antiquissimæ & late sparsæ familie Princeps est, ea tribus Catanæa appellatur. Tribus hæc per hunc tractum sparsa est, etiamque in multis inferioris Moraviæ locis. Badenocham etiam eorum propago tenet, sub nomine tribus Pharsaneorum, etiamque Marriam superiorem sub nomine filiorum Ferchardi.

Præfectura juridica Elginæ & Forressæ ad Dumbarorum familiam hæreditarie pertinet, quæ in locis circa Forressam late dominatur, & ad comites Moravios ejus cognominis (qui jam à longo tempore defecerunt) originem referunt. Circa Elginam, ejusque viciniam Innesiorum gens (Dumbarorum æmula) cuius familie princeps Baro Innesius, suas sedes habent.

Moraviæ Comitum titulus sæpe diversas domus expertus est, cuius historia incerta & confusa est. Eum tenuit Thomas Randulfus Roberti prima Regis ex sorore nepos, vir non sine laude

---

<sup>105</sup> i.e. miseratum

dicendus, qui extincto avunculo, magna fide & fortitudine Regnum proregis titulo administravit. Postea transit ad Dumbaros. Duglassii eum circa Iacobi secundi tempora tenuere, aliquando ad fiscum devolutus est. Quandoque Huntilæi Comites in eum jus sibi acquisiverunt, quo privati à Maria Guisia dotaria regni, Maria Regina ejus filia hoc Comitatu donavit fratrem Iacobum postea proregem: ejus illustrissimus & nobilissimus pronepos, nunc hujus Comitatus titulis & proventibus feliciter potitur.

[107]

VERA  
SOVTHERLANDIÆ  
CHOROGRAPHICA  
DESCRIPTIO,

è Manuscripto quodam preciosissimo, apud D. ROBERTVM GORDONIVM, Sutherlandiæ Tutorem & Regis Vicecamerarium.

Provincia hæc omnis pecore, armentis, frugibus & fructibus, aliisque ad usum humanum necessariis abunde ferax est. Piscatura hic quæstuosissima. Quod ad situm, omnes quotquot eam hactenus suscepunt describendam penitus errarunt. Nam *Sutherlandiam* ad Ortum & Ortum *Æstivum* terminat Catteynesia, & mare Germanicum; ad occasum Assint; à Septentrione (cum Strathnavernia sit jam Southerlandiæ pars) pulsatur Oceano: à Meridie autem partim habet Rossiam, partim mare Germanicum.

Distinguitur à Catteynesia *Aldi-tuder* torrente, & monte *Ordo*: mons hic à mari Australi usque ad Oceanum Deucaledonium extenditur. Separatur etiam Sutherlandia à Strathnavernia montibus quibusdam ab ortu in occasum se porrigentibus: At cum jam Strathnavernia diplomate Regio Sutherlandiæ annexa sit, vere possumus dicere, Southerlandiæ terminum à Septentrione esse Oceanum. Discreta est hæc quoque provincia ab Assint tribus lacubus, *Corm-loch*, *Furloch*, & *Loch Narkel*, ac montibus *Glas-win* & *Bin-moir*. A Rossia autem discernitur flaviis *Port-necutero* & *Oikello*. Omnes ergo agri Caslæo fluvio irrigui usque ad *Aldene-galgum* & *Lead-morum* in Affint, & quicquid decimas parochiæ Crichensi exhibet, ad Comitatum Southerlandiæ pertinent.

Provincia hæc ab origine *Cathei* vocitata est, & incolæ *Cattegh*; à *Cattæis* Moraviensibus, qui ex Germania huc appulerunt: Sic enim hodie idiomate Scoto-hibernico (quo adjuc incolæ utuntur) nuncupantur. Postea vero Sutherlandia nominata est.

Olim continebat hæc Regio omnem illum tractum inter Port-Necuterum & Dungisbeum interjacente, & monte *Ordo* divisum, qui ab uno mari ad alterum longo tractu procurrit. Comitatus autem ille qui jam Catteynesiae titulo gaudet, nomen olim habuit à promontorio Provinciæ Cattei, quod lingua patria *Nes* vocant, adeo ut *Cattey-nes*, nihil aliud sit quam promontorium Cattei, seu Sutherlandiæ, quod promontorium à latere Orientali montis *Ordi* prætenditur: & episcopatus Catteynensis (dubio procul) primo hunc titulum habuit à Cattei: nam dioecesis hæc non tantum Catteynesiam, sed Sutherlandiam quoque, Strathnaverniam & Assint suo ambitu includit, quæ omnes olim uno Cattei nomine notæ erant. Episcopatus ergo potius gaudebat titulo, totius Cattei scilicet, quam illius partis & promontorii Catteynesiae. Quin ecclesia cathedralis cum canonicorum ædibus & episcopali sede non in Catteynesia, sed in Dornoch, Sutherlandiæ oppido, adhuc extat. Ita progressu temporis Provincia hæc Cattei, antiquo nomine posthabito, Sutherlandiæ titulo vocari cœpit. Boëtius in sua historia deducit Cattei-nes, à voce *Catus* (proprio nomine vici) & *Nes*, id est, promontorium. Ambiguitas certe harum vocum Cattei & Cattei-nes, una cum ignorantia linguæ Scoto-hibernicæ non paucos errores in denominandis his provinciis peperit.

Hodie Southerlandia in decem parochias, ubi totidem sunt Parochialia tempula (præter innumera sacella) dividitur: *Dornoch* (sive *Durnogh*) *Crigh*, *Larg*, *Rogard*, *Culmæly*, *Clyn*, *Loth*, *Kildounan*, *Durines*, & *Far*. Hæc ultima in Strathnavernia est.

Tria sunt in hoc comitatu nemora melioris notæ, nempe, *Diri-moir*, *Diri-chat*, & *Diri-meanigh*: varii præterea saltus, & vivaria arboribus opaca, conservandis enutriendisque animantibus feris commodissima, & venationi dicata, cervis, damis, lupis, vulpibus, felibus agrestibus, lutris, omnique sylvestrium avium genere refertissima. In hac Provincia est avis genus psittaco haud absimile, incolæ *Knag* vocant, quod rostro quotannis nidum sibi in trunco quercus effodit. Hic omnia sunt accipitrum genera. Nullus est in his memoribus rivulus, qui non innumera piscium varii generis examina [108] usibus humanis suppeditet. Dimidium nemoris *Diri-moir*, quod Septentrionem respicit, hodie ad Donaldum Macky Rææ dominum pertinet. In eodem nemore

mons est vulgo Arkill, ubi omnes cervi qui hic nutriuntur caudas furcatas habent, trium pollicum vel unciarum longitudine conspicuas, quibus à reliquis hujus Regionis cervis facile dignoscuntur. In Durenisi qua spectat occasum à Diri-moir locus est venatu celebris, vulgo Parwe; estque in Schetadello in Parochia Lothensi magna ferarum copia: hæc duo loca ob jucundas venationes per totum regnum celeberrima sunt.

Fluvii præcipui sunt, *Vries* seu *Floidac*, *Evelick*, *Brora*, *Loth*, *Helmisdel* feu *Villy*, *Shin*, & *Castey*.<sup>106</sup> Duo quoque limitanei *Portne-cuter*, & *Oikel*, qui *Rossiam* & *Southerlandiam* discernunt: atque omnes salmonum aliorumque piscium capture nobiles. Portus quoque habet excipiendis navigiis commodissimos, quæ hinc in varias Regni partes, frumentum, salem, carbones, salmone, carnem bubulam, lanam, pelles, coria, butyrum, caseum, sebum, aliaque mercimonia deferunt. In flaviis his, & in tota ora maritima, vitulorum marinorum, balænarum, nonnunquam concharum variis<sup>107</sup> generis, aviumque maritimorum magna est copia. Valles circa hos amnes, quæ hic longo tractu, à mari ad montes excurrunt, & qua montibus vicinæ sunt, lingua vernacula *Strathnes*<sup>108</sup> vocantur. Omnes cultæ, & incolis replete. Præterea sylvis & nemoribus, gramine & grano, pecoribus & armentis, ferisque animantibus non fœcundæ solum, sed jucundæ. *Strath* seu vallis *Villy*, à meridie in Septentrionem extenditur: cujus longitudo est millia passuum viginti. *Strath Brora*, contermina *Dirichat*, octodecem millibus passuum in longitudinem patet. *Strath Sleitt* feu *Strath Floid* à mari ad montes protensa quatuordecem millibus passuum. Multæ aliæ sunt hic valles; ut *Strath Terry*, *Strath-ne-failg*, *Strath-skinnedell*, *Strath-telleny*, *Strath-dailnarne*, *Strath-tolly*, *Strath-dail-nemeyin*, *Strath-ne-fin-ay*.

In Parochia *Crigh* ager est vulgo *Slisly-chiles*, alias *Serrincoskery*, octodecem millia passuum longitudine patens, habensque fluvios *Portnecuter* (feu *Tain*) & *Oikell* à Meridie objectos: ubi montes sunt marmorei. Est quoque alia pars Sutherlandiæ, vulgo *Brachat*, id est, summitas *Cattey*, sive Sutherlandiæ: tota frugibus & piscibus, pascuis & arboribus fœcunda; estque in Parochia *Larg*. Longitudo *Brachat* est viginti duo millia passuum, quam fluvius *Shin* (qui è Lacu ejusdem cognominis effluit) in duas dividit partes. Occidentalis hujus agri pars vulgo nominatur *Baronia Gruids*, in qua continetur *Dirimeanigh*.

In fluvio *Shin*, ingens est rupes & prærupta, ex qua aquæ magno cum impetu & fragore corrientes, profundissimum gurgitem efficient; ubi quæstuosa est prægrandium salmonum piscatura. Hic fluvius nunquam gelascit. In Sutherlandia sunt lacus pisculentí plus minus sexaginta, quorum omnium *Loghshin* maximus est, quatuordecem millibus passuum longitudine protensus. In plerisque lacubus, Insulæ sunt, tempore æstivo habitationi aptissimæ. In lacu *Shin* quædam sunt insulæ, ferarum, cygnorum, & anserum agrestium feraces. Insula est in lacu *Brora*, habitationi Sutherlandiæ Comitum dicata; & cervorum venatione jucunda, quorum hic in sylvis, lacum utrinque cingentibus, ingens est copia. Ab oppidulo *Brora* tribus millibus passuum distat hæc insula. In lacubus & fluviis jam dictis, reperiuntur nonnunquam in conchis magni pretii margaritæ. In Sutherlandia quædam sunt Argenti-fodinæ, aliæque opes subterraneæ, quæ adhuc, ob incolarum negligentiam, aut potius imperitiam, nondum è terræ visceribus erutæ sunt.

Præcipuum hujus Provinciæ oppidum est *Dornoch*, arce Sutherlandiæ Comitum, & templo Cathedrali Divæ Virginis sacro conspicuum. Hujus templi fundator fuit *Gilbertus Catteynensis Episcopus*, propterea ejus nomine insignitur. In dextra, sive australi hujus templi parte, commune est Comitum Sutherlandiæ sepulchrum. Templum Parochiale hujus urbis Divo Barro sacrum. Initio reformationis, ut vocant, jam pridem demolitum fuit. Nundinis autem Sancti Barri, Sancti Gilberti, Sancti Bernardi, & Sanctæ Margaritæ, (ad quas ex Regionibus Scotiæ borealibus, ingens

<sup>106</sup> i.e. *Casley*

<sup>107</sup> i.e. variis

<sup>108</sup> i.e. *Strathes* ?

hominum multitudo quotannis confluit) satis celebris est hæc Vrbs, quam Dominus Robertus Gordonius Sutherlandiæ Tutor, in Regale & Liberum burgum erigi curavit. In aliis etiam hujus Provinciæ oppidis frequentes sunt nundinæ: quarum præcipuæ sunt, Sancti Andreæ, ad *Golspey* juxta *Dornoch* oppidum.

Nuper reperta est Lapidina, è qua andulæ, seu petrarum Laminæ, ædificiis aptæ, eruuntur. Hic etiam in longum extenduntur campi, ob planitem, & maris viciniam, admodum amœni.

Qua *Dornoch* spectat orientem solem, videre est monumentum, Crucis formam referens, vulgo *Cras Worwair* hoc est, Thani vel Comitis crux. Altera quoque est non procul ab *Embo*, nomine *Ri-Croiss*, hoc est, Regis crux; sic appellata, quod ibi Danorum Rex vel Dux interfectus & sepultus fuerat.

Vltra *Dornoch*, ad ortum æstivum novem millibus passuum, sita est *Brora*, ad ostium fluminis *Brora*, cui Ioannes Sutherlandiæ Comes, proxime defunctus, jura & privilegia Burgi Baroniæ, ut vocant, à Rege obtinuit. [109] Plus minus quingentis passibus ab ostio fluminis hujus, qua Solem occidentem respicit, optimi eruuntur Carbones, quibus utuntur in salinis, ad coquendum salem, qui non solum Sutherlandiæ, & finitimis Provinciis inservit, sed etiam in Angliam, aliasque Regiones transvehitur.

Haud procul à Carbonaria ad occasum est Latomia; ex qua Tophi in alias Regni partes devehuntur. Montes etiam candidi marmoris varii, in hac Provincia reperiuntur. Non procul à *Golspimoir*, lapides inveniuntur, ex quibus fit calx, in usum ædificiorum. Hic etiam in variis locis ferri fodinæ sunt; ubi præstantissimum conficitur ferrum. In tota Regione, nulli conspicuntur glires: & si forte huc navibus advehantur, quum primum hauserint hujus Regionis aerem, intereunt. Sed quod incredibilius est, in *Catteynesia*, huic Provinciæ contermina, nec ab eâ, vel fluvio, vel mari separata, infinita sunt glirium examina. Sutherlandia, Oceani æstuarii, & fluminibus, ita intersecta est, ut nulla urbs, villa, aut prædiūm in eâ sit, quæ aqua marina aut fluviali non alluatur: unde fit, ut incolis ingens suppeditet copia piscium. *Ord* est altissimus fere hujus Provinciæ mons, & pene impervius. Sutherlandiam à *Catteynesia* separat. Frumentum hic (imprimis hordeum) est præstantissimum: adeo, ut pluris vñiat, quam hordeum *Orcadiæ*, *Catteynesiae*, aut finitimarum Regionum. Varia sunt hic castella: præcipua vero *Dornoch*, & *Dun-Robin*, primaria Comitum Sutherlandiæ sedes; situ, hortis & pomariis, variis floribus & arboribus refertissimis, croco optimo, fonte dulcis aquæ profundissimo, ex quadrato lapide exstructo, vivario, tribus millibus passuum in longitudinem porrecto, & cuniculis optime referto, longe commodissima.

Sunt alia quoque hic Castella plus minus viginti, ut *Skelbo*, *Skibo*, *Pronsy*, *Polrossy*, *Iuverschin*, *Cuttill*, *Eubo*,<sup>109</sup> *Golspitour*, *Golspikirkoun*, *Abirstors*, *Ospisdell*, *Clyn*, *Cracork*, *Helmis dell*, *Torrissy*, *Douncrigh*, *Castell-ne-Goir*, *Durmes*,<sup>110</sup> *Borwe* & *Toung*: quorum duo ultima in Strathnavernia sunt. *Douncrigh* à quodam Paulo Mactiro exstructum fuit.

Longitudo Sutherlandiæ, ab occasu ad ortum, est circiter quinquaginta quinque millia passuum: latitudo vero, viginti duo, à Meridie ad Septemtrionem: sed si includamus etiam *Strathnaverniam*, latitudo est triginta tria millia passuum, à mari australi ad Oceanum Septemtrionalem. Sutherlandiæ pars Assint olim fuit, quam Domini de Kinnard, cum Baronia de *Skelbo*, possiderunt.

#### NOVA SVTHERLANDIÆ DESCRIPTIO.

---

<sup>109</sup> i.e. *Enbo*

<sup>110</sup> i.e. *Durines*

Provincia hæc olim proprie Cattey vocata est, incolæ Catteigh, Sutherlandiæ vox recentior est. Antiquitus vero Cattey nomine, non solum hæc provincia, sed & hodierna Cathanesia, Strathnaveria, Edir-da-Cheulis, & Assynt agnoscebantur. Sutherlandiæ vox terram australem significat.

Dividitur à Cathanesia, quam ad boream & ortum æstivum habet, aspero monte Ord dicto, qui præruptis crepidinibus hic in mare procurrit, & continuatis jugis sub variis nominibus, terras occasum versus permeans, eam quoque à Strath-Navernia separat: ab Assynt tres exigui lacus, & terra de certa<sup>111</sup> iis contigua: Rossiam à meridie & occasu hyberno habet, interjecto eo quem descriptsimus sinu, ad cuius sinus initia Chassil rivus limitem statuit; supra quem montana quæ Okellum fluvium & Shinum lacum interjacent, has provincias separant: cætera aperto alluuntur Oceano.

Regio hæc in mediterraneis crebris montibus sese attollit, qui se in multas valles frugiferas ac pascuis aptas aperiunt, unde limpidissimi decurrent rivi aut fluvii. Valles hæc amoënis & commodissimis habitationibus frequentes, innumera & omnigenum pecorum genera alunt; Ferinæ quoque & avium sylvestrium ac domesticarum præsto est copia, ut qua vel mare vel sinum supra dictum attingit, mirum quam frugibus iisque optimis & oyssimè maturescentibus felix, aliarumque rerum ad bene suaviterque vivendum desideratarum nulla parcitas. Bonitatis soli indicio est, quod in hortis Comitis ad arcem Robino-dunum, in Oceani littore, Crocus feliciter crescit & maturescit, quanquam serotina ea planta sit ac frigidum solum respat.

Tres sunt in hoc Comitatu saltuum aut forrestarum nomine designati loci, in montanis omnes, præter alia nemora sylvasque huc illuc diffusas. Saltus hi *Diri-moir*, *Diri-chart*, & *Diri-meanach*, nominibus agnoscuntur. In iis ut & in plerisque aliis locis jucunda & copiosa [110] est venatio: Cervis enim, damis, lupis, vulpibus, felibus agrestibus, lutris, martibus, melibus, omniq[ue] avium sylvestrium genere, quod hoc climate ali potest, plena hic omnia. Est quoque avis hic genus peculiare, psittacum multum referens, Knag vocant: illa rostro nidum sibi in trunco querno effodit, nescio an ad Pici martii genus referri possit. Ad confinia occasum æstivum spectantia, tractus est montanus ac sylvestris, in eoque mons Arkill: omnes cervi hic reperti bifurcatas habent caudas, unde à cæteris facile distinguuntur. Circa initia lacus Shinn, montes illi marmoreis venis nobilitati, ut in provinciola Assynt diximus, visuntur.

Flumina præcipua quæ hanc Regionem irrigant sunt Vnes, alio nomine Floidæ, qui Dornecho oppido, Robinodunum castrum commeantibus freto trajicitur. Sunt etiam Evelick, Brora, Loth, Helms-dail, Vlly quoque dictus, Shinn, & Casley: Omnes hi quanquam mediocres, piscosissimi sunt: ad horum decursus, aperientibus sese montibus, campi patescunt, gramine frugibusque divites: Tractus hos patira consuetudine Straths appellant, addito ad distinctionem fluvii nomine. Sæpe etiam rivi ignobiles, satis inter montium devexa amoënas ac cultui aptas planicies explicant. Lacus hic inveniuntur plus minus sexaginta, exigui illi, neque magni nominis, piscosi tamen avibusque aquaticis divites: Non deest enim cygnorum, anatum varii generis, anserum item multigenarum, aliarumque alitum copia. Horum lacuum unus præ cæteris magnitudine insignis Shinn, qui flumen ejusdem nominis paulo supra Charronis ostia ex adverso in fretum effundit. Fluvius ille Cataracta insignis, adversus quam dum reluctantur Salmones, in nassas vimineas ad hoc paratas delapsi prædæ cedunt. Fluvium hunc, cuius alveus vix sex miliaria à lacu ad ostia excedit, nunquam congelascere vicinis cunctis concretis affirmant.

Quin etiam opes è mari petitæ hanc regionem beant: quæcumque enim piscium genera vicinis provinciis largitur Oceanus, non hic desunt: hic etiam littoribus non raro Balænæ impingunt, unde olei ad multos usus copia. Sunt phocarum & vitulorum marinorum greges, asselorū multa & varia genera, quæ magnitudine, sapore, aut aliis notis inter se distinguuntur, Rhumbi, Raiæ, Canes marini, Passeres, Pastinacæ, Scombri, Squatinæ, anguillæ marinæ, Bufones

---

<sup>111</sup> i.e. deserta

marini, aspectu fœdi, sed detracta cute delicati, & salubres esui; multaque alia, imo innumera genera, quæ Septentrionibus peculiaria nondum nomina apud Latinos invenere. At Ostreis, Congris, Mitulis, Cancris, Astacis, Chamis, Cochleis, Locustis, Turbinibus, Vmbilicis, Pectinibus, cæterisque testaceis, fluviorum ostia & rupes marinæ abundant. Hinc quotannis varia exportantur, quæ pecunia aut aliis mercibus in usum incolarum permuntantur, frumentum, laudatissimum præfertim hordeum, sal, carbones fossiles, quorum venæ non ita pridem hic repertæ, Salmones, caro bubula, lana, pelles, coria, butyrum, sebum, caseus, equorumque pulli. Excoquitur quoque è venis ferrum eximia bonitate.

Nulli in his oris glires, neque importati navibus (ut casu sæpe fit) hic durant, quod mirum fortasse videatur, cum vicina Cathanesia, neque mari neque flumine divisa, iis infestetur.

Ad aedificiorum usum variii generis saxa sunt, præcipue lapidis arenarii, latomis ad incidendum expetiti; sunt quoque scandularum ad contingendas domos, ac lapidis calcarii fodinæ.

Præcipuum Regionis oppidum Dornoch in australi ora ad Sinum supradictum, ex adverso & in conspectu oppidi Tanæ, arce & templo cathedrali conspicuum. Gilbertum fundatorem templum hoc agnoscit, olim hujus diœceseos Episcopum: hic Comitum sepulchretum est. Templi parochialis, divi Barri nomine, in urbe parietina tantum supersunt. Quaternis nundinis annuis frequentatur urbs, quas Sanctorum nominibus, quorum diebus habentur, veteri consuetudine notant, Barri, Gilberti, Margaretae, Bernardi.

Paulum ab oppido ad ortum, durat monumentum saxeum, ad crucis formam deformatum (*Craisk-vorwair vulgo dictum*) id est *Thani* vel Comitis crux: aliud quoque haud dissimile ad Enbo visitur, *Ri-Croiss*, id est Crux regia, dictum, à Rege Danorum ibi cæso & sepulto nomen habens.

Oppidum hoc non ita pridem, Robertus Gordonius, dum Comitis ex fratre nepotis tutelam ageret, in regale & liberum Burgum, erigi curavit, concessis ad hoc quibus opus erat privilegiis.

Multæ sunt per universam regionem sparsæ arcæ, castella, villæ: Robino-dunum in littore, ut dixi, amœna situ, hortis, aquis, & amplio vivario. Sunt præterea Skello, Skibo, Pronsie, Polrossie, Innerskinn, Cuttill, Enbo, Golspitour, Golspie-Kirkton, Abirscors, Ospidel, Clyn, Crakock, Helmsdail, Torrish, Dunreich, Castel-nagoir, pluresque innominati.

Comites hi antiquæ ac nobilissimæ stirpis in supreme Ordinum conventu inter primos locum habent. Vicinæ Strath-Navernieæ Baro Ræus clientelari jure de eo multa hic possidet. Navarchi quoque jura in suis ditionibus, nonnullisque vicinis locis, ad eum spectant.

Præcipua cognomina, & familiae, quæ jam [111] in *Sutherlandia* extant, (exclusis *Strathnavernia*, *Durinesi* & *Edderachili*) sunt *Gordonii*, *Sutherlandi*, *Moravii*, *Graii*, *Clangunnenses*, feu *Clangunni*, *Seil-Thomasii*, *Seil-Iohannenses* & *Seil-Phalæi*.

Antiquissima est *Sutherlandiae* Comitum familia, & à prima origine, ad hodiernum usque diem, celebris: Regibus suis officiosissima, neque unquam perduellionis juste damnata, permanet. Inter primarios *Scotieæ* proceres, in Comitiis, locum habent. *Sutherlandiae* Comites viri strenui, & bello intrepidi semper habitu sunt. Iam Comes est magnæ potentiae & authoritatis, totius *Sutherlandiae*, Assimt & *Strathnaverniae* Vicecomes; Thalassiarcha, non solum harum, sed etiam circumiacentium quarundam Regionum hæreditarius; idque *Leviniae* Ducus dono.

Quotquot in ejus Provincia degunt generosi, ipsius sunt clientes, & beneficiarii. In ditionibus suis Regia jura exercet. Quin Dominus Macky, Raæ Baro, & Dominus à Duffus, sub ejus clientela sunt: & *Strathnaverniam Edderachilim* & *Durinesin* ejus jure Mackeus possidet: quo fit, ut autoritate & potentia, Majores suos adæquet.

## DESCRIPTIO SVTHERLANDIAE,

### EX CAMBENO.

Vltra Rossiam *Sutherlandia* Germanicum prospectat Oceanum, pecori alendo magis quam frugibus

ferendis commoda. In qua ex candido marmore surgunt montes; miraculum sane in frigida hac plaga; sed nullo ferè usui, cum luxuria in ædificando & otiosa illa opum ostentatio in has remotas regiones nondum penetraverit. *Dunrobin* castrum in hac celeberrimum, Comitum *Sutherlandiae* veterum sedes primaria, è stirpe ni fallor *Moravia*. Inter quos celebratur Guilielmus sub Rege Roberto *Brus*, qui sororem Regis Davidis germanam duxit, filiumque ex ea genuit, quem regni successorem Rex David declaravit, & in ejus nomen proceres jurejurando adegit, sed ille paulo post morte sine liberis præreptus, & Comitatus tandem per filiam & hæredem ad *A. Gordonum* ex Comitum *Huntley* familia hæreditario devenit.

[112]

## STRATH-NAVERNIA.

**Regio hæc à Naverno flumine medium secante nomen habet: Incipit autem ad Helmsdail fluvium, ubi desinit Cathanesia, & recta in occasum porrecta, sinu & flumine Durenish dicto separatur ab Edir-da-Cheulis Provinciola, à Septentrione vastum & apertum Oceanum, nullamque terram objectam, adusque extrema Septentrionalia habet: à meridie Sutherlandia, ut diximus, proxima est, montibus altissimis ab ea divisa.**

**Regio in universum montana, montibus iisque crebris sibique connexis, altis, asperis, nivosis attollitur. Lacus in convallibus haud exigui, sylvis frequens, non desunt portus egregii, at pecori quam frugibus tota aptior, non sibi de iis sufficit: quam inopiam cum exteris commercia, aut vicina Cathanesia, permutatione lignorum ac sylvæ sæpe solatur, ac innumeros boum, equorum, caprorum, aliorumque mansuetorum animalium greges hic cernere licet: cervorum, damarum, ferinæ omnis ingens copia, luporum rapacissimorum, qui hic per sylvestria & avia cum magno animalium domesticorum damno oberrant, tanta frequentia, ut tota pene reliqua insula exacti, hic sedes & domicilia collocasse videantur, nullibi certe tam frequentes.**

Incolarum industria, quantum per cœlum & solum licet, sua exercet bobus rura, quæ secundum littoris tractum exporriguntur, nam paulo interius nisi raris locis, montes fluminibus superincumbentes hoc negant: at maria, sinus, flumina mirum quam piscosa omnia, unde quotannis non mediocris incolis census, præsertim domino ex salmonum captura cedit. Hic exercentur ferrariæ, ac beneficio sylvarum excoquitur è venis ferrum, quod exportatum etiam lucro est. Distrahitur in vicinis nundinarum locis boum saginatarum, ac equinorum pullorum magnus numerus: Evehitur mari bovilla caro doliis condita in usum navigantium, pelles, tergora boum cervorumque, sebum, caseus, butyrum, alia. Porcina caro hic ut ubique parcior: Et hoc semel de universo Regno dixisse sufficiat, porcinam despici, & in usum vilis plebeculæ cedere, multos eam plane abhorrire. Sunt toto Regno ex opportunitate fluminum ac rivorum per montes aut colles delabentium infinitæ moletrinæ, quarum custodes antiqua consuetudine pendunt quotannis Domino præter alia etiam porcos castratos: hic mos ni obstaret, credibile est omne porcinum genus jamdudum abolitum fuisse.

Mirum videatur, Danos, cum Angliam subjugarent, nostrum regnum affligerent, hæc tam horrida ac inculta loca appetiisse, & hic sedes quæsivisse; at certum hoc est, & uno alteroque in littore loco, durant victoriarum contra eos monumenta.

In littore sabuloso inter duo eximia flumina Navern & Torrisdail, quorum ostia ad duum millium intervallo ad invicem absunt, ruinæ nunc sabulo ac mari haustæ testantur quondam oppidum stetisse, sed nunc nullum amplius est. Tota Regio vicatim habitatur. Dynasta ad ostia Naverniæ ædes Farr dictas, & non longo intervallo ad sinum Kuntail habet Tung nomine, nonnullisque aliis locis.

Dividitur hæc provincia in quinque regiunculas, quæ ab ortu incipiendo secundum littus hoc ordine exporriguntur. *Hallowdail*, fluminibus *Hallowdail* & *Strathy* conclusa. Proxima est *Strath-navernia*, totius Regionis nomine dicta: quam sequitur *Kuntail*, ad sinum ejusdem nominis. Deinde *West-Moan*, adusque sinum *Erevill* dictum: ultima est *Durenish*, ad sinum & fluvium cognominem, quæ præ cæteris est melioris & feracioris soli.

Venatus hic crebri, cervorum præsertim, aucupia crebra, invitantibus ad hæc soli hominumque geniis: & qui non se venatu exerceat, eoque unice delectetur, homo apud eos nihil habetur, unde ferinæ in paratu magna semper copia.

Homines sunt validi, robusti, laborum, algoris, æstus patientes, parsimoniæ assueti, neque tamen ea morum feritate, quam Regionis asperitas promittere videretur; at ingenua simplicitate hilares, in epulas aut invicem aut cum exteris effusi, nihil subdolum animis versant. Eadem quoque animorum morumque ratio omnibus cæteris vicinis provinciis, de quibus dictum est.

Commune est omnibus iis Regionibus quæ prisca lingua loquuntur, ut Dominum suum quam maxime venerentur, colant, diligent, pro eo depugnant, in periculis vitam non invití deponant, & præter consueta prædiorum onera, si quando necessitas incumbat, domino elocante

filiam, nomen dissolvente, latifundia impignorata redimente, aut nova comparante, ut vectigalibus extraordinariis indictis, lubentes quartam aut quintam è vaccis suis, quibus divitiæ eorum constant (& boves mares alere insuetum) omnes sine discrimine [113] à summis ad infimos contribuant, quæ impositio ad prædictos usus olim conferri solita, nunc singulis lustris aut trienniis, quanquam cessantibus causis, exigi consuevit, at patienter sic ferente consuetudine toleratur.

Dominus Regionis hodiernus Donaldus Mackæus Raæ Baro, qui hanc longa serie à majoribus possessam, nunc ditione tenet, sicut & proxime dicendam Edirdacheulim.

**ALIA  
STRATH-NAVERNIAE  
DESCRIPTIO.**

**Strathnaveria Southerlandiæ, diplomate Regio, annexa, ejusque pars est: & eam Dominus *Macky Raæ Baro*, jure Comitis Southerlandiæ possidet: Separatur à Southerlandia montibus quibusdam ab ortu in occasum se porrigentibus.**

Regio est gramine quam grano foecundior: Propterea pecori alendo satis commoda. Hic boum armenta, & salmonum examina pene infinita sunt. Et nisi incolæ socordiæ & otio plus nimis essent dediti, multo fœlicior & fertilior reddi posset hæc Regio.

In Strathnaveria varia sunt promontoria, in Oceanum Septentrionalem procurrentia, *Erebol* nempe, *Hoip*, *Strathy*; à variis quoque flaviis salmonum capture claris rigatur: præcipui sunt *Halledel*, *Naver*, sive *Far*, *Strathy*, *Torisdel*, & *Hoip*. *Durines* autem & *Edderachilis*, quamvis ad *Mackæum Raæ* Dominum pertineant, proprie tamen in Strathnaveria non sunt. Duabus munitur Strathnaveria arcibus, *Borwe* scilicet & *Toung*: quarum hæc *Mackæorum* fedes primaria est. In villa *Far* templum est Parochiale, *Far* nomine. In sacello autem *Kirkebolensi*, non ita pridem restaurato, sepeliuntur hujus familiæ Domini. Hic ingens est cervorum & damarum copia: & quamvis tota pene Regio in montes excelsos assurgat, (quorum omnium *Tanebaind* altissimus,) tamen pecori pascendo apta est. Strathnaveria ab ortu ad occasum longa triginta quatuor millia passuum: duodecim lata alicubi; alicubi vero sex tantum; ab austro in Septentrionem, *Durinesi* & *Edderachili* exclusis. Multi hic lacus, quorum præcipuus *Logh-naver*: in *Logh-lyol* insula est, temporibus æstivis habitationi dicata. Et circa littus in Oceano arctico variæ dispersæ sunt insulæ, nempe *Ellan-Com*, *Ellan-Zeyl*, *Ellan-Roin*, & *Ellan-niwe*.

**EDDERACHILIS  
NOVA DESCRIPTIO.**

*Edderachilis*, portio terræ est in ora maritima occasum spectans; desertis rupibus impervia: & ad *Kirkan-challigh* Comitum Southerlandiæ limitibus contermina: & quamvis jam ad *Mackæum* pertineat, nunquam tamen Strathnaveria pars fuit; sed pars Baroniæ *Skelbo* in Southerlandia; & *Edderachilim* jure Comitum Southerlandiæ adhuc possidet Dominus *Macky*. In ea fluvius est, vulgo *Laxford*, ex quo *Mackæus* (sive *Macky*) magnum habet salmonum proventum. Insula *Ellan-Handey* in mari Oceano, ad *Edderachilim*, vel potius ad *Durinesin* pertinet.

**NOVA  
DVRINESII  
DESCRIPTIO.**

*Durines* Baronia solo fruitur campestri & jucundo, qua occasum æstivum spectat; & licet eam hodie *Mackæus Raæ* Dominus jure Southerlandiæ Comitum in possessione habeat, ut ipsorum beneficiarius, ad Strathnaveriam tamen non pertinet: sed eam Comites Southerlandiæ ab

**Episcopo Catteynensi jure feodario possident. Hic dies æstivi sunt longissimi, neque nox fere ulla. Hinc recta navigantibus ad Polum arcticum nulla reperiri potest terra. Hic quoque est fluvius, vulgo *Durines* dictus.**

#### STRATH-NAVERN.

#### EX CAMBDENO.

Extremam totius Britanniæ plagam, quæ obversa littorum fronte Arctum prospectat, & majoris Vrsæ medianam caudam, quam imperia transferre creditit Cardanus, sibi habet verticalem, tenuerunt, ut apud Ptolemæum videre est, *Cornabii*, inter quos *Nabeum* flumen collocat: quæ nomina inter se adeò sunt cognata, ut gens à flumine quod accoluit inde nomen traxisse videatur; nec ab his omnio alienum est hodiernum nomen *Strath-Navern*, id est, *Vallis ad Navern*. Regio à glebæ fertilitate minus foelix, injuriaque cœli rigentis minus culta, & inde à lupis sævissimis gravissime infestata, qui non solum in armenta maximo damno, sed etiam in homines magno periculo adeo immaniter grassantur, non modo in hoc, sed à pluribus etiam aliis Scotiæ partibus, ut ex Parliamentaria sanctione Vicecomites & incolæ in singulis Comitatibus ter singulis annis ad lupos & [ADDIT. olim nunc non] eorum catulos tollendos venatum prodire jubeantur. Sin in Arctoa hac regione hoc quid habeat consolationi, totius Britanniæ minima nocte dieque maxima fruitur. Diem enim maximum ex distantia LIX graduum, & XL scrupulorum ab Æquatore habet XVIII horarum, & XV scrupulorum, & minimam noctem v horarum [114] & scrupulorum XLV. Adeo ut verus non sit Panegyristes, qui olim dixit, Solem hîc tantum non occidere, sed præterire & Horizontem stringere, ex Taciti autoritate scilicet, *quod extrema & plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras*. Sed verior Plinius ex vera ratione, ubi agit de longissimis diebus pro inclinatione circuli Solaris ad Horizontem. *Longissimi*, inquit, *dies sunt in Italia horarum quindecim, in Britannia septemdecim; ubi æstate lucidae noctes, haud dubie re promunt id quod ratio cogit credi; Solstitii diebus accidente Sole proprius verticem mundi, angusto lucis ambitu, subjecta terræ continuos dies habere senis mensibus, noctesque è diverso ad brumam remoto*.

Cæterum in hoc tractu extremo, quem in Ortum Prolemæus longius projicit, cum in Septentriones feratur, (quo nomine Rogerus Baconus in suo Geographia eum olim notavit) Tacitus dixit *immensum & enorme spatium procurrentium terrarum velut in cuneum tenuari*, tria procurent à priscis Scriptoribus memorata Promontoria *Berubium* nunc *Vrdehead*, juxta *Bernswale* viculum, & *Virvedrum*, nunc *Dunsby*, alias *Duncans-bay*, quod remotissimum Britanniæ promontorium existimatur. *Orcas* tamen è regione insularum Orcadum insularum omnium ultimum constituit Ptolemæus, quod vulgo nunc *Howburne* dicitur, Ptolemæo etiam *Tarvedrum*, & *Tarvisium*, quod nomen, si mea non fallit conjectura, invenit eo quod Britanniam finit. *Tarvus* enim Britannice finiendi significationem habet, cum quo & nos huic libro finem imponamus. De *Orcadibus* & *Hebudibus* sive *Hebidibus* & *Shetlandia* suo loco dicturi.

[115]

CATHANESIÆ  
NOVA DESCRIPTIO.

Diximus in superioribus, quam late olim in his locis vox Cattey patuerit, quos populos complexa sit: at sola hæc provincia, de qua agitur, hac voce nunc designatur, adjuncta particula Ness, qua promontorium significatur; diximus quinam populi ante multa sæcula, testante vetere Geographia, hæc loca insederint, quorum omnium memoria extincta est. Cæterum, notandum, multa locorum nomina, etiam hodie peregrinum quid sapere, quorum origo neque Scoticum, Hibernicum, Danicum, aut Norvegicum quid referant, sed ignotæ, incertæ & vetustissimæ originis videntur, qualia sunt Orbuster, Lyibster, Robuster, Trumbuster, & innumera alia. Sermo popularis hodiernus, ignobilis satis Scoto-Hibernicus est, utriusque particeps, neutrum satis referens.

Hic Scottiæ continentis ultimus limes, quam maxime se in arctum porrigens ad viculum Dungisby, paucis minutis intra quinquagesimum gradum. Quanquam Ptolemæus in suo opere Geographico, male de his edoctus, oras has quæ arctum spectant, in ortum detorserit, condonato tamen hoc errore, & deflexis in septentriones littoribus, cætera satis se recte habebunt.

Ante eum hæc incognita Romanis videntur, qui totam Insulam in cuneum desinere arbitrati, bipenni eam assimilavere, cum revera lata fronte pateat, quæ tribus distincta promontoriis agnoscitur: quorum primum ad ortum, Orcadas ex adverso spectans, dicto autori Veruvium, hodie *Dungisby-head*, cum revera Orcas promontorium hic collacari debuisse; causa erroris, quod existimaverit Orcadas magis ad occasum, quam verus earum situs sit, positas fuisse; unde quam proximum illis promontorium, reductis terris, non ut cætera eminens, illi Virvedrum, hodie *Rowrachy* & *Strathy-head*. Tertium ad occasum Ptolemæo Orcas & Tarvedrum, nobis *Faro* aut *Parro-head*: hinc littora inflexa in austrum aut occasum brumalem declinant.

Cathanesia ad austrum & occasum hibernum, ut diximus, à Sutherlandia monte Ord, deinde per continuum montium ductum, ad usque montem *Knock-finn* limite continuo separatur. unde secundum decursum fluminis *Hallow-dail* à fontibus ad ostia, & montana, *Drum-na-hallowdail* ad idem flumen, limes inter hanc & Strath-Naverniam habetur. Orientale latus Oceano alluitur, at quæ ad arctum vergunt, sævo & periculo freto Pentlandiæ nomine, ab Orcadibus dividitur. Fretum hoc navigantibus formidabile, neque nisi statis temporibus quamquam positis ventis trajectui opportunum: Causa est, cum æstus maris quotidianus à septentrionibus incitetur in his locis, Orcadas circumfusus, iisque interfusus, hic primum objectu terrarum coercetur, unde vis illa immensa aquarum multis canalibus Insulas illas permeans, dein reliquo mari in hoc freto effusa, luctantibus etiam maris Vergivii & Orientalis undis, formidabiles aquarum vortices cum summo navium periculo creat.

Si ingenium soli respiciamus, secundum oram maris aut fluminum decursus, humile est ac cultui aptum, segetesque omnifariam ubertim largitur, neque quicquam ad vitam tolerandam deest, non in campis aut vallibus herba, non in montibus aucupium ac venatio, non in mari aut fluminibus piscatura, eaque eximie copiosa. Omnia hic exiguo pretio venundantur, vel ob copiam, aut rariora commercia, aut æris inopiam.

Solum, ut dixi, benigne fruges ministrat, eaque copia ut non solum indigenis sufficiat, sed quæ exportentur: at vitio humescens & argillacei soli, omnia hic tardius maturescunt, neque illis ea bonitas, qua cum Sutherlandiæ & Rossiæ frugibus comparari queant.

Regio sylvæ plurimum indiga, eam è proxima Strath-navernia, maxime permutatione frugum, quibus ea Provincia æque indiget, mutuantur, aut advecta è Norvegia utitur materie. Ad ignis usum ceduntur cespites, aut terra nigra bituminosa, in glebas efformata, sole ventisque indurata; quod optimum ac paratissimum ignis alimentum nullibi fere in Septentrionibus deest. Multi inertes campi montiumque devexa hoc plane vestiuntur.

Montes mediterranea complent, qui multi magni & longissime ex adversis Buquhaniæ, Boinæ, & Ainiæ littoribus apparent, omnium vero celsissimi qui à Virginum mammis (quod eas referre videantur) nomen habent.

Multi in inferioribus locis ac uliginosis convallibus lacus, per quos flumina meant, aut iis

ortus & fontes præbent, nulli tamen majoris nominis quanquam piscosi omnes.

Flumina crebra, mediocria tamen, neque [116] longi decursus, multum circumambiente terram Oceano.

Celeberrimum his locis oppidum *Wick*, ad Orientalem oram objectum Oceano, portum habet navibus satis tutum: hic commercia exercentur. Alterum est objectum Septentrionibus in exiguo sinu, portu & statione fida, *Thurso* loco nomen est.

Multæ per omnem regionem arces, villæ, vici (namque provincia hæc populosa satis est) secundum locorum opportunitates hic illic sparguntur, quædam cultioribus ædificiis non aspernendæ. At loci genius, & incolarum ingenium, epulis ac compotationibus indulgere, suaviter & hilare in diem vivere, quam subtractionibus animum appellere suadet. Castrum Sinclari, olim Gernigo, Comitum arx non procul Wicko oppido primas tenet, & in hujus vicinia Akergill, non ita pridem ad Kethorum familiam spectans, nunc ad hos Comites devoluta, propter alterius viciniam negligitur. Ulterius paulum progressis arx Kees visitur ea quoque Comitis est, amœnæ & jucundæ habitationis. Est in arctoo littore paucis miliaribus à Dungisby, Maja arx Sinclariorum familiæ; eorundem itidem in australi ora est Dunbeth, firma arx, rupim isthmo super ædificata, & huic vicina *Berridaill*, ad Comites spectans. Est quoque *Dounra* in littore ad occasum sita. Sunt & multa alia non spernenda ædificia, quorum nominibus recensendis immorari non est operæ pretium.

Regio hæc Vicecomitatus per se ut dixi habetur, isque Comitum hæreditarius est: quando & quomodo id acciderit, in superioribus memini.

Omnium familiarum quæ cognomen Sanclari referunt, jam ab antiquissimis temporibus, Baro Sanclarus, de Ravens-heuch (ut in Fifæ descriptione attigimus) Princeps habetur. Cæteræ eorum familiæ per Zetlandiam, Orcadas, Cathanesiam, Fifam, Lothianam late disseminatæ, huic originem suam debent. Ejus majores Zetlandiam & Orcadas Comitatus titulo tenuerunt, affinitate etiam Regiæ Danorum domui (ducta in uxorem eorum filia) juncti: sed cum unius mala administratione (qui Guilielmi profusoris nomine ob id apud posteros audit) his provinciis excidissent, mansere tamen in iis Insulis plurimi nobiles privati, hodieque manent, ea familia editi, quibus comes Cathanesius suam originem debet, qui nunc propaginem suam per hæc quæ describimus loca, late dissevit.

Sunt hic etiam multæ aliæ antiquæ ac illustres familiæ, quarum quædam raro in latifundiis suis lares fixere, cum aliorum locorum indigenæ sint. Kethi de Innerogy è Marescallana familia editi hic multa prædia possederunt. Eorum hæreditate crevit non ita pridem illustrissimus Comes Marescallus Kethorum familie princeps, qui iis prædiis postea pactis conditionibus cessere Moweti, aut verius de Monte Alto, qui hodie in his locis avita prædia tenent. Indigenas minores familias recensere longum esset.

Non exigua hujus Comitatus portio de Episcopo in feodo ac Emphyteosi, non ita pridem tenebatur, quæ nunc fisco cessere.

Thursum oppidum praetervecto nulla amplius urbs, nullum oppidum, quam longe hæc universa regni ora occidua porrigitur, occurrit, donec Britannodunum in intimo recessu æstuarii Glottæ appellas: adeo ad hunc vitæ mansuetioris cultum (qui in urbibus frequentior) hebescunt incolarum ingenia, qui priscam linguam & veterem parsimoniam mordicus sectantur. At vere æstimanti hoc inertiae potius, quam veterum imitationi dabitur. Non desunt certe multis locis urbium locandarum opportunitates, portus maximi, tutissimi, capacissimi; maria omnigenis piscibus plena; terra fæcunda, & messibus ac pecori apta; ac flumina vecturæ idonea: at his omnibus ignavia parcat, & incoleæ ut plurimum pecore vicitantes dominati ibidem aluntur senescuntque, unde ora hæc exteris omnibus, imo nostris minus cognita, à paucis videtur, aut commerciis exercetur. Non sum nescius nonnullos huic moli pares locandis urbibus animos appulisse; at cum jura, libertates, urbibus solitæ (sine quibus illæ stare non possunt) paterentur, quanquam sanctiones in id promulgatae invitarent, votorum impotes eam curam abjecisse.

CATHANESIA,

## EX CAMBENO.

Superius Cathanesia, vulgo *Catness*, jacet mari Germanico objecta & numeroso littorum ambitu inflexa, in qua Ptolemæi ætate *Catini*, sed perperam in exemplaribus *Carini*, apud quos ille idem Ptolemæus *Ilam* fl. statuit, qui hodie *Wifle* videatur. Hujus incolis ex pecore pascendo & piscando maximus est proventus. Præcipuum castrum *Girnego* dicitur, in quo *Cathanesiæ* Comites plerumque agunt. [ADDIT. Nomen hoc mutatum in Castel Sinclair.] Episcopalis sedes est in *Dornok* obsuco alioquin viculo, ubi etiam sedem Vicecomiti Cathanesiæ constituit Rex Iacobus Quartus, vel ad *Wik*, prout res postularent.

*Cathanesiæ* Comites iidem olim erant qui etiam Orcadum Comites, sed tandem divisi, perque Malisii cujusdam filiam primogenitam datam in uxorem Guilielmo de *S. Claro* vulgo *Seinclar*, Regio Panitario, ejus posteri hunc honorem Comitum Cathanefiæ sunt adepti, & eodem etiamnum lætantur. [ADDIT. Et nomen ut supradictum *Girnego* mutarunt in nomen familiæ suæ].

[117]

INSVLARVM  
CIRCA  
SCOTIAM  
DESCRIPTIO.

**BENEVOLE LECTOR,** *In principio hujus tomi dedimus, è Georgii Buchanani Historia, generalem Scotiæ descriptionem, excepta illa de Insulis, quam in hunc locum reservare operæ pretium putavimus, alias enim è Scotia habere temporum injuria non permittit. Sic itaque prosequitur*

BVCHANANVS.

Restat nunc ut de Insulis aliquid dicamus (quæ pars historiæ Britannicæ maximis erroribus est implicata.) Sed omissis vetustioribus, à quibus nihil certi nobis est traditum, quæ ab hominibus nostri temporis & verius & apertius sunt prodita prosequemur.

Insularum omnium, quæ Scotiam veluti coronant, tres fecerunt vel classes vel ordines, Occidentales, Orcadas, & Zelandicas\*. *\*Id est Hetlandicas.*

ÆBVDÆ INSVLÆ.

vulgò  
HEBRIDES.

Occidentales Insulas appellant, quæ ab Hibernia pene ad Orcades, in mari Deucaledonio lateri Scotiæ Occidentali prætenduntur. Eas, qui nunc aut patrum ætate aliquid de rebus Britannicis scripto evulgarunt, Hebridas appellant, nomine certe novo, & cujus nullam originem aut vestigium è scriptoribus priscis ostendunt. In illo enim maris tractu alii Æbudas vel Æmodas collocarunt: sed tanta inter se inconstantia, ut vix unquam in numero, situ, aut nominibus convenient. Straboni (ut ab antiquissimo incipiam) fortasse venia danda sit, quod ea parte orbis nondum satis explicata, famam incertam secutus videri possit. Mela Hemodas septem, totidem Martianus Capella Acmosas, Ptolemæus & Solinus quinque Æbudas, Plinius septem Acmosas, & triginta Æbudas numerat. Nos in nominibus frequentissima antiquis retinebimus: Æbudasque omnes Occidentales insulas appellabimus. Situm, & singulorum naturas, commoditatesque ex auctoribus ut recentioribus, ita multo certioribus recensebimus. In primis autem Donaldum Monroum sequemur, hominem & pius & diligentem, qui eas omnes & ipse peragravit, & oculis perlustravit. Hæ vero in mari Deucaledonio sparsæ jacent, numero supra trecentas, & ... Ab ultimis usque temporibus omnes Scotorum Reges eas tenuerunt usque ad Donaldum Milcolumbi Tertii fratrem: qui eas Regi Norvegiæ cessit, [118] ut ejus opera in regno Scotorum adversus jus fasque occupandum<sup>112</sup> adjuvaretur. Tenuere eas Dani & Norvegi circiter annos centum sexaginta, donec ab Alexandro tertio Scotorum Rege ingenti prælio victi eis cesserunt. Tentarunt interdum & viribus freti, & seditionibus adducti, se in libertatem vindicare, & sibi Reges creare. Regium enim nomen cum alii, tum non adeo pridem Ioannes è Donaldina familia usurpavit. In victu, vestitu, totaque rei domesticæ ratione antiqua utuntur parsimonia. Opsonatio illis est venatus, & piscatio. Carnem aqua in omasum, aut cæsi pecoris pellem infusa coquunt: in venationibus interim sanguine expresso cruda vescuntur. Pro potu est jus carnium elixarum. Serum lactis aliquot annos servatum in conviviis etiam avide bibunt. Id potionis genus Blandium appellant. Major pars aqua sitim sedat. Panem ex avena & hordeo (quæ sola frugum genera in illis regionibus proveniunt) conficere non injucundum ex diurno usu peritia quadam adhibita consueverunt. Mane ex eo paulum degustant, eoque contenti venantur: aut si quid aliunde operis est objectum, usque ad vesperum cibo abstinent.

---

<sup>112</sup> i.e. occupando

Veste gaudent varia, ac maxime virgata. Colores amant maxime purpureum, ac ceruleum. Majores sagis versicoloribus plurifariam distinctis utebantur, ut adhuc plerisque mos est. Verum plures nunc magis fuscas, & ericæ frondes proxime imitantes, ne in ericetis cubantes luce florida vestis agnosci possint, ferunt. His involuti potius, quam tecti sævissimas tempestates sub dio tolerant, ac interdum nivibus obruti somnum capiunt. Domi etiam sue humi cubant. Substernunt silices,<sup>113</sup> aut ericam, sed hanc radicibus deorsum, frondibus sursum versis: adeoque scite hac ratione lectos concinnant, ut mollitie cum pluma certent, salubritate longe superent. Erica enim naturali siccandi vi prædicta supervacuos humores exhaerit, nervisque eorum molestia liberatis suum vigorem restituit, ita, ut qui vespere languidi & lassi decubuerunt, mane vegeti & alacres resurgent. Omnibus non negligentia modo in culcitris, & stragula veste, sed affectatio inculti horroris & duritiei summa est. Si quando usus aut necessitas eos in peregrinum solum trahit, culcitra & hospitum stragula humi provolvunt, ac suis vestibus involuti se quieti componunt: solicii videlicet, ne barbara illa (ut ipsi vocant) mollities patriam, & ingenuam duritiem contaminet. In bello autem quibus corpora tegant arma sunt, cassis ferrea, & lorica ferreis annulis confecta, plerunque ad talos usque demissa. Tela adversus hostem arcus, & sagittæ maxima ex parte hamatæ ferreis utrinque barbulis eminentibus, quæ nisi vulnere late patefacto è corpore extrahi non possunt. Sunt qui ensibus latis aut securibus pugnant. Loco tubæ tibia utuntur utriculari. Musica maxime delectantur; sed sui generis fidibus; quarum aliis chordæ sunt æneæ, aliis è nervis factæ, quas vel unguibus prælongis, vel plectris pulsant. Unica autem illis ambitio est, ut fides multo argento exornent, & gemmis. Tenuiores pro gemmis cristallum adhibent. Accinunt autem carmen non inconcinne factum, quod fere laudes fortium virorum contineat: nec aliud fere argumentum eorum Bardi tractant. Vetere Gallorum sermone paulum utuntur.

Insulæ circa Scotiam, quæ prisca utuntur lingua, quæque Occidentales vocantur, ita fere se habent.

Prima omnium est *Mana*, falso quibusdam dicta *Mona*, ab antiquioribus Eubonia: à Paulo Orosio Mevania, aut potius Mænavia. Prisca enim lingua Manim dicitur. Superior ætas oppidum in ea Sodoram appellabet, in qua insulanorum Episcopus sedem habebat. Æquo fere spatio ab Hibernia, Gallovidia Scotiæ, & Cumbria Angliæ provincia sita est. Viginti quatuor millia passuum in longum, octo in latum protenditur.

*Insulæ Manæ descriptionem & tabulam vide in descriptione Angliæ Atlantis nostri Tomo IV.*

Proxima in æstuario Glottæ surgit *Alisa*, rupes ardua undique præter unum aditum præceps. Toto fere anno humano cultu vacua, nisi quod statis temporibus navicularum ingens numerus ad asellos piscandos eo conveniat. Frequens est cuniculis, avibusque marinis, eoque maxime genere anserum, quas Solanas vocamus. Ex æquo fere spectat ad Orientem hibernum Carictam, ad Occidentem hibernum Hiberniam, ad Occidentem æstivum Kinteram.

*Rupes hæc videre est in tabula Arraniæ, fol. 57, hoc tomo.*

Ad viginti quatuor millia ab hac sita est *Arania*, fere in Septentriones vergens: longa viginti quatuor millia, sedecim lata. Tota in altissimos, atque asperrimos montes assurgit. Sola maritima ora colitur. Mare, qua humilior est, irrumpens in ea sinum satis magnum facit, cuius aditum claudit insula *Molas*. Itaque montibus undique se attollentibus, ac ventorum impetum frangentibus portus navibus intus est tutissimus: & in aquis perpetuo tranquillis piscatio adeo copiosa, ut si quid ultra, quam quod in unum diem sit satis capiatur, accolæ in mare, tanquam in piscinam id projiciant.

Nec longe ab Araniæ littore jacet insula exigua *Flada* cuniculorum feracissima.

*Tabulam Arraniæ cui Flada adjacent vide fol. 58.*

*Bota* octo iliia P. longa, quatuor lata;<sup>114</sup> interius in æstuario Glottæ sita est, ab *Arania* (uti

---

<sup>113</sup> i.e. salices?

<sup>114</sup> Punctuation to be deleted

[119] dictum est) octo millia passuum ad Orientem æstivum distans, ab Occidente æstivo abest ab Argathelia plus minus quingentos passus, ad Orientem à Cunigamia sex millia P. Tota fere humilis est, & frugibus, & pascuis satis commoda. Unam habet insulæ cognominem urbem, & in ea veterem arcem Rosaiam. Aliam habet arcem ad sinum, qui sermone patrio Cames, hoc est Kampsos, vocatur.

Ad Occidentem hibernum est insula *Mernoca* humilis, & pro magnitudine fertilis, & culta: mille passuum longa, quingentos lata.

Interius in æstuario Glottæ sunt *Cumbra* major, & minor, modico spatio dirempta: major frugum, minor platyceroton ferax.

*Tabulam harum Insularum, nempe Botæ, Mernocæ, Cumbræ majoris & minoris, habes fol. 60.*

A promontorio Cantera paulo plus mille passus abest *Avona*, id est, portuosa: id cognomen adepta ab statione navium: quod cum Dani insulas tenebant, ad eam classes eorum cursus dirigebant.

*Avonam vide in tabula Kanteræ.*

Ab eodem promontorio ad Occidentem hibernum contra Hiberniæ littus porrecta est *Raclinda*.

*Raclindam, cum Hiberniæ proximior sit, in descriptione Hiberniæ reperies, in tabula Vltoniæ hujus tomi parte secunda; fol. 32.*

Et à Kintera quatuor millia, exigua insula *Caraia*; nec longe ab ea sita est *Gigaïa*, sex millia longa, mille & quingentos lata.

*Hæ Insulæ sunt in tabula Kanteræ.*

#### IVRA.

Ab hac (*Gigaïa scilicet*) quatuor & viginti (*milla p.*) in longum porrecta abest *Iura*. Duodecim autem millia distat à *Gigaïa*. Maritima cultu satis frequentia sunt: interiora sylvis operta cervorum varii generis copia abundant. Sunt qui existiment eam antiquitus Deram fuisse nominatam: quod nomen cervum Gothicò sermone significat.

Ab hac duo millia abest *Scarba*, ab Oriente in Occidentem quatuor millia passuum in longitudinem excurrens, mille lata: raris in locis ab hominibus culta. Æstus maris inter eam, & *Iuram* tam violens est, ut nec velis, nec remis, nisi certis tempestatibus superari possit.

Post hanc multæ ignobiles insulæ deinde sparguntur, Bellach, aut Genistaria, Geurastilla, Longaia, utraque Fiola. Tres item Garvæ cognominibus distinctæ, Culbrenina, Dumchonel, Luparia, Belnahua, Vikerana, Vitulina, Luinga, Seila, Seuna. Hæ tres proximæ pecore, & frugibus satis fœcundæ; Argatheliæ Comitibus parent. Proxima his *Sclata*, quod è rupe ejus tegulæ, quas *Sclatas* vocant, excidantur. Deinde Naguisoga, & Eisdalfa,<sup>115</sup> ac Skennia, & quæ vocatur *Thiana*, ab herba frugibus noxia non dissimili *Luteæ*, nisi quod magis diluto sit colore, & Vderga, & insula Regia, mox Duffa, hoc est nigra, atque insula Ecclesiæ, & Triarcha. Deinde insula Ardua, Humilis, & Viridis, & Ericæa. Item Arboraria, Capraria, Cunicularia, & quæ Oriosorum dicitur, & Abridica. Item Lismora, in qua olim sedes Episcopalis Argatheliæ fuerat, longa octo millia passuum, lata duo. In ea præter communia cum cæteris commoda, metalla inveniuntur. Deinde Ovilia, & Siuna, insula Trajectus, insula Ovicularis. Item Flada, & insula Saxi, & Gressa, & insula

---

<sup>115</sup> i.e. Eisdalsa

**Magna, & Ardiescara, & Musadilla, & Bernera, olim sacrosanctum asylum dicta, Silva taxi nobilis,  
Molochasgir, Drinacha spinis, sambuco & magnarum ædium ruinis operata. Insula Vici fabrorum  
sylvæ fertilis. Item Ransa, & Kervera.**

[121]

## ILA.

Maxima post Iuram ad Occidentem est Ilia, longa viginti quatuor millia, sedecim lata: à Meridie in Septentrionem porrecta: pecorum, frumenti, cervorum, item plumbi fertilis. Amnem aquæ dulcis habet nomine Laiam, item aquæ marinæ sinum, in quo insulæ variæ. Præterea aquæ dulcis lacum, in quo est insula Falangama dicta, olim omnium Insulanorum regia, in qua insularum Regulus assumpto nomine regio solebat habitare.

Huic propinqua, sed minor est insula *Rotunda*: cui etiam à consilio nomen est inditum. In ea enim curia erat, in qua quatuordecim è primoribus jus assidue dicebant, ac de summa rerum etiam agitabant consilia: quorum summa æquitas, & moderatio pacem domi, forisque præstítit, & pacis comitem rerum omnium affluentiam.

Inter Ilam & Iuram sita est insula parva à cumulo lapidum cognominata.

Ad Australe latus *Ilæ* jacent hæ deinceps insulæ, *Colurna*, *Mulmoris*, *Osrima*, *Brigidana*, *Corskera*, insula *Humilis*, *Imersga*, *Beathia*, *Texa*, *Ovicularia*, *Naosiga*, *Rinarda*, *Cana*, *Tarscheria*, *Achnarra*, insula *Magna*, insula figuræ humanæ, insula *Ioannis*, *Stacbadis*.

Ad Occidentalem *Ilæ* angulum *Oversa*. Ibi quoque fretum torrentissimum nisi certis horis impermeabile est navibus. Insula *Mercatoris*: & ad Occccidentem aestivum spectans *Vsabrasta*, & *Tanasta*, & *Nesa*, & insula *Textoris*, & ad octo millia ab Ilia magis in Septentriones versa *Orvansa*, & ei proxima *Porcaria*, & quingentos passus ab *Orvansa* *Coluansa*.

[123]

MVLA.

Vltra Coluansam ad Septentriones jacet *Mulla*, duodecim millia passum distans ab Ila. Hæc insula quatuor & viginti millia in longum, totidem in latum porrigitur, aspera quidem illa, sed frugum non infœcunda. Habet sylas frequentes, magnosque cervorum greges, portumque satis tutum. Ex adverso insulæ Columbi habet duos amnes salmonum fœcundos: alios item minores non omnino steriles: duos item lacus, & in singulis<sup>116</sup> insulas, suasque in eis arces. Mare diversis in locis irrumpens quatuor facit sinus, omnes halecum abundantes.

Ad Occidentem hibernum sita est *Columbaria*, sive *Insula columbarum*: ad Orientem æstivum Era: utraque pecori, & frumentis, & piscatui commoda. Ab iis duo millia passuum abest insula D. Columbi, longa duo millia passuum, supra mille lata fertilis quidem omnium, quæ ea cæli plaga gignere solet, & veteribus, ut in ea gente, monumentis illustris: sed D. Columbi severa disciplina, & sanctitate clarior. Erant in ea duo monasteria, alterum *Monachorum*, alterum *Monacharum*: curia una, sive (ut nunc loquuntur) parochialis ecclesia, multaque sacella ex munificentia Regum Scotorum, & Regulorum Insulanorum. In Cœnobio veteri D. Columbi insularum Episcopi sedem statuerent, vetere domicilio, quod erat in Eubonia, ab Anglis capto. Remanet adhuc inter veteres ruinas sepulcretum, sive cæmiterium commune omnium nobilium familiarum, quæ in Occidentalibus insulis habitabant. Eminent inter cæteros tumuli tres modicis intervallis distantes, tribus impositis domunculis in Orientem versis. In Occidentali cujusque parte lapis inscriptus quorum tumuli sint, indicat. Qui medius est titulum habet, *TVMVLVS REGVM SCOTIÆ*. Ferunt enim quadraginta octo Reges Scotorum ibi fuisse humatos. In dextro incisus est titulus, *TVMVLVS REGVM HIBERNIÆ*. Quatuor enim Reges Hiberniæ illic conditi fuisse dicuntur. Qui est in sinistra parte, inscribitur, *TVMVLVS REGVM NORVEGLÆ*. Hujus enim gentis octo Reges illic fuisse sepultos fama est. In reliquo cæmiterio seorsum claræ Insulanorum familæ habent sua conditoria. Circa eam sex proximæ insulæ exiguae, nec tamen infœcundæ, ab antiquis Regibus, & Insulanorum Regulis Cœnobio Columbæ donatæ fuerunt. *Soa* etsi ovibus commoda habet pascua, major tamen proventus est ex avium marinaram incubatu, & maxime ex ovis. Proxima est *Mulierum* insula, ac deinde *Rudana*, mox *Reringa*. Post eam *Skennia*, quingentos passus à *Mulla* distans, habet suum parochum: sed parochiani magna ex parte in *Mulla* habitant. *Littora* cuniculis abundant. Ab hac mille passus abest *Eorsa*. Hæ omnes Cœnobii Columbi Monachis parent. Ab *Eorsa* duo millia abest *Vlva*, quinque millia pass. longa, frumento, & pascuis pro magnitudine fœcunda. Habet stationem navibus longis commodam. Australi ejus lateri prætenditur *Coluansa*: agrum habet non infœcundum, ac sylvam colurnam. Ab hac fere trecentos passus sita est *Gomatra*, duo millia longa, mille passus lata, à Meridie in Septentrionem excurrens. Deinde à *Gomatra* quatuor millia passum Meridiem versus *Stafa*, utraque portuosa. Quatuor ab hac millia passum ad Occidentem æstivum recedunt duæ *Kerniburgæ*, major, & minor, rupium ita circumvallatæ præcipitiis, & æstu torrentissimo, ut naturali munimento industria adjuto sint plane inexpugnabiles. Ab his mille passus distat insula, cuius terra fere tota est nigra ex putribus vetustate sylvis, & musco concreta. Ejus glebas ad usum ignis desiccant: inde dicta insula *Monadum*: nam ita genus illud terræ vocant, quæ Anglo sermone *Mossa* dicitur. Deinde *Lunga*, duo millia in longitudinem porrecta: dimidio minor *Baca*. Ab hac ad Occidentem sex millia recedit *Tireia*, octo millia longa, tria lata, omnium insularum omnibus ad vitam rebus necessariis longe copiosissima. Nam & pecore, & frumento, piscatu, & marinaram avium foetu abundat. In ipsa est lacus aquæ dulcis, & in ea vetus arx: habet & portum longis navibus non incommodum. Hinc duo millia abest *Gunna*: & à *Gunna* pari spatio *Colla*, duodecim millia longa, duo lata, imprimis fertilis.

---

<sup>116</sup> Insert: singulas

Nec procul hinc est Calfa, tota prope sylvis operta. Post duæ insulæ cognominatæ Virides, major, & minor. Item totidem eisdem cognominibus ex adverso promontorii Mullæ. Iacent non longe ab ea duæ infulæ cognominatæ Glassæ, hoc est, ceruleæ. Deinde Ardan-ridir, id est, alta insula equitis. Deinde Luparia, sive insula luporum. Post eam insula Magna.

[125]

RVMA,

cum Insulis circumjacentibus.

A Colla insula Septentrionem versus protenditur ab Oriente in Occidentem sedecim millia longa, fex lata, montibus arduis, & sylvosis assurgens *Ruma*, & quia rarissim in locis habitata est, aves marinæ passim in campis ova ponunt, quorum quantum libet quivis vere adulto colliget. In rupibus excelsis marini anseres (de quibus ante à nobis dictum est) abunde capiuntur. Ab ea quatuor milia ad Orientem hibernum est insula Equorum: & ab ea quingentos passus Porcaria, pro magnitudine rerum necessariarum abundans. Nidificat in ea falco: habet & portum satis commodum. Non longe ab hac sunt Canna, & Egga, modicæ insulæ, satis fœcundæ, posterior etiam anseribus marinis, quas Solanas vocant. Deinde Soabretilla, venatui quam aliis vitæ commodis aptior.

[127]

## SKIA.

Hinc à Septentrione in Meridiem porrigitur *Skia*, omnium insularum circa Scotiam maxima: quadraginta duo millia passuum longa, alibi octo, alibi duodecim lata, in montes pluribus locis se attollens, ipsi silvis, silvæ pascuis abundant, campi frugum & pecorum fertiles: in his præter alia pecora greges equarum. Quinque amnes habet majores salmonum fœcundos: multos etiam minores, nec eos salmonum steriles. Mare ab omni parte in terram penetrans multos aquæ salsæ sinus facit, tres præcipuos, tredecim item alios, omnes halecum fœcundos. Habet & lacum aquæ dulcis, & quinque arces. Insula priscorum Scotorum sermone Skianacha, hoc est, alata vocatur, quod promontoria, inter quæ mare se infundit, velut alæ se obtendunt. Vsus tamen obtinuit, ut *Skia*, id est Ala vulgo diceretur.

Circa hanc sparsæ jacent insulæ minores, *Oransa* frugibus & pecore, Cunicularia nemoribus & cuniculis abundans.

*Paba* latrociniis infamis, quod in ejus sylvis prædones transeuntibus insidias locant.

Inde *Scalpa* octo millia ad æstivum Occidentem sita. Præter alia commoda magnos cervorum greges in sylvis alit. Inter ostium Caronis sinus & Raarsam jacet Crulinga, statio navibus tuta. Et à *Scalpa* duo millia in Septentriones porrigitur Raarsa, septem millia longa, duo lata: sylvas habet Betuleas, & in eis cervos. Quingentos ab ea passus est *Rona* sylvis & erica operata. Portuum in intimo sinu habet latrociniis infestum prætereuntibus, insidiis tegendis aptum: & in sinus (qui à brevitate Gerloch vocatur) ore est ejusdem nominis insula. Et à *Rona* sex millia Septentrionem versus *Flada*, & à *Flada* duo millia *Tuilmena*, & ad Australe *Skiæ* latus *Oransa*, & mille P. ab ea *Buja* parva, deinde *Buja* major, ac deinceps quinque parvæ insulæ ignobiles: post quas *Isa* fertilis frugum: & juxta eam *Ovia*: deinde *Askerma*, & *Lindilla*.

[129]

INSLVÆ  
VISTO à Meridie adjacentes.

Ad octoginta millia à Skia ad Occidentem æstivum projecta Linga, & Gigarmena, & Bernera, & Megala, & Paba, & Flada, & Scarpa vervecum, & Sandera, & Vatersa, quæ præter alia commoda plurima stationem habet multarum, & magnarum navium capacem, in quam ex omnibus circumjacentibus regionibus, statis temporibus, magna piscatorum frequentia convenire solet. Hæ novem postremæ insulæ sub dominatu sunt Episcopi insularum. A Vatersa duo millia abest Barra septem millia longa, ab Occidente hiberno se ad Orientem æstivum exporrigens: frugum non infœcunda: piscatu asellorum maxime insignis. In hanc sinus maris angustis faucibus infunditur: interius latius rotundatur. Insulam habet unam, & in ea arcem munitissimam. In Septentrionali plaga Barræ assurgit collis, ab imo ad summum herbidus: è summo ebullit fons aquæ dulcis, è quo rivus qui defluit, secum in mare vicinum defert velut minuta quædam, sed adhuc informia animalia, quæ aliqua ex parte, sed obscure speciem conchularum, quas vulgo vocamus Cochleas, præferre videantur. Hanc littoris partem in quam deferuntur accolæ magnas arenas appellant, quod ibi recedente maris æstu ultra mille passus arena nudetur: illinc magnæ conchæ effodiuntur, quas vicini credunt ex illo velut seminio, quod rivus è fonte defert, aut nasci, aut certe in mari incrementum sumere. Inter Barram, & Vistum jacent hæ deinceps exiles insulæ, Orbansa, Ovia, Hakersæta, Garulanga, Flada, Buya major, Buya minor, Haja, Hellisaia, Gigaia, Lingaia, Feraia, Fudaia, Eriscaia.

[130]

## VISTVS.

Ab his in Septentriones excurrit *Vistus*, longa triginta quatuor, lata sex millia. Hæc insula influente duobus in locis maris æstu trium velut insularum speciem præbet: rursus nudatis æstu recedente arenis in unam coit. In ea plurimi sunt lacus aquæ dulcis: sed unus præcipua magnitudine tria millia passuum longus. Ad hunc exesa terra mare viam sibi patefecit, nec ab incolis objecto sexaginta pedum aggere excludi potuit, quo minus inter ingentia saxa male coagmentata se insinuet, & marinos pisciculos persæpe relinquat. In eo piscis capitur cætera salmoni similis, nisi quod ventre albo, dorso nigro sit, & sine squamis instar salmonis. Item in eo propre innumeri sunt aquæ dulcis lacus. Speluncas habet erica tectas latronum latibula: in ea sunt quinque ad sacrorum usum Curiæ. Inde octo millia Orientem versus jacet Helscher<sup>117</sup> Vetularum, ita reor cognominata, quod ad Monachas Ionæ insulæ spectet. Deinde paulo longius ad Septentriones se attolit Haveskera, in quam certo anni tempore vituli marini frequentes appellunt, & capiuntur. Sexaginta fere ultra hanc millia ad Occidentem æstivum recedit Hirta, frugum, pecorum, ac maxime ovium ferax, procerioresque gignit, quam ulla aliarum insularum. Incolæ prope omnium artium, ac maxime religionum rudes. Eò post solstitium æstivum dominus insulæ procuratorem suum ad vectigalia colligenda mittit, & una cum eo sacerdotem, qui pueros proximo anno natos baptizet: is autem si forte desit, suos quisque baptizat. Domino pendunt certum numerum vitulorum marinorum, & sole duratorum vervecum, & avium marinorum. Tota insula non superat longitudinem mille passuum, totidem prope lata, nec ab ulla aliarum insularum videri pars ejus ulla potest, præter tres montes in littore se attollentes, qui ex locis editioribus cernuntur. In iis montibus sunt oves eximiae pulchritudinis: sed ob violentiam æstus marini vix cuiquam est ad eos aditus. Iam ut ad Vistum redeamus, à promontorio ejus Septentrionali sita est insula Valaia mille passus lata, duplo longior.

---

<sup>117</sup> i.e. Helscer

[131]

HARRYS.

Inter [Visti] promontorium, & *Haream* insulam hæ fere sunt interjectæ, exiguae quidem, sed non infrugiferæ Soa, Stroma, Pabaia, Barneraia, Enisaia, Keligira, Saga parva, Saga magna, Hermodraia, Scarvaia, Gria, Linga, Gillinsa, Hea, Hoïa, Ferelaia, Soa parva, Soa magna, Isa, Seuna parva, Seuna magna, Taransa, Slegana, Tuemen, & supra *Haream* Scarpa, & ad Occidentem æquinoctialem supra Leogum quinquaginta millia absunt septem insulæ, quas alii Flavanas, alii Sacras Asyla vocant, in montes herbidos consurgentes, sed ab omni humano cultu desertæ. Neque quadrupedem fere ullum præter oves feras habent, quæ quidem à venatoribus capiuntur, sed ad nullum victus usum. Carnis enim loco arvinam habent: aut si quid sit carnis, id adeo insuave est, ut nemo attingat, nisi in extremo famis periculo. Deinde prope eodem tractu propius Septentrionem jacent Garvellan, id est, aspera insula, & Lamba, & Flada, & Kellasa, & Bernera parva, Bernera magna, & Kirta, & Buya parva, & Buya magna, & Vexaia, & Pabaia, & Sigrama magna, Cunicularia ab ejus animalis fœcunditate vocata, & Sigrama parva, & Pygmæorum insula. In hac fanum est, in quo credunt vicini populi olim Pygmæos fuisse humatos. Multi exterorum terra altuis effossa repererunt, & adhuc deprehendunt capita parva, & rotunda, aliarumque corporis humani partium ossicula, nihil famæ vetustæ derogantia. In eo littore Leogi insulæ, quod in Orientem hibernum spectat, duo sinus maris in terram irrumpunt, quorum alterum lacum Meridionalem, alterum Septentrionalem vocant. Vterque toto anno pisces abunde captantibus suppeditat. Ex eodem littore Leogi magis ad Meridiem vergit Fabilla: deinde Adami insula: deinde insula Agnorum. Item Hulmena, & Viccoilla, & Haverera, & Laxa, & Era, & insula Columbi, & Tora, & Issurta, & Scalpa, & Flada, & Seuta. Ad Orientale latus hujus insulæ iter est subterraneum, superne fornicatum, longum ultra jactum sagittæ, sub quam cryptam naviculæ minores velis, aut remis agi solent, dum fugiunt violentiam æstus, qui ad propinquum promontorium magno cum fragore, & navigantium periculo sævit. Magis ad Orientem jacet insula, quam Vetustum Castellum appellant, locus naturali munimento tutus, & frugum, & piscium copia, & ovis ibi nidificantium volucrum marinorum abunde commeatum incolis sufficiens. Ad littus ubi sinus Briennus terras aperit, insula Eu sita est, tota fere sylvis umbrosa, ac latronibus tantum, qui prætereuntibus insidiantur, accommoda. Magis ad Septentriones jacet insula Gruinorta, & ipsa itidem sylvis opaca, & latronibus insessa. Et in eandem cæli plagam spectans insula Sacerdotum vocata, præter pabula ovis volucrum marinorum abundans. Proxima huic est Asulla. Deinde ei propinqua Habrera magna, post eam Habrera parva, juxta eam insula Equorum, juxta eam rufus insula Mertaika. Hæ octo proximæ insulæ ante ostium sitæ sunt sinus, quem vulgo lacum Briennum vocant.

Ab his insulis quæ sinum Briennum præcingunt, absunt Haraia, & Leogus Septentrionem versus excurrentes. In longum patent sexaginta millia, in latum sedecim. Hæ quidem unam faciunt insulam, non enim maris infusi æstuarii, sed limitibus agrorum, & dominorum ditionibus definiuntur. Pars autem ad Meridiem exposita solet Haraia vocari. In ea fuerat monasterium Roadilla dictum, à Macclodio Haraiensi conditum: ager frugum satis fertilis, sed quæ magis ex fodiendo, quam arando illis proveniunt. Pascua sunt in ea ovium pasturæ commoda, præsertim mons præaltus ad summum usque fastigium gramine virens. Narrat Donaldus Monrous homo doctus, & pius, se, cum illic esset, vidisse oves admodum annosas, ut in eo pecoris genere, sine certis dominis vagas, quarum proventum illic auget, quod ibi nusquam cernatur vulpes, lupus, aut serpens, quanquam inter hanc partem & Leogum magnæ interjectæ sunt sylvæ, quæ cervos alant frequentes, sed humiles, & mole corporis minus conspicuos. In hac insulæ parte fluvius est salmonum ferox.

In parte ad Septentriones projecta est *Leogus*, secundum littus satis frequenter culta. Quatuor habet Curias, arcem unam, septem amnes majusculos, ac duodecim præterea minores, omnes pro cuiusque magnitudine salmonum fæundos: plurimis in locis mare in terras penetrat, in sinusque se diffundit, omnes halecum copia abundantes. Magnus ibi proventus ovium, quæ in ericetis, ac saltibus libere vagantur. Eas in locum angustum, ac velut caulas singulis annis coactas incolæ antiquo more vellunt. Soli campestris magna pars ericetis constat: in quibus terra superne

est nigra ex musco, & sylis putrescentibus multis sæculis coalita ad altitudinem circiter pedalem. Hæc velut superior crusta in cespites oblongos, & tenues consissa, & ad solem [132] desiccata in usum igni colligitur, & lignorum vice uritur. Proximo post anno nudum solum alga marina stercoratum seritur ordeo. In hac insula tanta plerunque balenarum capitur copia, ut aliquando (uti seniores narrant) viginti septem partim prægrandes, partim minusculæ decimarum nomine sacerdotibus sint exhibitæ. Est in hac insula spelunca ingens, in qua recedente æstu aqua duas orgyas alta manet: ubi vero rediit æstus, supra quatuor est profunda. Ibi in rupibus sedens omnis generis sexus, & ætatis multitudo, hamis, & lino magnam vim piscium promiscue dicit. Ad Orientem æstivum sexaginta fere millia P. à Leogo sita est insula parva, solo humili, ac plano, & satis frequenter culto. Nomen est Rona. Cultores homines rudes, ac prope omnis religionis expertes.. Dominus ejus, qui eam colant certum familiarum numerum sinit, eisque majorum, & minorum pecorum assignat quantum satis videtur, unde & ipsi commode vivant, & vectigalia solvant. Quod ultra victimum provenit, ad Leogum singulis annis agri sui dominum mittunt. Hæc fere vectigalis nomine pendunt: magnam vim farinæ ordeaceæ in pellibus ovium insutam: (apud eos enim hoc genus frugum copiose nascitur.) Carnis ovillæ, & marinorum avium sole duratarum, quantum ex annuo proventu supererat. Ac si quando multitudo capitum abundat, supernumerarios quoque domino annumerant. Atque ita soli , ut opinor, in universo orbe sunt, quibus nihil unquam deest, omnia ad satietatem redundant. Iuxta luxus, & avaritiæ ignari: quiue innocentiam, & animi tranquillitatem, quam alii magnis laboribus ex institutis, & præceptis sapientiæ petunt, ex ignoratione vitiorum comparatam habent: nec aliud quicquam, præterquam quod fuæ conditionis commoditatem non intelligent, ad summam felicitatem deesse videatur. Est in hac insula sacellum D. Ronano sacrum: In eo (ut majores natu ferunt) ligo perpetuo relinquitur: quo cum quis moritur, sepulchri locum inveniunt defignatum. In hac insula præter aliam punctionem plurimæ balenæ capiuntut. Ab hac millia passuum sedecim Occidentem versus jacet insula Suilskeraia, mille passus longa: sed quæ nullam herbam, ac ne ericam quidem gignat. Rupes tantum nigras attollit, quarum quædam musco nigro teguntur. Volucres marinae passim ibi ova ponunt, & excludunt. Ad eas nondum ad avolandum maturas proximi è Leogo insula adnavigant, ac plus minus octo dies eis legendis tribuunt, donec earum carne vento durata, plumisque naviculas onerent. In hac insula rarum, & aliis regionibus ignotum genus avis conspicitur: colcam vocant, magnitudine paulo infra anserem. Ea vere singulis annis eo adventat, pullosque exclusos eousque educat, dum ipsi sibi prospicere possint. Ad id fere tempus plumæ sponte defluentes è toto corpore nudam destituunt: ac tum demum ad mare se recipit, nec ante proximum ver usquam conspicitur. Illud quoque eis est singulare, quod earum pennæ caulem non habent: sed levi, & cui nihi prorsus duri adest, pluma totum corpus velut lanagine vestiunt.

[133]

## ORCADES

Sequuntur *Orcades*, in mari partim Deucaledonio, partim Gernmanico, ad Septentrionalem Scotiæ partem, sparsæ. Harum de nomine inter Scriptores veteres, & recentiores satis convenit. Rationem autem nominis nemo (quod adhuc sciam) explicavit. Sed neque, qui eas primi tenuerint satis constat. Omnes Germanicæ originis eos fuisse tradunt. At è qua natione Germanorum advenerint, id non proditur. Si è sermone conjecturam faciemus, & olim, & nunc quoque vetere Gothica lingua utuntur. Sunt qui Pictos eos fuisse arbitrentur, hoc maxime argumento, quod fretum eos à Cathanesia dividens, Picticum cognominatur: Pictosque ipsos generis Saxonici fuisse existimarint, Claudiani carmine maxime freti è septima Panegyrica:

— *Maduerunt Saxone fuso*

*Orcades, incaluit Pictorum sanguine Thule:  
Scotorum cumulos flevit glacialis Ierne.*

Sed eorum refutari facile error potest, partim ex Beda Anglo-Saxone, qui cum quinque diversis linguis à Britannis Dei laudes cani asseveret, unam ex eo numero Picticam esse ait. Quod si tum Saxonice Picti locuti fuissent, eam a Saxonica (qua tum Angli incorrupta utebantur) non separasset: partim quod in illis versibus Claudianus diserte Pictos à Saxonibus alios esse ostendat: cum alteris Orcadas, alteris Thulen patriam esse affirmet: sed undecunque sunt oriundi, nostra adhuc ætate lingua à Scottis & Anglis diversa utuntur, & quæ à Gothica non multum discrepet. In convictu quotidiano multum è vetusta parsimonia adhuc vulgus retinet. Itaque perpetua corporis, & animi sanitate fere omnes fruuntur. Rari morbis, plerique omnes senio solvuntur: plusque apud eos deliciarum ignorantia, quam apud alios medicorum ars, & diligentia ad salutem tuendam prodest. Eadem parsimonia & ad formæ elegantiam, & ad staturæ proceritatem plurimum facit: frugum proventus eis exiguis est, præterquam avenæ, & ordei, ex quibus eis & panis & vinum suppetit. Ex gregalibus animantibus oves, boves, & capræ non infrequentes, unde multus eis lactis, casei, & butiri est usus, aves marinæ innumeræ, ex his fere, & piscibus victus eorum magna ex parte constat. Nullum ibi venenatum animal, ac ne deformè quidem aspectu appareat. Sunt eis equulei, specie quidem contemptibiles, sed ad omnes usus supra quam credi potest strenui. Nulla usquam arbor, ac ne frutex quidam præter ericam, nec id tam cæli, aut soli vitio, quam incolentium ignavia, quod facile ostenditur ex arborum radicibus, quæ pluribus in locis eruuntur. Quoties exotica vina navibus invehuntur, avide se ingurgitant. Scyphum habent antiquum, quem (ut major crapulæ sit autoritas) divi Magni, qui primus ad eos Christi doctrinam attulit, fuisse prædicant. Is cum ita superet communium poculorum amplitudinem, ut è Lapitharum convivio reservatus videri possit, eo suos Episcopos initio ad se adventantes explorant: qui plenum uno haustu ebiberit, (quod admodum raro evenit) miris eum laudibus prosequuntur: atque hinc velut læto augurio sequentium annorum proventum animis præcipiunt. Vnde facilis conjectura est, illam quam dixi parsimoniam non tam à ratione, & studio, quam penuria ortam esse: eademque, quæ eam initio pepererat, diu apud posteros conservavit necessitas: donec vicinis nationibus invalesceante luxuria corruptis, paulatim disciplina vetere labefactata, blandientibus quoque delitiis ipsi sese dedidere. Multum etiam præcipitatem temperantiam impulere piratarum commercia: qui regiones continentis habitatoribus frequentes adire non aufi ex insulis aquantur: & vina, mercesque alias aut commeatibus mutant, aut vili pretio distrahunt: & Insulani, & pauci numero, & inermes, & in mari procelloso ita sparsi, ut mutuis auxiliis se tueri non possint, infirmitatis suæ consciæ, non omnino inviti securitatem cum lucro conjunctam, ad blandiente etiam voluptate, vel receperunt, vel non rejecerunt. Sed hæc morum labes in potentiores fere, & sacerdotes incubuit. Apud vulgus multa pristinæ moderationis adhuc vestigia restant. Mare illis non solum ventorum violentia, & siderum positu sævum, & tempestuosum est, sed æstibus contrariis ex Oceano Occidentali incitatis, & inter angustias terrarum confligentibus nulla vi remorum, aut velorum freti ex adverso recurrentes, & in se contorti vortices superari possunt. Si qui proprius accedere audent, aut impetu violento rursus in mare rapiuntur, aut fluctuantis æquoris rapiditate abrepti in rupes, & scopulos compelluntur, aut in se convolutis aquaram cumulis absorbentur. Duæ sunt tempestates, quibus hæ angustiæ sunt

superabiles, aut cum æstuum relapsu cessante undarum conflictu mare tranquillatur: aut ubi pleno alveo æquor ad summum incrementi pervenit, languescente utrinque vi illa [134] quæ undas concitabat, velut receptui canente Oceano procellis, & vorticosis pelagi commoti molibus se velut in sua castra recipientibus.

De numero quoque Orcadum inter Scriptores non convenit. Plinio sunt insulæ quadraginta, cæteris fere triginta. Proxime ad verum accessit Paulus Orosius, qui triginta tres prodit, è quibus tredecim habitentur, cæteræ desertæ, & pecori pascendo relictæ. Sunt enim pleræque humiles, & ita spatiis angustis, ut vix colonum unum aut alterum, si colerentur, alerent. Aliæ nudis scopolis aut opertis musco squalentes. Orcadum maxima multis veterum Pomona vocatur. Hodie continentem appellant, quod longe alias magnitudine præcedat. Patet enim in longum triginta millia passuum. Hæc satis frequenter habitat. Habet enim duodecim sive Curias, seu parochias rusticæ. Præterea oppidum unum, quod Dani, quorum in ditione Orcades diu fuerunt, Cracoviacam appellabant: nunc nomine corrupto Kircua Scotis dicitur. In hoc duæ sunt velut modicæ arcæ propinquæ, altera Regis, altera Episcopi. Inter eas situm est templum, ut in locis illis satis magnificum. Inter templum, & arcæ utrinque sunt non infrequentia ædificia, quas duas urbes incolæ appellant: alteram Regiam, alteram Episcopalem. Tota insula excurrit in promontoria: inter quæ sinus maris infusi stationes navibus tutas, & interim portus faciunt. Sex diversis in locis hujus insulæ metalla sunt plumbi albi, & nigri tam probi quam usquam in Britannia reperiatur. Hæc insula à Cathanesia circiter viginti quatuor M. abest, interjecto freto Pictico, de cuius natura jam diximus. In eo freto sparguntur insulæ complures, è quibus Stroma quatuor à Cathanesia M. abest, non infœcunda pro magnitudine. Sed hanc ob propinquitatem terræ Britanniæ, & quod Cathanesiæ Comites eam semper tenuerint, inter Orcadas non numerant. Ab hac ad Septentriones naviganti prima Orcadum occurrit Ranalsa australis, quæ à sinu Duncani, aut verius Dunachi abest sedecim millia: quod spatium duabus horis æstu secundo, etiam cessantibus ventis, naviculæ conficiunt: tanta hujus freti est violentia. Hæc quinque millia passuum longa est, habetque portum satis commodum à D. Margarita cognominatum. Ab ea paulum in Orientem projectæ sunt insulæ duæ exiguæ, & incultæ, pecori pascendo relictæ. Holmas illi gentili vocabulo eas appellant, hoc est planities herbidas, aquis assitas. Ad Septentrionem est Burra insula, & duæ inter eam & Pomonam Holmæ. A Burra Occidentem versus ordine tres insulæ jacent, Suna, Flata, & Fara: & ultra eas Hoïa, & Valis, quas alii duas, alii unam insulam vocant: quod circa æquinoctia (quo tempore maria violentissime incitantur, ac fervent) æstu recedente nudantibus se arenis angustis fauibus cohærent, unamque insulam faciunt: redeunte æstu rursus interjecto mari duarum insularum speciem præbent. In hac insula omnium, quas Orcades habent, altissimi sunt montes. Hoïa, & Valis, decem millia in longum porrингuntur: ab Ranalsa absunt octo: à Fano Donati in Cathanesia, supra viginti millia passuum: à Septentrione est insula Granisa, in freto admodum angusto sita. Abest enim Hoïa à proximo continentis, id est Pomonæ promontorio, duo modo millia. Hæc fere inter Pomonam, & Cathanesiam sunt insulæ in ipso freto sitæ. Latus continentis Occidentale mare apertum spectat, nullis in eo nec insulis, nec scopolis apparentibus. Ab Orientali ejus promontorio paulum procurrit. Cobesa à Borea eam velut tegit. Littori propior Siapinsa paulum se in Orientem inflectens, ex adverso Cracoviacæ duo millia sita, ipsa sex millia longa. Ab Occidentali parte Pomonæ jacet Rusa sex millia longa. Ab ea propius Orientem sita est Eglisa, ubi divum Magnum fama est esse sepultum. Hinc ad Meridiem adjacent Vera, Gersa: nec longe illinc Vestra, à qua Hethlandia abest millia passuum xxc. Papa, Stronza distat ab Hethlandia xxc millia passuum.

## FARA

In hoc medio fere cursu jacet Fara, hoc est bella insula, utrisque & Orcadibus & Hethlandiæ conspicua. Assurgit enim in tria altissima promontoria, rupibus excelsis præcinta, & undique inaccessa, nisi quod ad Orientem æstivum paulum sese demittens, stationem tutam naviculis præbet. Incolas habet longe pauperrimos. Piscatores enim, qui ex Anglia, Hollandia, cæterisque

**propinquis Oceano regionibus, quæ piscatum in illa maria singulis annis præternavigant, omnia pro arbitrio rapiunt, & ferunt.**

[135]

NOVA  
ORCADUM  
DESCRIPTIO  
CHOROGRAPHICA.

Orcades uno generali nomine appellantur omnes hæ insulæ: qua de appellatione inter Scriptores vestustos & recentes fatis constat: rationem autem nominis, nemo (quod adhuc scitur) liquido explicavit. Sive à Graeco verbo ἡργω<sup>118</sup> includo, quod inter se quasi includantur, disclusæ à reliquis universi Orbis Terrarum partibus: sive ab Orca, id est, ollæ genere, cuius similitudinem, omnes junctim spectatæ, referre videantur: proin, quia nil certi hac de re affirmatur, vel ab ipsis harum insularum incolis, vel ab extraneis, qui de iis aliquid scripsere, in incerto quoque id relinquendum esse videtur.

De numero Orcadum insularum, licet inter vetustos Scriptores, Plinium nempe, cui sunt quadraginta, Paulum Orosium (qui proxime ad verum hac de re accessisse perhibetur) triginta tres numerantem, & alias constituentes fere triginta, non fatis conveniat; tamen hodie multis, qui omnes has insulas peragrarunt, & suis oculis perlustrarunt, ut recentioribus, ita multo certioribus, & numerus, & ipsa nomina omnium harum insularum sunt compertissima. In universum sunt viginti septem insulæ, cum Continente, quæ vigesimam octavam efficit.

Universa vero terra Orcadum dividitur in tres partes ratione nominum, in maximas nempe, minores, & minimas, Maximæ partes dicuntur insulæ, quæ incoluntur & coluntur. Minores partes appellantur Holmæ, gentili vocabulo, id est, planities herbidæ aquis assitæ, pleræque spatiis adeo angustis, ut vix colonum unum aut alterum, si colerentur, alerent: & quia gramina tantum producunt, ideo desertæ sunt & pecori pascendo relictae. Minimæ partes vocantur Scopuli, (vulgari apud Incolas Orcadum nomine Skerries,) in quibus nihil vel graminis enascitur, uno Scopulo excepto, nempe Pentland-Skerrie (ita enim dicitur) qui Holmæ potius quam Scopuli nomine est dignus: Holmam enim quamlibet fere magnitudine adæquat, & graminis pecoribus pascendis (è quibus multum emolumenti ad Dominum de Halcro, ejusdem possessorem, redundant quotannis,) est feracissimus. Ratio vero, quod hi scopuli nil herbarum proferant, est, quoniam aestus maris quum ad summum incrementum pervenerit, aut aqua marina prorsus cooperiuntur, aut fluctibus, quandoque vento, quandoque aestu, aliquando utroque excitatis & incitatis in universum, ita consperguntur, ut gramen, (si quid in eis provenerit) salsedine aquæ marinæ aut intereat, aut bestiis alendis, inutile reddatur.

Orcadum insulæ rufus in duas quasi classes, ratione situs distribuuntur: in Australes nempe insulas, & Septentrionales.

Australes insulæ sunt duodecim numero, scilicet Suna, Suda, Ranalsa australis, Valis, Hoïa, Graemska, Cava, Fara australis, Rysa, Flotta, Burra, Coupinsa.

Inter insulas Australes & Septentrionales sita est Continens.

Boreales insulæ numero sunt quindecim, nempe Damsa, Shapinsa, Gersa, Vera, Eglisa, Rausa, Wastra, Papa Wastra, Fara Septentrionalis, Eda, Alhallow, Stronsa, Papa Stronsa, Sanda, Ranalsa septentrionalis.

Prima australium insularum est Suna, decem fere milliaria à Cathanesiâ Scotiæ provincia boreali maxime distans, & tribus à Ranalsa australi: exigua quidem, ut quæ unum aut alterum colonum ferat, cum suis domesticis, & paucis aliis servis in parvis domunculis habitantibus, in altas rupes Orientem versus assurgens, humilior vero versus Occidentem, hordei & avenæ in quibusdam

---

<sup>118</sup> i.e. εἱργω

partibus ferax, & capturæ variorum piscium, ex quorum intestinis & jecoribus præcipue (ut & in omnibus aliis Orcadum insulis) conficitur oleum, quod noctu candelarum vice aduritur, satis commoda. In eâ sunt Latomiæ, unde optimæ scandulæ ædificiis cooperiendis appositissimæ eruuntur.

Ad Orientalem partem hujus Insulæ, æstu ab Oceano Deucaledonio, seu Occidentali, fluente, aqua marina horrendum in modum circumgyratur, adeo ut si grandior navis in gurgites hos Sunenses, (*Scotice the welles of Suna*) aliquando incidat, trochi à puer flagellis agitati ad instar, circumagit. Cathanesiæ [136] vero & Orcadum incolæ, talium periculorum gnari, eis obviam eunt, dolium aliquod vetus vacuum, aut fasciculum straminum colligatum, in gurgitum horum fauces quasi injiciendo, quibus immissis, & absorptis, fauces hæ hiantes occluduntur, aqua complanatur, navesque aut scaphæ cum vectoribus has difficultates exsuperant, salvæque evadunt: injecta autem, quæ fuerant, tractu longo, milliare unum, aliquando ultra, subter fluctus feruntur, rursusque quasi vomitu è maris profunditate ejecta in freti hujus superficie apparent. Ad Verbi vero Divini prædicationem audiendam, & Sacramentorum beneficium consequendum, Sunæ hujus incolæ, commode quum possunt, sereno cælo, in Ranalsam australem se conferunt.

Sita est Suna in mari sæviore quovis mari etiam sævissimo, in freto nempe Pictico, de cuius freti natura, quædam peropportune dicenda videntur, priusquam transeamus ad reliquarum Orcadensium insularum considerationam.

Ratio, ob quam hoc fretum dicatur Picticum, non satis constat. Verum si fides habenda traditioni, quæ in quibusdam vera est, quæque obtinet apud ipsos Orcadum incolas, quamque à majoribus suis se habere asseverant, huic freto τ\_ Picticum ognomentum est additum à Pictis populis in Scotiâ aliquando degentibus: qui, post sævum & diuturnum bellum cum Scottis in ipsa Scotia gestum, tandem variis præliis à Scottis debellati, & ad sinum Duncani (vulgo Duncansby à Cathanesiensibus & Orcadensis vocatur) vi compulsi, cymbis per fretum hoc quod inter Cathanesiam & Orcades fluit, salutis ergo, trajicere conabantur, quos Orcadenses conspicati, unum, ad hostem Pictum arcendum, congregati, tanta animositate Pictis occurrerunt, cumque eis conflixerunt, ut coacti fuerint Picti, à cæde vivi qui evaserant, retro cymbas suas, Cathanesiam versus, remis aut velis agere, ignarique quum effent æstuum contrariorum, ac proinde sævissimorum ac periculosissimorum, naviculæ à fluctibus in altum assurgentibus, obversæ & absorptæ, Pictique omnes ad unum interiere, à quo infortunio, postea hoc fretum dicitur, & perpetuo dicetur fretum Picticum, vulgo *Pentland Firth*.

Fretum hoc, ut & multa alia freta Orcadum insulas quasdam intersecantia, non solum ventorum violentia, & poli artici reliquarumque stellarum polo vicinarum (quibus subjacent prope hæ Insulæ) positu sævum et & tempestuosum, sed præcipue æstibus repugnantibus ex Oceano occidentali provenientibus: fluit enim æstus in freto hoc Pictico, ut & in aliis etiam Orcadum fretis, fere ab æstivo Occidentali in hibernum Orientem, deque hiberno orienti in æstivum occiduum reciprocatur. Tanta vero æstuum contrarietas in hoc freto, sicut & per reliquas Orcadum insulas, procedit non tantum ab Oceano Deucaledonio occiduo, nec ab Oceano Germanico orientali, talis enim affera quædam licet sit contrarietas æstuum in neutro hoc mari cernitur, verum proprie magis causatur ab angustiis terrarum, Cathanesiæ scilicet ab una parte, & Orcadum ab altera, inter quas vastum mare Deucaledonium ab occasu, & Germanicum magnum ab Oriente, intercurrens, & coarctatum, allidensque terræ scopulis, undique quasi mœnibus adamantinis circumvallatae & roboretæ, divina sapientia sic prospiciente (arena enim si super hæ insulæ fundatae fuissent, ante multa sæcula, ne vestigium quidem ullius insulæ, ut videtur, apparuisset) illico repercutitur, inque fretum ipsum se recipere cogitur.

Angulus quoque uniuscujusque rupis (id est, sicut Orcadenses Scotice loquentes efferunt, *Everie craige lugge maks a new tyd*) seu pars prominens, novum æstum facit: unde exoritur tanta contrarietas æstuum, ut, velut agmine facto militum, in pugnam hostilissimo animo ruentium, inter fluctus æstuum, sibi invicem occurentes, fiat prælium. Immo, nulla vel aura venti de cælo spirante, tanta & tam horribilis visu & auditu, exsurgit inter undas conflictatio, ut, gigantæum in morem, in cælum ipsum, magno concomitante fumi vapore, ascendere velle videantur, totumque fretum in

spumam fere albam convertere. Æolo autem (cui cum Neptuno internecina perpetuo odia & bella intercedunt) valentius flante, est dictu ferme impossible, quam vehemens & terribilis sit hæc fluctuum in æstibus repugnantibus digladiatio: qua durante, nulla vi remorum, aut velorum, vento licet secundissimo & vehementissimo, turgentium, freti vortices ex adverso recurrentes, & in se contorti, superari possunt.

Horum periculorum gnari proprius non accedunt; inscii vero, qui proprius accedere audent, aut impetu violento fluctuum rursus in mare rapiuntur, aut fluctuantis æquoris rapiditate abrupti, in rupes & scopulos compelluntur, aut in se convolutis aquarum cumulis, in montium altorum pene magnitudinem sese attollentibus, absorbentur: infelix enim naufragium multorum, & ipsæ phocæ, piscesque omnigeni scopolis allisi & occisi, violentam rapiditatem hujus freti & fretorum aliorum in Orcadibus, Stronsæ, Wastræ & Ranalsæ Septentrionalis imprimis, huic freto natura simillimorum, dum vento concitatur, luculenter satis testantur.

Duabus autem tempestatibus, freti hujus, [137] dum furit, intractabilis, difficultates sunt superabiles, tutoque de Cathanesiæ ad Orcadas, & retro transire licet, seseque velut mitem & blandientem Dominam navigantibus præbet: aut quum æstuum relapsu, undarum conflictu cessante, mare tranquillatur, aut ubi pleno alveo æquor ad summum incrementi pervenit, languescente vi illa, quæ undas concitabat, velut receptui canente Oceano, procellis & vorticosis pelagi commoti molibus, se velut in sua castra, militum pugnando fatigatorum in morem, recipientibus; id est hora integra cum dimidiata ante plenum mare, tantoque spatio, priusquam, reciprocatione maris tota peracta, fluere incipiat: tum enim tam mirum in modum sedatur & complanatur hoc fretum, ut & alia huic similia, ut à sinu Duncani, ad Ranalsam australem, duodecim milliaria à se invicem quæ distant, freto hoc Pictico interjecto, totum hoc spatium, duabus horis, æstu secundo, cessantibus etiam ventis, naviculæ conficiant, tanta hujus freti est violentia, ob contrarios æstus, qui, à freti hujus nautis peritissimis, & quotidie fere vectores de Orcadibus in Cathanesiam , & retro transfretantibus, duodecim numerantur.

Patet vero in longum hoc fretum prope viginta quatuor milliaria, à sinu Duncani ab Oriente; ad extremam partem insulæ Hoiæ ad occasum: latum autem est alicubi duodecim; alicubi sedecim millia passuum: & propter æstuum suorum rapiditatem & diversitatem fretum hoc Picticum illud singulare habet, ut mortales attonitos reddat famæ novitate, & nomine tantum auditio. Atque de hoc æstuario hæc dicta sufficient.

In freto hoc præter Sunam, est & alia insula Stroma, duobus a Cathanesia milliaribus distans, non infæcunda pro magnitudine: sed hanc ob vicinitatem suam terræ Britanniæ, & quod Cathanesiæ Comites eam semper tenuerint, inter Orcadas non numeratur: etiamsi olim inter Comites Orcadum & Cathanesiæ de hæreditario illius jure & possessione, lis orta fuerit, ad arbitros autem quæstionis decisione delata. Nasutiores qui erant, controversiam hac ratione dirimerunt: venenata animalia, serpentes, seu angues, qualia Orcades nec producunt, nec aliunde illata, sine præsentanea morte, ferunt, Stroma autem Cathanesiæ terræ similis, quia talia & progigneret, & procreata ibidem sine damno hujusmodi animantibus toleraret, partium utrinque dissidentium consensu, Stroma abjudicata Orcadum Comitibus, Cathanesiæ Comitibus, ut jure hæreditario semper in posterum, teneretur, cessit.

Ab Stroma hibernum Orientem versus ad octo milliaria, situs est scopulus ille, Pentland-skerrie dictus, de quo prius verba fecimus; & infra non multo projecti sunt scopuli τ\_ Skerries vere dicti, quod nihil graminis in eis proveniat, locumque solum, vel vitulis marinis, ut ibi se apricent ad solem, sereno aëre, & fætus suos in lucem emittant, vel avibus, ovis suis ponendis & excludendis, præbeant. vulgari nomine hæ rupes, *The boers of Duncansbey* à vicinis vocantur. Ejusdem ingenii sunt & rupes, supra Stromam ad æstivum occidentem positæ, quæ vulgato nomine Scotico, *the Men of May* vocantur, id est, Homines Castelli Maii ad spectatissimum virum Dominum de May, Cathanesii Comitis fratrem spectantis.

A Suna tribus milliaribus prope ad septentriones navigantibus occurrit proxima Suda, quæ quia nec incolitur nec colitur, sed pecori tantum alendo deserta relinquitur, Holmæ potius, quam Insulæ nomine stricte sumpto, digna est, propter suam parvitatem.

Hinc ad hibernum æstivum ultra quatuor mille passus, jacet Ranalsa australis, & ipsa ultra sex millaria longa, & quinque lata, inque multa & prærupta promontoria excurrit, habetque portus binos egregios, alterum *Wydwa* dictum, alterum à Divâ Margaritâ cognominatum, utrumque commodissimum, & ab omni ventorum & æstuum feritate navibus stationem tutussimam præbentem. In hac insula duæ sunt Parochiæ & binæ ædes sacræ, septentrionale scilicet templum exiguum, & Australe satis amplum ad latus freti Pictici situm, Frugum, id est Avenæ, hordei, pisorum, fabarum hominibus, fæni & graminum pecoribus sustentandis satis ferax: plurimis in locis subhumida, ericetis abundat, in quibus gregalia animalia, quorum satis magnus ibi proventus, libere vagantur. Oves vero in locum angustum, ac velut caulas, quotannis coactas, incolæ manibus suis vellendo lanam, nudant, non forficibus tondent, easque, quando in cibum apparare est animus (quoniam tanquam feræ in montibus & ercetis incustoditæ, nisi in locis frugibus vicinis, discurrunt) emissis canibus quasi venando sectantur & apprehendunt. Qui mos etiam per omnes Orcadum insulas & Holmas, in tali negotio obtinet: raro aut nunquam oves, sæpe vero vaccas mulgere omnibus in usu est. Hac in Insula est Domicilium, pro loci ratione satis illustre, Halcro dictum, ejusque Dominus Halcro quoque nuncupatur, non de domo, sed à primus domus fundatoribus Halciris, à Norvegis, ut perhibetur, oriundis. Hic Incolæ, præ reliquis omnibus Orcadum Indigenis, habitu sunt, & etiamnum hodie æstimantur, fortissimi & audacissimi, quippe qui sævissimo apud se mari soleant, absque omni metu, piscium capiendorum gratia, asperrima etiam hyeme, se committere, quod multoties ipsis noxium [138] & perniciosum, experientia docente, exitit: Scotosque Cathanesienses, quibuscum continuum habent commercium, moribus & lingua hibernica maxime referunt.

Ab hac Insula ad septentrionem est Burra Insula, à Ranalsa australi, exiguo freto, (cui *Water sound*, seu Lippa nomen) divisa: tria millia passuum longa, unum lata, qua insulam Coupinsam ad orientem intuetur. Hæc Burra, pro sua magnitudine, nulli pene Orcadum insulæ, multis nominibus cedit; fruges, avenam, hordeum, pisa, oves, boves, & equos felicissime producit. Occidentem solem versus, ubi altior paulo assurgit, ericeto constat, in quo terra superne nigra, & velut superior crusta in cespites longos & glebas grandiores consissa, & ad Solem desiccata, in usum ignis colligitur, lignorumque in modum semel accensa, diu ardet, paulumque aut verius nihil cineris, sed tenuissimi & candidissimi relinquit.

Celeberrimum hic est Domicilium, magnatum potentium palatiis facile comparandum, tum ob structuræ magnificentiam ex lapidibus grandioribus, maxime vero friabilibus, præstantissimis (quorum omnium immensa est in hac ipsa insula copia) tum ob rerum omnium necessiarum in usus humanos, queis instructum est, copiam: fundatum & absolutum arte, studio, & impensis maximis illustrissimi Viri Domini Gulielmi Stuarti Domini de Majus, hospitalitatis, liberalitatis & omnigenæ humanitatis nomine incomparabilis: in campo plano, & sæuentibus etiam imbris hyemalibus sicco: hinc qua Continentem spectat, adornatum cavernis Cunicolorum, quorum infinitus illic proventus fere est, qui vel retibus tensis, extra foveas suas, bibendi quum gratia exeunt, capiuntur; vel à Viverris, in lustra ipsa immissis, prodire coguntur, atque ita à canibus, ipsorum eruptionem è latibus præstolantibus, occiduntur: inde vero sacellum habet exiguum, sed elegantissimum, ejusdem quoque Domini sumptibus studiose restauratum, cuius in medio, de trabe alta, viri cujusdam ex Groenlandia oriundi, cymba mirabilis visu, pendet. Hujus autem ecclesiae Ranalsæ australis minister curam gerit. Frequenter satis ipsa Burra habitatur. Inter Burram & Continentum, fretum est mille passus quidem latum, sed pro magnitudine sua, præsertim si vento infestetur, procellosum, & æstu rapidum, vulgo Hamsound, à parochia Ham Continentis parte, quam præterfluit, appellatur. In hoc freto jacent tres Holmæ, non longe à se invicem dissitæ, nempe Lamholme, in qua colonus, quod sit frugum & graminis ferax, vivit. Glumpsholme, herbida, & Hunda erica obducta; bestiis pascendis utraque idonea.

A Burra vero, occidentem æstivum versus, circitur duo millaria jacet Flotta insula, paulo plus quinque millibus passuum longa, & tribus cum dimidiato lata, altis rupibus alicubi, humilioribus vero alicubi præcincta: varia habet promontoria, & Holmam sibi vicinam, *Calf of Flotta*, vitulam quasi dicas Flottæ, dictam, ejusdemque cum Flotta matre ingenii. In Flotta domus

quoque est, (*the Bolb of Flotta*, id est domicilium Flottæ, communiter vocatur) una cum æde sacra. Parum habet terræ frugiferæ, ac proinde non numerosas incolas; ericetis vero, avibusque ericariis esui optimis abundantior est, & piscium variorum, præcipue silurorum minimorum, majorum & maximorum (vulgo *Sellaks*, *Kuythes*, *Colmouses*) captura felix: ad prædictum Dominum de Majus pertinet.

Hinc circiter mille passus, ad Occasum, est Fara Australis, bis mille passus longa, mille vix lata; quæ quoniam, natura & commoditatis nomine, Flottæ sit simillima, paucos alit agricolas.

Hinc ad Austrum interjecto mari, tribus fere millibus passuum, Walis insula (vulgo Wae) est sita, quatuor milliaribus cum dimidio longa, & tribus plus aliquanto, alicubi lata. Cujus meridionalem oram, Picticum fretum, quasi rabidus canis admordet, cujus fluctibus seu totidem dentibus, rupes altissimæ & durissimæ, huic insulæ prætentæ, fortiter obnitentes, morsum redundunt: frugum, pascuorum, piscium, avium marinarum & terrestrium, & mannorum satis bono proventu, ex, & in se ipsa, gaudet. Plurima sunt in eâ ædificia, & plurimi animosi Incolæ, imprimis, Domicilium, quod Snelseter, ad meridiem; & quod Melseter, ad occasum, dicitur. Naustathmum etiam habet non procul à Snelseter, satis commodum. Hic quoque templum est rei divinæ peragendæ idoneum, cui, ut & isti in Flotta, unus tantum minister deservit; quo & Faræ Australis Incolæ rerum sacrarum participandarum ergo confluunt.

Vltra Walim ad occasum recta est insula Hoïa, (vulgo Hoy) quam cum Wali, alii duas, alii unam insulam vocant: quod maxime circa æquinoctia, id est, undecimo Martii & Septembbris, stilo veteri, (quo tempore maria violentissime incitantur, & fervent) æstu recedente, nudantibus se arenis, angustis faucibus cohærent, unamque insulam faciunt: nam tunc siccis pedibus de Wali in Hoïam viatores itinerantur: reduente æstu rursus, interjecto mari, duarum insularum speciem vere præbent. Hoïa octo millia in longum porrigitur, quinque in latum patet. Cunctorum commodorum nomine, facile cum Wali certare potest. In hac insula, omnium quas Orcades habent, convales sunt duæ profundissimæ, summumque [139] spectantibus, & iter per eas facientibus, viarum ignari, si sint, terrorem incipientes: spirituum namque malignorum habitacula esse potius, quam mortalium videri possunt: in his quippe quis positus, præter exiguum cæli partem supra, & montes utrinque præaltos, præruptos, & coarctatos, nil videbit. His in liocis, errantibus de hominibus vere dici potest: Væ soli. Montes hic altitudine omnes alias Orcadum montes longe exsuperant. Ex his quidam musco & gramine aut erica cooperiuntur; in quibus oves incustoditæ, palantes & feræ adeo vagantur, ut nunquam pene, nec canibus, nec ulla arte capiantur, sed solo senio solutæ, & aut à canibus, aut corvis, exesæ defiderentur. Prope pagum rusticum in hac Insula, Rackwick vulgo dictum, est altissimum & præruptissimum Promontorium, æstivum fere occasum spectans, in cuius cavernis, nidos facit, ova ponit & excludit Avis quædam præcellentissima, Lira (vulgo *the Lyer*) dicta, Anate paulo minor, & pluviali major: pinguis ad eo,<sup>119</sup> ut tota ex arvina constare videatur, quam cum intestinis veru impositam torrent, gratius ut sapiat: saporem enim pisculentum redolet, eamque aceto & zinzibere irroratum comedunt. Magnis in deliciis est Orcadensibus ipsis, ac proinde diligentissime, licet periculosissime, ut apprehendatur, exquiritur. Modus capiendi hic est: paulo post Calendas Augusti, quo tempore hæc avis esui est maxime, majoris animi, & audaciæ ad subeunda pericula pronioris, & hac in re, ab ipsis fere cunis institutus vir, curat funem prægrandem, nodis gradatim distinctum, ultra ducentas orgyas longum, circa corpus sub axis firmiter colligari: ita vero effigiatur funis, ut hominis clunibus vicem sellæ, pedibus vero suppedaneum præbeat. Hinc à quibusdam hominibus in apice promontorii consistentibus, sensim dimittitur, ne funis attritu angulorum acutorum & prominentium in scopulis, correptus, incidatur, virque decidens (quod & ante aliquot annos, præcipiti funis dimissione, hic obtigit) priusquam ad mare mergendus perveniret, in mille partes discerpatur: saccumque magnum & usui destinatum simulac implerit, quod brevi spatio fit, per nodos funis, seu per scalæ gradus, ad fastigium rupis,

<sup>119</sup> i.e. adeo

retro adscendit: neque ullibi terrarum nisi in solo hoc Hoïæ promontorio nidulatur hæc Avis. In hac quoque insula est lepus, in nulla Orcadum parte alia conspicuus, crinibus candorem nivalem referentibus, coopertus. Non longe à promontorio Lirarum, (*Roraheid vulgo nuncupatum,*) hibernum occasum versus, natura ipsa fine ulla arte, propugnaculum seu fortalitium magnificentissimum & inexpugnabile, (vernaculo Indigenarum nomine Brabrugha dictum,) sibi effinxit. In declivitate quadam inter duos montes, in hac insula, jacet lapis, pumilionum lapis (vulgo *the Dwarfie steene*) appellatus, duodecim pedes longus, sex vero latus, ad quem intuendum plurimi confluunt, inque eo loca lectorum speciem præbentia conspiciuntur, in quibus mas & femella, læsæ famæ si sint, & soli, liberis procreandis operam dare vulgo dicuntur. In ipso cacumine unius è tribus montibus hîc contiguis, fons est ex ipso corde seu fundamento montis ortus, miræ claritatis, raræ dulcedinis, siti sedandæ convenientissimus, & stupendæ adeo levitatis, ut si quis potando integrum dolium de illius aqua in stomachum trajicere posset, nullatenus se graviorem inde effectum sentiret. Montes hic sublimitate sua miranda, (hac si transeat,) in Americam aut retro navigantibus, & à terra longissime adhuc distantibus, cursum quo dirigant recta, Phari quasi præstantissimi spiciem & vicem præbent. Circa solstitium æstivale, consistentibus in apice horum montium hominibus (spectandæ cujus rei gratia, tunc temporis, catervatim undique plurimi mortales concurrunt,) ipsissimum corpus Solis, obscurius tamen paulo, quasi nebula obductum, à media nempe hora undecima noctis, ad medianam primam diei subsequuturæ, supra horizontem, conspicitur: resumptoque<sup>120</sup> statim clarissima sua luce, radios suos fulgentissimos, per totum hoc nostrum Hemisphærium diffundit. Montium horum trium vases<sup>121</sup> latæ sunt, sed rotundi,<sup>122</sup> & in conum adscendendo, ipsi montes, desinunt, brevi tantum erica connecti. De vertice horum montium tanta violentia & fragore, nonnunquam ventorum turbines præcipites ruunt, ut ipsa maria ac terras, cælumque profundum ferme ferant rapidi secum, verrantque per auras, domos infirmiores proturbent, cumulos frugum integros & bene colligatos, è sedibus suis erutos, in mare vicinum conjiciant. Ob quod prudentiores naucleri inter Hoïam & Continentem navigantes, vela sua confestim contrahunt, seque suaque periculo subducunt.

Ad oram borealem, qua Hoïa Pomonam spectat, plurima sunt ædificia rustica, templum non inelegans, & amena commoratio Domini de Halcro, de quo supra. In hac Hoïa conspiciuntur varii lacus, duo imprimis, satis grandes, pisciumque, maxime troctarum, feraces: nec Hoïa ullo, quo Walis affluit, commodo privatur. Inter Hoïam ad septentrionem & Pomonam interfluit fretum duo millaria latum, fretoque ipso Pictico, cui simillimum est natura, pene sævius, in quo naves & lembi sæpe naufragio pereunt, adverso quando æstu, & periculosis ventis de montibus Hoïæ valentius spirantibus, ab Oceano [140] occidentali, Carstanum portum tutissimum, salutis ergo, inter fauces hiujus freti impelluntur. Moris est quibusdam nautis, in has angustias conjectis, quo fluctus pugnantes inter se, & inter confligendum in cælum quasi ipsum adscendentes, aliquo modo tranquillentur, olei nonnihil in frontem undarum conjicere, unde statim consequitur quædam motarum undarum sedatio, navisque prima, divina gratia, salva difficultatem exsuperat: sed, eheu, ab hoc oleo illico post, multo sævius redditur mare, naves alias priorem pone sequentes, sine ulla commiseratione, hianti quasi ore deglutit.

In hoc freto jacent quædam insulæ; primaria est Graemsæ medio fere cursu inter Hoïam & Pomonam, duo prope millaria longa, & ultra dimidiatarum milliare alicubi lata, humilis, scopolis undique præcincta, frugum, graminis, fœni, cuniculorum fertilis, ut & piscibus hamo ducendis non incommoda. Glebis ex ericeto Clestran, (in Pomona quod est non longe à Graemsæ) & ex Hoïa allatis, Graemsæ incolæ utuntur. Adornata est hæc Insula Domicilio, non adeo quidem magno, sed

<sup>120</sup> i.e. resumptaque

<sup>121</sup> i.e. bases

<sup>122</sup> i.e. rotundæ

venustissimo, & communi omnium cum Orcadensium ipsorum tum Peregrinorum eo advenientium, receptaculo. Hujus, ut & templi, in Hoëa quod est, curam obit unus tantum pastor. Hinc ad Orientem paululum est Holma to\_ Carstan, satis ampla & herbida, & ex adverso inde ad boream jacet portus celeberrimus, amplissimus & navibus, undicunque & quomodoque spiret ventus, tutissimus, varia prope portum ædificia, & tabernariæ domus, ubi navicularioribus & extraneis eo venientibus, omnia esui & potui necessaria, modico sumptu, optime suppeditantur.

Infra Holman Carstanam, ad orientem, non procul, jacet Cava insula modica, erica fere tota obiecta, sed piscationi commoda, avibusque marinis multifariis, una vero præcipue (quam Indigenæ vulgo τ\_ Tyst appellant) eâque præpingui & parva, frequentata.

A Cava circiter duo milliaria, meridiem versus, prope promontorium Hoïæ, (vulgo Cruiknes dictum) sita est Rysa insula, exigua illa quidem sed frugifera & herbida, nec variis, prout patria fert, suis commodis vacua. De Coupinsa paulo post loco commodiore dicemus.

Atque hæc de Orcadum insulis australibus dicta sint. Inter Australes & boreales Orcadum insulas, jacet omnium insularum Orcadensium maxima, longitudine & latitudine. Latine Continens, ab incolis Orcadum (*the Mainland*) & nomine multis doctis, sed non Indigenis Orcadum cognito, Pomona vocatur. Nominis ratio non proditur, nisi quis putet κατ' \_vti\_ρασιν, à pomis, quæ nulla in ea crescunt, sic vocatam. Patet in longum viginti quator millia passum, in latum alicubi novem, alicubi sex milliaria.

Tota hæc Continens seu Pomona excurrit in varia promontoria, (promontorium autem Scoticè Nes vocatur.) Vna pars Pomonæ ab illo Cervorum genere Platycerotes qui appellantur, nomen habet, Deernes (idque promontorium Platycerotum) fama enim adhuc apud Orcadenses est, totum illud spatium, quod nunc Deersound (vulgo Dirtsound) vocatur, usque ad Tankernes, aliud nempe promontorium occidentem versus, è regione, majore nunc interjecto, non procul situm, terram fuisse herbidam & silvosam, in qua Platyceros olim & natus & vixit. Quam vere dicatur hoc, ipsi viderint assertores. Platycerotes vero fuisse olim (jam enim nullus illic est) in Orcadibus, ex eorem cornibus, ex visceribus terræ effossis, est extra dubium. Deernes peninsula est: non procul enim à domicilio Domini de Campston locus est arenosus, sed angustus, isthmus verus & nativus, inter mare ad occidentem æstivum, & mare in septentriones spectans: quo isthmo effosso (quod facile industria humana fieri posset) Deernes, à Pomona, cui adhæret, dirimiretur, & in Insulam per se unam, eamque elegantissimam (ut est pars Pomonæ peramœna) converteretur. In Deernes est promontorium præarduum, quod Orcadum incolæ *the Moule* (sic enim efferunt, non *the Mule*) of Deernes, quasi rostrum vel rictum to\_ Deernes, nuncupant. Præterlabitur promontorium hoc æstus violentissime, ex mari ab oriente æstivo incitatus, verum hyemali tempestate validius, si spiret ventus, à prædicta plaga, ô bone Deus, quales, quantique undarum moles inter se confligunt, inque altum, supraque longe promontorium ipsum elevantur, adeoque,

— *Mare nunc spumis cendentibus astra lacesit,*

*Et nunc tartareis subfidit in ima barathris:*

Eudemque in morem naves aut scaphæ in hunc æstum illapsæ, pro arbitrio fluctuum exagitantur,

*Callida nec cani juvat ars aut cura Magistri,*

in tali angustia: sed deus miserator providit Naustathmum vicinum, innumeris navibus capiendis & salvandis, commodissimum, Deersound (id est, Platycerotum sinum) nuncupatum.

Hic etiam ultra mille, ab isthmo, est illustre habitaculum (vulgo *the New work of Deernes*, id est, nova fabrica Deernensis) Illustris Comitis Carrictæ, in vivis dum esset, commorandi locus unus. Indeque Orientem hibernum versus non procul jacet

Coupinsa insula modica, qua Orientalem Ocenaum Germanicum intuetur, rupibus ardua; qua vero Insulæ Burræ (unde fere duo [141] milliaria cum dimidiato ad occasum distat) obvertitur, plana est, frugibus, gramine, piscium capture, sed non ericeto, nec glebis felix. Navigantibus ab Euro, vel ab Austro ad Orcadas, velut Pharum, ad quam recta cursum dirigant, sese exhibet, variis frequentatur avibus, Holmamque sibi prope adjacentem, ad Boream vero, è mari prominentem, & à Coupinsa aquis disjunctum, excelsum scopulum herbidum, (vulgo, *the Horse of Coupinsa*) id est,

equum Coupinsæ dictum, habet.

In tractu hoc Deernensi frequentia sunt æfidicia, inter quæ, unum Brabister dictum, eminet; & è regione sinus Deernensis ad occasum est alterum, Seba appellatum. In Parochia, quæ vulgo Ham dicitur, non longe à Lamholme, (de quo supra) ad septentrionem in Pomona est insigne quoque ædificium, magna ex parte ex lapide friabili constructum, cum templo rustico, satis frequentato, cui uni unus minister præest. Apud Tankernes quoque est & altera domus, satis ampla, & templum à Divo Andrea cognominatum, cui, & templo, quod in Deernes est, unicus inservit minister: Hinc, usque ad unicum in Orcadibus quod est oppidum, ante & utrinque varia sparguntur ædificia rusticana, variis commodis, pro more patriæ, bene instructa.

Oppidum Dani, quorum in Ditione Orcades diu fuerunt, Cracoviacam appellabant; nunc nomine corrupto, *Kircwa* Scotis, & incolis aliquando *Kirckwall*; sed sæpius, ut Scotis *Kircwa*; dicitur, ad quadringentos mille passus & ultra in longitudinem patens, & una platea contentum. Frequentia satis habet ædificia, quædam humilia, quædam vero sublimius assurgentia, & fortiter ex lapidibus natura quadratis, & in laminas sponte sese diffidentibus (quomodo & omnibus aliis Orcadum insulis se res habet) ex lateribus quasi, qualibus Hollandis est in usu, exstructa.

*Kircwæ* Castellum Regium erat aliquando fortissimum, omnibus ad obsidionem propulsandam, ad oppidanorum bona eo immissa conservanda, necessariis rebus, præcipue tormentis bellicis, longe undeque glandes ferreas ejaculantibus, adornatum: in ipsis visceribus murorum, (adeo erant crassi) cubicula plurima venusta, inædificata fuerunt. Hodie vero altera ejus pars (altera autem demolita est) Regiæ iræ monumentum & demonstratio mortalium oculis objicitur. Non longe ab hoc Castello sunt ædes pulcherrimæ, impensis Roberti Rhedi, Orcadum, tempore Mariæ Scotorum Reginæ, Episcopi: prope quas videre est ædificium magnificentissimum, magno molimine, multisque sumptibus exstructum, sed propter Authoris illius, potentis Comitis Orcadum, Patricii Stuarti, Regio sanguine oriundi, præproperam mortem, ad propositum finem non perductum. His ædibus adjacent horti tres amoenissimi, & in uno ex his, arbores quædam, sed fructum maturum nunquam producentes, neque præterquam hic, & in Hoiâ, (ubi non tam arbores quam arbuscula crescunt) in omnibus Orcadum insulis ulla arbor, aut frutex cernitur. Et ab his hortis etiam totus hic tractus, ædes Comitis & Episcopi olim, nunc vero Ministri, continens, vulgari Orcadensium, nomine (*the place of the yeards.*) id est, locus hortorum, dicuntur.

Inter palatium autem & Regium castellum situm est templum à Divo Magno (qui primus ad has insulas Christi Euangelium attulisse perhibetur) cognominatum, &, ut in illis locis, satis magnificum, prælongum, sed angustum, ex lapidibus validissimis, & mira arte politis, exstructum, superius fornicatum, nisi in tribus columnis occasum versus, recentius exædificatis, ad intercipiendum (ut incolæ tradunt) conspectum Castelli ab intuitu Palatii (sive ædium Episcopi) ne alterum ab altero demoliretur, per internecina odia, quæ Regiis hominibus, cum Episcopalibus, intercedebant. In turre Templi tanta est viarum ambages; ut ignari, eo semel, nisi à loci gnaro, velut filo Ariadnæo, reducerentur, vix unquam egredierentur. Campanis, harmonice sonatibus, & undique à longe auditis, templum hoc exornatur: estque tantæ validitatis, ut centum Viri, necessariis instructi, (amoveantur si bellica instrumenta majora) contra mille, facile hoc templum propugnare possent: Cui unus tantum Concionator cum Anagnoste publico intendit. Hic *Kircwæ* Schola Latina publica, multæque vernaculae privatæ, juventuti instituendæ, vigent; & quotannis ad tertium post Calendas Augusti, nundinae Divi Olai (Norvegus qui fuit, & hîc apud Orcadas Euangelium prædicasse, dicitur) triduanæ celebrantur. Ab hoc templo, usque ad littus, (olim urbs Regia quæ dicebatur; ut pars oppidi, à templo meridiem versus, vocabatur Episcopalis; nunc hæ appellationes apud Incolas in desuetudinem abierte) variis optimis ædificiis cum sacello, capite truncō, ponte, & domo, Regiis vectigalibus accipiendis, frequens est *Kircwa*. Portus est, ad borealem oppidi plagam, amplus, & *Naustathmus*, ad quem ingressæ semel naves aut cymbæ, ad littoris oram (Æro illi vocant) tutissime, etiam asperrima hyeme, resident.

Ab oppido circiter bis mille passus, ad occasum, trans *Naustathmum Kircwæ* est mons

altissimus, *Wytself-Hill* nuncupatus vulgo, in cuius vertice posita est, magnæ<sup>123</sup> ericæ & cespitum strues, qua, igne accensa, si quid periculi immineat oppido, confestim omnibus insulis Orcadum (nam omnibus hujus montis fastigium [142] conspicuum est,) ut discrimini amoliendo adsint, significatio datur: inque omnibus cacuminibus altissimorum montium in aliis Orcadum insulis, strues talis, talem in usum, accendenda reponitur.

Ad radicem hujus montis occidentalem jacet in mari prima borealium Orcadum insularum Damsa , Pomonæ propinqua, mille passus longa, & angusta, frugifera, herbida & piscatu non infelix, nullum in hac, ut nec in Holma vicina, Damsa paulo minor, animal venenatum , gignitur, ne vel mus aut forex, & aliunde si importentur talia, statim aut moriuntur, aut in mare moribunda ruunt.

Pomona, qua in occidentem vergit à *Kircwa*, & utrinque multis in locis, in varios montes assurgit, & tamen frugifera est, cunctisque commoditatibus uberius pene, quam aliæ, in his oris insulæ, instructa. Parochias rusticas cum templis habet novem: Firtham, Stannes, (ubi Ballandinorum familiæ ædes sunt sitæ,) ad lacum quatuor milliaria longum, & spatiolum, nisi prope ostium, qua, per pontem ligneum, vulgo *Waith* nuncupatum, transitur; troctarum seu trutarum, minorum salmonum magnitudine instar, aliorumque piscium, feracem: ex quibus sale conditis, plurimisque dolis inditis, aut ut fumo indurentur suspensis de trabibus, magna pars hyemalis opsonii constat. *Orfram*; *Harram*, ubi terra plana est, frugifera, & æmona, & lingua Gothicæ maxime viget; *Stromnes*, in qua, non longe à promontorio, cui vulgare nomen, *the blak Craige*, id est, nigrum saxum, sunt ædes elegantissimæ, Grami, ultimi Orcadum episcopi, sumptibus exstructæ, *Brecnes* vulgo dictæ; *Sandwick*, ubi aliud quoque Domicilium cum sacello perelegans, ejusdem Præsulis impensis à fundamento erectum, prope lacum cygnis frequentatum. *Byrsam*, cum Baronia luculentissima, ad cujus maritimam oram occidentalem, prope peninsula Burgum *Byrsæ* appellatam, situm est venustissimum Palatium, quadrato opere Monasterii in formam, cum fonte in areæ medio, cum duabus porticibus prælongis, varie depictis, præter multa alia adspectu jucunda, affabre constructum. *Eviam*, *Rendelam*.

Totum occidentale littus Pomonæ plurimis promontoriis, & rupibus arduis præcinctum, mare apertum spectat, nullis in eo, nec insulis, nec scopolis apparentibus. In diversis Pomonæ locis, ut & in quibusdam aliis insulis Orcadum, Metalla sunt plumbi albi & nigri, tam probi, quam usquam in Britannia reperiantur.

Secunda borealis Orcadum insula est *Enhallow*, exigua, in angusto, sed longe sævissimo mari sita, ad latus Pomonæ, piscatu nobilis ob æstus utrinque præterfluentis rapiditatem.

Proxima Boream versus, interjecto angusto mari, est Rausa, octo millia longa, & sex lata, vastis promontoriis multis & excelsis mare despiciens, & in altissimos montes erica profunda & densa obductos, sese attollens; in littoribus ædificiis crebra, glebis, piscatu, cuniculis, avibus ericariis, & frugibus felix.

Hinc ad orientem, ultra mille passus est Vera (vulgo *Weyr*) insula, bina milliaria longa, & angusta, frugum quam glebarum fæcundior, cui defectui ex Rausi vicina succurritur.

Post Veram ad tria milliaria, orientem æstivum versus, jacet Gersa insula, cum holmis, sed una majore (vulgo *The Hen of Gersa*, id est, Gallina Gersæ vocata) in altissimum Pyramidalem montem ascensens, & iisdem cum Rausa commodis abundans.

A Gersa ad boream circuitur tria milliaria est Eglisa (vulgo *Egilsa*,) bis mille passus fere

---

<sup>123</sup> i.e. magna

longa, & mille lata, frugifera, sed glebis vacua; queisque utitur, ex Rausa scaphis, per mare æstu aspernum, exportantur. Hic templum est cum turre acuminatim adscendente præalta, ubi sanctum Magnum, tutelarem divum Orcadum, fama est, esse sepultum; & ædes non longe à templo, pervenustæ.

Ab Eglisa ad orientem, Siapinsa (vulgo *Shapinsa*) insula ex adverso Cracovicæ, unde ad tria milliaria distat, est sita, ipsa sex millia longa, & tria fere lata. Portum habet (*Elwick* cui nomen) satis commodum, & Holmam prope, *Elgerholm* dictam, largam & herbidam. Ipsa Sianpinsa ædificiis variis, sed imprimis Domicilio, vulgo *Sound* dicto, gaudet. ut & ericetis, in quibus optimæ glebæ, & aves ericariæ inveniuntur. Tota est fere plana & humilis, singularem habet Ministrum sibi affigatum.

Hinc ad occasum hibernum, circiter quinque milliaria, sævissimo & exultim sese attollente mari, jacet *Fara* Septentrionalis, tres fere mille passus longa, sed arcta, rara ædificiis, commodisque, pro mare Patriæ non infelix, Holmasque herbidas duas videre est inter eam &

*Wastram* (à qua ad tria milliaria distat) insulam, omnium Orcadum maxime occidentalem, unde & nomen sumpsit. Octo millia passuum longa, alicubi quinque, alicubi vero tria lata. Variis promontoriis, aliis altioribus, austrum & occasum versus, aliis autem humilioribus, præcincta. In truculentissimo mari posita, crebra rusticis ædibus, castello validissimo, (*Nautland* vulgo) ornata. Ericetis, cuniculariis optime refertis, Naustathmo, (*Fer-vo* qui dicitur) piscatione, frugibus, multisque aliis commodis, præcipue generosi animi viris, nulli Orcadum insulæ cedens.

Hinc ad boream, ad duo prope milliaria, est Insula *Papa Wastra*, & ipsa ter mille passus fere longa, mille & quingentos lata; portu satis commodo, inter insulam ipsam, & vicinam Holmam ornata: frequenter satis incolitur commodisque, qualibus ipsa Wastra major fruitur, [143] referta est. Vtrique unus Ecclesiastes inservit.

A *Papa Wastra*, ad septem ferme milliaria, orientem versus, jacet insula Eda, decem fere mille passus longa, alicubi quinque milliaria lata, alicubi multo angustior: tota pene ericetica terra, avibus ericariis refertissima constans, rara sunt propterea hic ædificia, propter soli frugiferi inopiam. Præcipua sunt duo, unum in orientali littore (*Green-stofts* dictum) alterum vero ad occasum, prope locum (*The Calfe of Eda*, id est vitulum quasi *Edæ*) nuncupatum, à Carrictæ Comite ante paucos annos magnifice exstructum, & duodecim salinis, partim in ipsa insula, partim in Vitulo *Edæ* positum, adornatum: in quibus optimus sal tenuior indies conficitur. Prope hoc ædificium est sinus maris, in quo portus commodissimus, inque promontorio altissimo portui vicino accipitres optimi nidulantes, & annis, hinc exportantur, ut & in multis aliis aliarum Orcadum insularum, promontoriis. Lapidibus, quibus super glacie luditur brumali tempore, præstantissimis *Eda* abundat.

Ab *Eda* ad orientem hibernum circiter quatuor milliaria, jacet *Stronsa*, sex prope millia longa, & plusquam tria lata, Scoticis & Hollandicis navicularibus, piscatum in *Schelandiam* proficiscentibus, propter optimi Naustathmi & portus commoditatem, notissima. Frugifera est valde, ac proinde frequentia habet ædificia, tria imprimis *Huyp Edæ* obversum, *Holland*, & *Housbey*, scopulum (*Ouskerrie* vulgo) piscatu felicissimum, & mille passus fere à *Stronsa* ipsa dissitum, spectantia. Nihil ericeti, ac proinde nil glebarum in tota *Stronsa*, nisi in una parte, qua Siapinsam (unde Austrum versus, ad decem milliaria distat, interjecto sævissimo freto,) intuetur. Rausim dicitur hæc pars *Stronsæ*. Peninsula est Rausin, frugifera & ericetosa terra, (unde glebæ evehuntur in usum totius reliquæ insulæ) multisque præcelsis promontoriis, undique vallata.

*Stronsæ* adjacet prope ad littus portui propinquia ad occasum insula, *Papa Stronsa* dicta, ultra mille passus longa, sed arcta, tota frugifera, sed non glebosa terra abundans. Ædificiis, aliisque commodis, satis pro quantitate, instructa. *Edæ*, *Stronsæ*, & *Papæ Stronsæ* unus Pastor ecclesiasticus, præest.

Papam *Stronsam* ultra ad occasum hibernum jacet *Sanda*, Orcadum omnium post Pomonam insula maxima, duodecim milliaria longa, à promontorio vulgo *Spurnes* ad humile Promontorium, *Lopnes* aut *Toftnes* vulgo; lata vero de *Hauchnes* ad orientem, & *Whytmailnes* ad occasum, fere octo, aliis in locis, maxime in medio, angusta: & versus boream adeo est humilis (ad

meridiem enim altior exsurgit) ut Nautis Insulæ ignaris, & adhuc in mari ab ea longe distantibus, prorsus non appareat, unde de nocte eo navigantibus sæpe obvenit naufragium; quod & Sandæ incolæ serio & sæpe exoptant accidere, ut confractis ex navibus suppetat ipsis materia ignis, nihil enim est ericeti vel glebosæ terræ in tota insula. Cibum autem & potem sibi apparant, vel stramine, vel pecudum fimo, vel prælongis caulibus, & foliis, quasi algæ marinæ (cujus magna copia est, ut hic, ita & in omnibus Orcadum insulis) æstivo tempore ad Solem desiccatis, ac quasi thesauro hunc in usum diligenter conservatis. Ditiore hic (quod & Ranalsæ Borealis ubi nil ericeti incolæ potentiores faciunt) ex Eda vastis in scaphis per mare horrendissimum, & longissimo intervallo, quandoque alias breviori, ad ædes suas, glebas apportandas curant. Cuniculariis plurimis opimis (unde maxima pars victus, post pisces, indigenis est) per totam insulam varie sparsis, refertissima est. Creberrima hic sunt ædificia, ovium, boum, frugum, fæni, graminis in terra, & piscium variorum ex mari, magna ubique hic copia. Solum quoque in asperrima hyeme siccissimum, & arenosum, unde & insulæ huic nomen datum. Duo sunt hic templæ, & bini Pastores, quorum alter ecclesiæ quoque Ranalsæ borealis insudat.

Hinc circiter tria millaria, ad occidentem hibernum, est Ranalsa septemtrionalis, tres mille passus & ultra longa, & magis quam mille passus lata, plana, humilis & sicca, templo Divi Olai (de quo prius) exornata, eorundem cum Sanda unde longe terribilissimo mari disjungitur, commodorum & incommodorum particeps.

Atque hæc de universis Orcadum insulis, dicta sufficient.

Æstivo tempore, ut & hyemali quandoque temperatissimus & saluberrimus Orcadibus est aër, qui ut sanitati, sic & longævitati Incolarum plurimum conducit.

Agri solum illic magna ex parte macilentum est, lapidibus sæpe aut grandioribus, aut minoribus immistum; nec profundam, saxo quasi uni solido innixum, proinde aratri dentale, breve quod est, alte in terram non dimittunt. Quatuor aliquando equis solis, quandoqueduobus, binis adjunctis bobus, aut binis vaccis, terram proscindunt, granaque exigua, quæ sunt, sulcis mandant. Lætamen, quo præter fimetum jumentorum, maxime foecundando agro, utuntur, est alga marina; magnis procellis, à scopulis, avulsa, & super littus projecta.

Frugum proventus est iis tantus, imprimis hordei, (avenam autem, quod tanta ejus illis non sit copia, domi conservant) ut id optime decussatum, purgatum, & Cumeris (Cassies vulgo vocant) id est saccis, ex straminibus affabre factis, immissum, ad exteras nationes venale transmittant.

[144] Ex gregalibus animantibus (capra autem nulla illic) boves, oves non infrequentes, unde multus eis lactis, casei & butyri (de quo, quod edunt ipsi, optimum est, quod vero pro tributo, regiis Publicanis, aut Heris suis pendent, purum ut sit, non magni curant) est usus. Porcorum quoque greges in graminibus, montibus & ericetis purius quam in Britannia, pascentium sunt plurimi. Aves marinæ & terrestres innumeræ. Piscium omnigenorum pene, ut & balænarum, phocarum, & suum marinorum magna est illic copia; pisces quoque testacei, ut sunt locustæ marinæ, ostrea, cancri, musculi, cochleæ, innumeri ibidem inveniuntur. Nullum ibi animal venenatum, ac ne deformè quidem adspicere, præter bufonem, appareat. Sunt & eis Equulei (*Shalties* vulgo vocant) specie quidem contemptibiles, sed ad omnes usus, supra quam credi potest, strenui.

Nulla ibi usquam arbor, (præterquam *Kircwæ*, & fructibus quidam in Hoia,) nisi erica, nec id tam cœli aut soli vitio, quam Incolentium negligentia: quod facile patet, ex arborum multis radicibus, quæ plurimis in locis ibi, ex terra eruuntur.

In convictu quotidiano multum è vetusta parsimonia adhuc vulgus, præsertim rustici, retinet: magna itaque ac perpetue fere & animi & corporis sanitate fruuntur, rari apud eos morbi, multi senio solo labefactati, moriuntur; plusque apud eos deliciarum ignorantia, ab egestate honesta proveniens, quam apud alias nationes, Medicorum (quorum nullus apud eos) ars, ad salutem tuendam aut amissam recuperandam, prodest. Ingenio sunt plerique satis sagaci, & ad quasvis artes aut disciplinas perdiscendas capaci, memoria tenaci, formæ elegantia, & staturæ proceritate insignes multi, hilari vultu, strenui & animosi, pugnandique vel privatim vel publice, quando de offert occasio, validitatem, & intrepidum animum ostendunt. Acute pro educatione loquentes ipsi, aut acute ab aliis prolata avide audientes, & recondentes. Humanitatem,

civilitatemque, quam à Scottis apud ipsos degentibus, hauserunt, aut exprimunt, aut exprimere conantur. Sacras conciones ipsi etiam rustici attente & audiunt, & auditas mutuis inter sese repetitionibus ad memoriam mire revocant.

Natalem Christi, & Pascha, Dominicæ ut cœnæ participes fiant, magno in templo confluxu venerantur. In Orcadibus magnus est incolarum numerus: habito enim censu capitum, quod in ipsorum armilustriis factum est aliquoties, Comite Orcadum ultimo vivente, prope *Kircwam*, in prato vicino amoenissimo, numerata sunt decem millia virorum, præter eos, qui singulis aratris, agris sativis, domi, evertendis, invigilarent.

Agri si quid parentes mortui reliquerint, liberi superstites, sive mares sive fœminæ, æquis portionibus inter se dividunt, hæreditatemque divendere, sacrilegii loco ducitur.

Aquimolis (ventimola enim nulla illic) glacie brumali, aqua nondum obstricta, grana sua molunt, non in Atomos ea convertendo, ut in Scotia, sed grandiuscule findendo, ut, cum in panibus eorum subcinericiis, quorum frequentior illic usus, tum in panibus, orbili super ferreo, aut lapideo, pistis, videre est. Aquimolis vero gelu obrigescentibus, grana sua trusatili mola (*quearnes vulgo vocant*) fœminarum ministerio, suavi voce prolatis cantilenis, ingratos alioqui per se molarum trusatilium sonos delinientium, molunt.

Ponderibus duum generum bona sua examinant, majore (*τ\_ Poundlar vulgo appellant*) quo frumentorum quantitatem: & minore (*τ\_ Bismar vulgo dicitur*) quo lanam, horridior paulo quæ est alicubi apud eos, butyrum, caseum, linum, resque alias minutiores, probant.

Convivia, quæ agitare incipiunt paulo ante natalem Christi, & continuant fere per magnam brumæ partem, præsertim Cracoviæ, (ut, aut hilarius current genium, vel novas contrahant amicitias, aut veteres aliqua ratione labefactatas, renovent, confirmantque) sunt illis larga, variis & optimis cibis, (ut suppeditat Patria) & potu, cervisia imprimis aliquando cum, aliquando sine lupulo cocta, validissima, liquidissima & invitante, ut bibatur, colore referta.

Talis cervisia notissima Lethæ, Edinburgi, multisque aliis in Scotia locis, excocta fuit olim, in ædibus rusticis Scapæ inferioris (locus est, mille passus *Kircwa* distans ad meridiem, jam in ipso oppido,) mercatores excoqui curant, tantæ robustitatis quandoque ut vel guttula illius in ignem conjecta, aquæ vitalis in morem, inflammam accendatur: diuque, id est septennium ultra, ætatem recens & fortiter, ferat.

Inter bibendum in conviviis, si quid vini Hispanici vel Gallici (cujus *Kircwam Letha* satis magna copia advehitur) adsit, eo solutores quidam se ingurgitant; alii, moderatus qui biberent, ultra animi desiderium, propositis nominibus absentium amicorum, bibere aliquoties, coguntur. Scyphus ille peramplus Divi Magni, quem poculum vocabant, ab Episcopo Lao Glascuam ante multos annos translatus est, ac proinde ejus exinanitione ab episcopis ad se venientibus (nullus cum nunc sit ibi Præsul) neque de prospera neque incommoda sua fælicitate (prout Majores ipsorum faciebant) divinantur.

Summum Magistratum qui gerit, & Prætorem Capitalem agit, in litibus, & rebus majoribus aut minoribus, *Kircwæ* vivit, ubi Senatus [145] uterque Politicus & Ecclesiasticus viget: jus dicitur omnibus eò ex insulis confluentibus, statutis temporibus, ad Kalendas nempe Novembres aut eo circiter. Sub Prætore Capitali quatuor *Kircwæ* prætores inferiores (Balivos vulgo vocant) suffragiis Prætoris capitalis (qui & *Kircwæ Consul* est) & membrorum Senatus politici, quotannis creatur; minoribus causis audiendis intersunt, quando ipse Prætor capitalis, insulas omnes, querelis audiendis, & jure dicendo, obit. Personas maleficas, delatas, & compræhensas, sua ipsarum confessione, aut judiciis certissimus & testimoniis irrefragabilibus, Ministrorum Ecclesiasticorum præeunte & examine & approbationes, convictas & damnatas, Vulcano dicant.

Pastores Verbi Dei singulis mensibus, temore æstivo (hyemali enim sævissimo mari committere se non audent) *Kircwæ* conveniunt, eademque in rebus ecclesiasticis pertractandis ratione, qua in ipsa Scotia (ex qua magna ex parte sunt oriundi) procedunt.

Ministri numero sunt septemdecem in universum; tres, qui in australibus; octo, qui in Pomonâ; & sex qui in borealibus insulis, ecclesiarum, rerumque eo spectantium, curam gerunt, disciplinamque ecclesiasticam in delinquentes magna cum diligentia & feveritate excercent.

**Religionis Reformatæ omnes hodie sunt.**

**Qui Orcadas primi tenuerint, satis non constat. Omnes Germanicæ originis eos fuisse contendunt; at è qua natione Germanorum advenerint, id non proditur. Si ex sermone conjecturam facere liceat, ex Norvegia vel Dania oriundos poterit quis existimare: olim namque, & hodie quoque, in multis, non in omnibus Orcadum insulis, vetere Gothica seu Norvegorum lingua, sed multum corrupta utuntur, eademque res ponderandi ratio cum Norvegis, est ilis communis. Hodie vero Scotorum (quorum magnus apud eos numerus vivit, præcipuo in Ecclesia, & Politia munere fungens) vernacula, ut & ipsorum Gothica, juxta est quibusdam ex eis in usu. Sunt qui Pictos eos fuisse arbitrantur, hoc maxime argumento, quod fretum eos à Cathanesia dividens Picticum cognominatur: & præterea, quod in diversis Orcadum locis, domunculæ quædam subterraneæ (quas Pictorum fuisse Indigenis etiamnum hodie est persuasum,) inveniantur. De re vero incerta nil certi affirmandum.**

**ALIA  
ORCADVM  
DESCRIPTIO.**

Scotia Septentrionalis vicinas continentí suo habet Insulas *Orcades*, ad latus boreale; ad Occidentale, Hebridas; & altius versus Septentrionem Scotlandiam. Sunt autem Orcades Insulæ, ab hominibus cultæ, XXVIII, præter alias complures habitatoribus vacuas, quæ pascendo solummodo pecori inserviunt. Vulgo *Orkney* appellantur, modicis inter se discretæ spatiis. Eas ita appellat antiqua membrana, quasi *Argath*, id est, supra *Getas*, Camdenus mavult supra *Cath*, objacet enim *Cath* regioni Scotiæ, quam ob promontorium *Cathnesse* nunc vocant, cuius incolæ Carini pro *Cathini* perperam Ptolemæo nominari videntur. Solini ætate hominibus vacarunt, & junceis herbis inhorruerunt, nunc vero cultæ sunt. Pars sunt Imperii Scotti. Olim tamen suis paruerunt Regibus. Trium meminerunt annales Scotiæ, quorum primus *Gavus* fuit (uti quidam opinantur) in triumphum abductus cum uxore & liberis à Claudio Cæsare, cuius mentio fit apud *Tranquillum*, *Bedam* & *Eutropium*. Secundus *Belus* sibi manus intulit, victus prælio ab Eveno Scotiæ Regæ.<sup>124</sup> Tertius *Gethus* fuit, frater *Gethi* Regis Pictorum, qui ex Albione fugiens hic Rex creatus est. Incertum qui primi has insulas tenuerint, an Picti, an Saxones, an Dani & Norvegii, quod maxime versimile, quia & lingua, & moribus, & locorum appellationibus Danis maxime similes sunt, quibus tamen Scotia suos idiotismos & mores permiscuit. Regio omnis sylvis caret, hordei tamen & avenæ feracissima. Serpens in eis nullus aut venenosum animal, quo etiam Hibernia caret. Animalium greges numerosissimos nutriunt. Lepores, cuniculi, grues & cygni hic multi. Copiosa item hic piscatio est, ex qua incolæ quæstum uberrimum referunt. Iulius Agricola classe primus Britanniam circumvectus, Orcades ad id tempus incognitas, invenit, domuitque; tantum abest, [146] ut Claudius, de quo supra, devicerit, (quod Hieronymi Chronicis asseritur) ut Hadriani tempore Iuvenalis cecinerit:

— *Arma quid ultra  
Littore Iuvernæ promovimus, & modo captas  
Orcades, & minima contentos nocte Britannos.*

Deinde vero cum Romanorum in Britannia concideret imperium, Pictorum sedes fuerunt, ut Claudianus Poëta lusit:

— *Maduerunt Saxone fuso*

---

<sup>124</sup> i.e. Rege

*Orcades*

Nechtius etiam tradit Ochtam & Ebissum Saxones, qui sub Britannis meruerunt, cum XL myoparonibus circa Pictos navigasse, & Orcades devastasse. Postea in Norvegorum potestatem & Danorum pervenerunt, unde Gothice loquuntur incolæ: & demum Christiernus Rex Daniæ pacta pecunia, anno M CCCC LXXIV, omne jus suum in Regem Scotiæ transtulit. Harum autem præstantissima *Pomonia*, cathedrali Episcopali celebris, à Solino Pomona diutina, ab diei prolixitatem, vocata, hodie *Mainland* incolis, quasi continens esset. Ab occidente in orientum exporrigitur, secundum longitudinem; sita inter 59 & 58 gradum latit. Borealis. In littore habet *Kirckwalle* oppidum, cuius vicinia stanni & plumbi fodinas habet. Inde modico freto interjecto & insulis aliquot est Scoticum littus. Nomina aliarum sunt: *Hoy*, *Grams-Oy*, *Souna*, *Flotta*, *Burra*, *Coupins-Oy*, *Eglis-Oy*, *Rouus-Oy*, *Fara*, *Westr-Oy*, *Wyer*, *Gres-Oy*, *Papa*, *Heth-Oy*, *Sand-Oy*, *North-ranals-Oy*, *Stronsa*, *South-ranals-Oy*, *Siapins-Oy*, &c. *Ocetis* etiam inter has Ptolemæo recensetur, quam Hethy nunc dici conjectat Cambdenus: An vero *Hoy* quæ inter has numeratur, Plinni *Dumnam* dicam, inquit Cambdenus, nondum status. *Zelandiam* quoque unam earum nominat Iohannes Major, quinquaginta mille passibus in longum porrectam. Incolæ, cum abundant hordeo, potentissimum potum conficiunt, & omnium mortalium dicuntur esse maxime temulentí, & bibaces, nullum tamen in iis unquam ebrium, aut mente alienatum, nullum amentem aut stolidum esse, auctor est Boëthius. vivunt 100 annos, & ultra.

Aëris temperies saluberrima per æstatem, verum brumali tempore tempestates sœviunt. Qui proprius insulas perlustrarunt, dicunt bufonem ibidem reperiri, hoc excepto nullum animal venenatum. Arboribus caret. verum insula *Hoy* frutices, & arbusta protrudit. non dubium tamen est, si inibi plantentur arbores, non defore ad earum nutritionem soli genium. Herbarum hortensium, olerumque feraces admodum sunt. Plumbum, ferrum & stannum suppeditant. Moribus, legibus & corporum habitu à Scetlandicis vix differunt, nisi quod hi humaniores sint, & in peregrinos officiosissimi.

[147]

INSVLARVM  
SCHETLANDIÆ  
DESCRIPTIO;

EX BVCHANANO

Proximo post illam [*Faram scilicet*] est insula Hetlandicarum maxima, quam ob eam causam incolæ [Mainland, id est,] Continentem appellant, sexaginta millia passuum longa, lata alicubi sedecim, in plurima parva se promotoria spargens. Duo tantum sunt, quæ nominare non pigeat: alterum, longum, sed angustum in Septentriones excurrit: laterum latius in Orientum hibernum. Maritima fere habitantur. Interiora nullum animal præter volucres adit. Superioribus annis incolæ latius quam majores eorum solebant, excolare tentarunt: sed nullo prope successu. Divitiæ eis sunt à mari, ab omni parte summa piscandi commoditate objecta.

Ab ea ad decem millia Spetentriionem versus est Zeal sita, supra viginti millia longa, octo lata, adeo fera, ut nullum animal nisi illic natum, ferat. In hac habitare dicitur Bremensis mercator, qui omnes merces exoticas, quarum illic usus abunde omnibus suppeditet, apportet. Inter hanc, & Continentem jacent insulæ minores Linga, Orna, Bigga, Sanctferri.

Ultra hanc circiter novem millia ad Septentrionem jacet Vusta, supra viginti millia in longum porrecta, in latum sex. Plana, & alioqui non inamœna aspectu, nisi quod longe sœvissimo mari ambiatur. Inter hanc, & Zeal sunt interjectæ Via, Ura, Linga. Extra eam ad Occidentem respiciunt Skeniæ<sup>125</sup> duæ, Burra: ad Orientem Balta, Honnega, Fotlara septem millia longa, ab Vusta septem distans, octo à Zeale: & objecta freto, quod Vustam à Zeale dividit.

Multæ deinceps insulæ ignobiles prætenduntur Orientali Continentis lateri; Mecla, Skeniæ Orientales tres, Chualsa, Nostunda, Brasa, & Musa. Latus Occidentale cingunt Skeniæ Occidentales, Rottia, Papa parva, Vonneda, Papa major, Valla, Trondra, Burra, Haura major, Haura minor, & inter eas totidem fere Holmæ intersparsæ.

Victus ratio Hethlandicis eadem, quæ Orcadensibus: nisi quod juxta copias domesticas paulo asperior. Vestiuntur Germanico ritu, sed juxta facultates non indecore. Proventus illis est ex panno sui generis crasso, quem Norvegis vendunt; ex oleo è piscium intestinis confecto, è butiro, è piscatu. Piscantur naviculis duorum scalmorum, quos factos à Norvegis coëmunt. Quos cœperint pisces partim sale condunt, partim vento siccant. Ex iis fere rebus divenditis pecuniam conficiunt, unde vectigalia solvunt: domos in quibus habitent, suppellectilem universam, ac magnam victus partem parant. In domestico instrumento qui elegantiæ student, nonnihil argenti habent. Mensuris, numeris, ac pondere, ad morem Germanicum utuntur. Germanicus etiam, aut pene vetus Gothicus est illis sermo. Ebrietatem ignorant, nisi quod singulis mensibus se mutuo invitant: eosque dies hilare, & simpliciter, sine rixis, & cæteris quæ fert ebrietas, vitiis transigunt: eamque consuetudinem ad mutuam amicitiam retinendam facere sibi persuadent. Salubritatis firmitudo in Laurentio quodam nostra ætate apparuit, qui post centesimum annum uxorem duxit. Centesimum quadragesimum annum agens, sœvissimo mari in sua navicula piscatum prodibat, ac nuper nulla vi gravioris morbi labefactatus, sed senio solitus decessit.

NOVA DESCRIPTIO  
SCHETLANDIÆ.

Hethlandiæ pars Meridionalior licet Orcadibus insulis borealioribus ob terræ altitudinem, sit

<sup>125</sup> i.e. Skerriæ [error taken over from Buchanan; also in following paragraph]

conspicua, ut & hæ vicissim isti, à se invicem tamen absunt ad 80 millia passuum, horrendum fremente & furente mari interfluente.

In medio fere illius maris trajectu jacet *Fara*, id est, bella insula, (vulgo *the Faire ile*) Orcadibus & Hethlandiæ conspicua, assurgens in tria alta promontoria, rupibus excelsis præcincta, & undique inaccessa, nisi quod ad orientem æstivum, paululum se demittens, stationem tutam navibus præbeat.

[148] Huic ad æstivum occidentem adhæret vastissimus scopulus herbidus, turris in morem acuminatim in altum ascendens, ovibus frequens, unde & Scopulus ovium, (id est vulgo *the sheepe craige*) nomen habet; satis pro loco & situ frugum, pecudum, aliarumque rerum vitæ humanæ sustentandæ maxime necessariarum, fæcunda; imprimis vero omnigenorum fere piscium, ob immodicum æstus violentissimi fluentis & reciprocantis velocitatem. Quod ad nomen τ\_ Schetland attinet, diversimode à Buchanano exprimitur, alias Hethlandiam, alias Zelandiam, alias Schetlandiam omnes has insulas junctim quasi complectens, nuncupat; etiamsi unaquæque insula, peculiari sua gaudeat nomenclatura. Primum nomen habent hæ insulæ ab altitudine: nam multis in locis sese altius in aëra attollunt; secundum à situ habent; in maris enim peculiari sed longe frigidissima parte collocantur; tertium à tributo quod & Scotorum Regibus, & etiam Norvegiæ Dominis olim & hodie etiamnum Norvegiæ Dominis olim & hodie etiamnum pendunt, (quod vectigal proprio sermone τ\_ Scat vocant) quasi diceret quis terram tributariam, habent.

Proxima post Bellam insulam, Orientem brumalem versus est insula Hethlandicarum maxima nullo peculiari nomine designata, sed quod reliquas Hethlandicas insulas longitudine & latitudine multum præcedit, ab incolis Continentis (id est vulgo *The Mainland*) nomine insignitur: sexaginta millia passuum longa, lata alicubi sedecim, in plurima parva promontoria se exorrigit: quorum duo sunt præcipua, alterum longum sed angustum in Septentriones excurrit, cui *Æstines* nomen, alterum vero latius in orientem hibernum se extendit, & Phedelandiæ promontorium diciter. Hujus insulæ maritima fere tantum ante aliquot annos frequenter habitabantur, hodie tamen intima etiam ab industriis hominibus, variis in partibus, coluntur & incoluntur. Montes in hac insula sunt præalti, erica obtecti, quorum primores ad austrum montes Cliftici dicti, & ad boream mons Renisfeltius insigni in apice Pharo decoratus, ut & valles plurimæ, aliaque loca deppressa & feracia.

Tota terra Hethlandica dividitur in Insulas proprie dictas quadraginta sex numero, Holmas quadraginta, & scopulos triginta, quibus omnibus sua propria distinctionis ergo indita sunt nomina. De præcipuis tantum insulis pauca delibanda.

A continente ad sex millia boream versus est *Zeal* insula (vulgo *Yell*) octodecim millia longa, novem lata. Ultra Zealem ad boream sita est *Vusta* Zeali longitudine & latitudine pene æqualis, plana, adspectu jucunda, fertilis, & plurimis ædificiis, pro more gentis, apprime exornata. Inter hanc & *Zeal* interjectæ sunt exiguae quædam insulæ, *Via*, *Vra*, *Linga*. Extra eam ad occidentem respiciunt scopuli varii, & *Burra*: ad orientem *Balta*, *Honnega*; ad meridiem *Fotlara*, alias *Phædor* dicta insula, septem millia longa, ab *Vusta* septem distans, à *Zeale* octo. Multæ deinceps insulæ non magni momenti prætenduntur orientali Continentis lateri, nempe *Mekla*, *Skeniæ*<sup>126</sup> orientales tres *Chuæsa*, *Nostunda*, *Bressa*, & *Musa*. Latus Continentis occidentalis cingunt, occidentales *Skeniæ*, *Rottia* vel *Ru*, *Papa* parva, *Vouneda*, *Papa Major*, *Valla*, *Trondra* (vulgo *S. Trononis insula*) *Burra*, *Haura* major, *Haura* minor, interque eas totidem fere *Holmæ* intersparguntur.

---

<sup>126</sup> i.e. *Skerriæ* (see note above [147])

Bona sunt Hethlandicis plurima à terra & mari. Avenæ quidem exiguae, sed multi hordei insulæ magna ex parte sunt feraces; Boves habent, oves quoque semper binum fœtum, aliquando ternum ferentes, & majores quam in ipsa Scotia: equas quoque seu potius equulos, sed supra quam cuiquam credible, ad omnia officiorum genera, ipsorum naturæ congruentia, idoneos; (vulgo *Schalties* vocantur) aratris aptos, ut & ephippiis sessores non decussando lassantes, sed Asturconum instar glomerante gradu, per multa milliaria locorum salebrosorum, eosdem, quo volunt vehentes & revehentes. Pannus quidam ipsis est crassa ex lana confectus, patro idiomate τ\_ *Wadmeal* dictum, quem cum Norvegis, cum aliis mercibus, & rebus sibi necessariis commutant. Optimæ illic ex filis laneis, à maxima parte vulgi, Chirothecæ, ad brumale frigus arcendum, aut contractum abigendum, cum tibialibus contexuntur. A mari vero plurima ipsis commoda obveniunt: pescationi enim creberrimæ non æstate tantum, sed & hyeme vacant, scaphis superius non coniectis inter fluctus è diametro horrendissime pugnantes, cujus audaciæ nimiæ, interitu, sæpe pœnas luunt. Pisces, quîs abundant, sunt, Asellus major & minor, seu Calariæ, Gobius, Accipenser, Scombrus, Xiphias, Raia, Rhombus, Halex, Silurus minimus, major, maximus, Conger, Soleæ: testacei etiam pisces plurimi, nempe Ostrea, Mytili, Cochleæ, Limaces, Locustæ marinæ: & pisces majores, Dracones seu Balænæ, Sues marini, Phocæ, Lutræ; pisciumque ex intestinis oleum, quod per hyemem, adurunt, vice candelarum, conficiunt. Quin & avibus omnigenis pene hæ Insulæ abundant: avis tamen ericaria, multum licet illic sit ericæ, non conspicitur, nec eo adducta vivit, ut multiplici experientia patuit: importata enim ex Orcadibus in has insulas paria aliquot hujus avis, illico terram Hithlandicam ut attigerunt, animas exhalarunt. Sed quæ tanti causa miraculi, humanum latet sensum, visumque est [149] Omnipotenti, ut non omnis ferat omnia tellus. Præter anseres cicures, & feles multos habent, quos incolæ pro diversitate generis, diversis nominibus insigniunt. Nulla hic urbs, nisi una in Continente (vulgo *Scallavobantis* dicta) exigua quidem, sed Castello munita & exornata, quo juris dicundi ergo, quoties occasio fert, undique ex omnibus Insulis hisce confluitur.

Æstate dies longissimi ad duos integros menses hic durant, magnaue est aëris ut serenitas, ita & salubritas: hyeme vero ad totidem menses dies est brevissimus; aërque tum tempestuosissimus evadit, mareque contradictoriis æstibus agitatum, terribilem in morem sœvit, hominibusque in terra etiam stantibus horrorem non modicum ingerit.

Materies ignis illis est gleba ubique optima, & erica. Potus vulgi est serum lactis aliquot annos doliis infusum, subtus terram in cellis frigidioribus reconditum, unde fortissimum evadit, citoque inebrians; hoc potionis genus Blaedium, seu Blanum vocant: opulentiores vero optimam & validissimam coquunt domi cerevisiam, advenisque animo hilari & vulto bono eam propinant. Victus vero in genere Hethlandicis eadem, quæ Orcadensibus, nisi quod juxta copias domesticas paulo asperior.

Vestiuntur quidam ritu Germanico, sed ditiores Scoto, juxtaque facultates satis decoro. Ex piscibus captis, partim sale conditis, partim vento siccatis & divenditis pecuniam comparant, unde vectigalia solvunt, domos in quibus habitent, supellectilem universam, ac magnam victus partem, id est, farinam & cerevisiam parant. In domestico instrumento elegantiae & nitori student, argentum quibus est. Ipsos harum insularum incolas primos ex Germanis aut Danis vel Norvegis oriundos indicio est, quod mensuris, numeris ac pondere ad morem Germanicum utantur: Germanicusque aut vetus Gothicus sermo, qui apud illos in usu est. Ingenio sunt satis sagaci, omniumque artium ac disciplinarum (si illis addiscendis apponenterentur) capaci. Quod ad mores Hethlandorum, quia multum ævi longinqua valet mutare vetustas, temporaque ut mutantur, ita & nos mutamur in illis, idem plane videre est, in vetustis & modernis harum Insularum Incolis, olim quidem rudibus, hodie vero elegantibus moribus præditis, per frequentem peregrinorum, maxime Scotorum in ipsis cohabitantium, conversationem. Religionis sunt omnes uti dicunt reformatæ, dempta una familia, Chynæa quæ nomine, quæ ante paucos annos eo immigravit. Devota & pia est plurimis ipsorum dispositio; Cædem & sanguinis effusionem, nisi maximopere irritentur, odio habent: quin & insolitis juramentis, imo quibusvis crebrius usurpati, religio est illis libentur uti, summamque inter se more fraterno amicitiam colunt, violatamque conviviis mutuis redintegrant & constabiliunt. Ex

aëris & soli salubritate summa est illis corporis firmitudo; quæ tempore illustrissimi Roberti Stuarti, Iacobi quinti Scotorum Regis filio Notho & harum Insularum Comite, apparuit in quodam Laurentio de Gruinivo, qui post centesimum ætatis annum uxorem duxit: annumque centesimum quadragesimum agens, sævissimo mari in sua navicula piscatum prodibat, & bombarda aves in aëre prætervolantes, aut in aquis natantes, certo ictu occidebat; nullaque vi gravioris morbi labefactatus, solo senio solutus decessit. Vnde nullus apud eos Medicus, immo nec Pharmacopæus; suis enim vulneribus, si quæ acceperint, ipsi medicantur.

Familiæ apud ipsos variae sunt, inter quas tanquam capita eminent Brussii, Sinclari, Moveti, Niveti, Chynæi. Ecclesiæ Pastores ex Scotia eo certis temporibus veniunt, & in doctrina Christiana tradenda, & disciplina Ecclesiastica severe exercenda in omnes delinquentes, sed maxime in obstinatos, diligenter sudant. Sitæ sunt hæc Insulæ inter gradum 60 & 61, & ab occidente æstivo in orientem hibernum exporriguntur.

#### Earundem Insularum alia descriptio.

In Oceano Septentrionali Insulæ sunt, *Islandia, Scetlandia, Groenlandia*. Sunt autem *Scetlandicæ* insulæ plures, quæ supra Orcades positæ propiores sunt Septentrioni, positæ in altitudine grad. 60 & 61. Ab Occidente Norvegiam adspectant, continentem Europæ proximam. Exporriguntur ab Austro in Boream miliaribus Scoticis LIII, Germanicis XIX. Numerantur XXVI, cultæ & habitatæ, licet & plures aliæ sint capaces satis, verum alendis solummodo pecoribus, habitæ. Maxima omnium, *Mainlandia* in Tabula vocatur, in plurimas peninsulas divisa & fracta, cui junguntur, *Vnst, Via, Yell, Haskersu, Fetlar* sive *Pheodor-Oy, Papa Stour, Havra, Burghu, S. Tronons-Yle, Mousa, Bressa, Noss, Linga melde, Whals-Oy, Skerries* &c. Merces maxime indigenis familiares, genus sunt panni vilius, quod peculiaris gentis vocabulo *Woadmeil* vocant, quas cum Norvegiis, aliis mercibus, permutare solent. Etiam mercaturam [150] piscibus exercent, quales sunt asellus major, accipenser, Xiphias, scombrus major, galeus lævis, Belgicè *Haye*, aliquie, Anglice dicti *Killingh, Turbatt, Skellocks*; ex quo genere piscium coctorum lentorem ac pinguedinem colligunt, tergendis lavandisque linteis idoneum. Pisces istos singulis diebus Sabbathi distrahunt inter Bremenses aliasque Germanos, eo commerciorum causa profectos. Abundant insuper hæc insulæ avibus omnis fere generis, & variæ formæ. Anatum species plurimæ sunt, quæ singulis suis nominibus ab indigenis distinguuntur. Armenta, boves, vaccæ majores sunt, quam in Scotia, & quidem coloris ut plurimum candidi, majores quoque oves. Tergora, pelles, animalium exuvias, etiam lentorem illum supradictum cum peregrinis ac advenis commutant, eaque repetunt, quibus maxime ipsi egent. Incolæ moribus sunt paulo rudioribus, alias ingeniosi satis & industrii, tum in mercaturæ studiis, tum in formandis reipub. suæ legibus. Religiosi insuper sunt, homicidia ac cædes summopere detestantur, pacifice satis inter se ac concorditer viventes. Nullos illic vel mendicos, vel nebulones, vel fures reperias, ægre ad juramenta adducuntur. Ex maris spoliis plerique vicitant, vitam degentes nauticam; vitæ suæ prodigi sunt, cum procelloso admodum mari, exiguis scaphulis, se committant, quas facile maris æstus ac fluctus, quem *Roosts* vocant, absorbet. Agros excolunt, sed segnius, qui hordeum & avenam ferunt; ædium quoque cultum negligunt, cui mare præferunt. Nullas ullibi arbores reperias, & tamen ex signis quibusdam colligere est, arbores inibi fuisse. Domos habent inelegantes, verum pluviis, ventisque impervias, sola patente janua, & foramine tecti, quo diem excipiunt. Carnibus, piscibus, caseo & butyro vivunt, quæ census suos & onera solvere tenentur: pondera & mensuræ similes sunt Norvegicis, uti & alia domestica. Lingua ipsis Danicam maxime refert, admixtis Anglicis vocibus. In potum uberiorem proniores sunt, nec minus ad provectam admodum senectam perveniunt, testantur indigenæ vixisse apud se hominem centum & sexaginta annorum. Corporibus sunt firmis, validis & bene habitis.

Ad latus harum insularum occidentale cernitur Insula, *Thule* dicta, verum an hæc vera illa *Thule* sit, Virgilio aliisque Romanis scriptoribus memorata, dubium. Statius Britanniam esse voluit, cum inquit:

*Cærulus haud aliter cum dimicat incola Thules*

*Agmina falcifero circumvenit acta covino.*

Ptolemæus ejus medium ponit gradu longit. xxx, min. 20, latitud. LXIII. Suidas nomen traxisse putat à Thule Rege Ægyptio; Isidorus à Sole. Ejus verba adscribam: *Thule ultima insula Oceani inter Septentrionem & Occidentalem plagam, ultra Britanniam, à sole nomen habet, quia in ea aestivum solstitium facit Sol, & nullus extra eam dies est. Vnde pigrum & concretum ejus mare.* Reinerus Reneccius docuit *Tell* lingua Saxonica significare limitem, quo forte respexit Isidorus. De ejus ergo positione ambigitur. Ortelius suspicatur *Tilemarchiam* Norvegii Regni tractum esse antiquorum Thulen. Atqui ex Isidoro Thule inter Septentrionem & Occidentem sita cum sit, alibi querenda est. Plerique alii Islandiam volunt esse ipsissimam Thulen, à quibus tamen dissident, Saxo Grammaticus, Crantzius, Milius, Iovius. Caspar Peucerus libro de terræ dimensione autor est *Scetlandiam* vocari à nautis *Thilensell*; quod si ita est, merito cum Cambdeno dicere liceat, inventam Thulen. Certe Solinus eam juxta Britanniam ponit: *Multæ aliæ circum Britanniam insulæ, è quibus Thule ultima, in qua aestivo solsticio, Sole de Cancri sidere faciente transitum, nox pæne nulla. Brumali solsticio dies adeo contractus, ut ortus juncti sint & occasus. Ultra Thulen pigrum est & concretum mare. Inde à Caledoniæ promontorio Thulen potentibus bidui navigatio est.* Quamvis autem Scetlandiæ Polus arcticus non ita attollatur, ut de Thule commentus est Pitheas Massiliensis apud Strabonem, tamen ut eam eandem cum Thule judicemus, faciunt 1. Nominis ante relati affinitas. 2. Poli elevatio cum Ptolemaica exakte consentiens. 3. Quod bidui navigatione à Caledoniæ promontorio distet, ex Solini descriptione. 4. Quod inter Septentrionalem & Occidentalem plagam sit interjecta, ut notavit Isidorus, hoc est, inter Norvegiam & Scotiam, quo loco eam quoque Saxo Grammaticus constituit. Postremo quod Bergorum littori sit opposita, ut voluit Mela; *Thule Bergorum littori opposita est, Grajis & nostris celebrata carmimibus.* De Thule plura vide apud Fr. Petrarcham lib. 3, epist. 1.

[151]

**DESCRIPTIO  
INSVLARVM  
CIRCA SCOTIAM,**

**EX CAMBDENO.**

**HEBRIDES.**

Hinc [à Mannia scilicet] ad *The Mulle of Galloway* sive Novantum Promontorium, nisi exiguæ plane, nullæ occurunt insulæ; sed hoc superato, in GLOTTA æstuario, sive *Dunbritton Frith*, GLOTTA insula eminent, cuius meminit Antoninus, nunc *Scotis Arran*, unde Comites *Arraniæ* in Scotia; & huic vicina est quæ olim *Rothesia*, nunc *Buthe*, à sacra cellula quam *Brendanus* posuit, (sic enim cellula Scotice dicitur.) Inde *Hellan*, olim *Hellan Leneow*, id est, ut interpretatur I. Fordonus, *Sanctorum insula*, & *Hellan Tinoc*, id est, *Insula porcorum*, in eodum sinu conspiciuntur. Sed de his jam prius dictum.

Extra sinum confertissimæ jacent insulæ, quas ipsi Scotti qui incolunt, *Inch-Gall*, id est, *Insulae Gallecorum* fortasse; Angli & cæteri Scotti *The Westerne Iles*, id est, *Occiduæ Insulæ*; superioris ævi scriptores HEBRIDES; sed Ethicus antiquus *Beteoricas*; & Giraldus alibi *Inchades & Leucades*, Plinius, Solinus, & Ptolemæus EBVDAS, *Hebudas*, & *\_Εβυδας*. appellant. Nominis rationem elicere non possum, nisi ita dictas existimem, quod fruges hic non provenerint; prodit enim Solinus harum incolas fruges nescire, & pisce tantum, lacteque vivere; & *Eb eid* Britannice *sine frugibus* sonat. *Incolæ* (ut inquit ille Solinus) *nesciunt fruges, piscibus tantum & lacte vivunt. Rex unus est universis; nam quotquot sunt, omnes angusta interluvie dividuntur: Rex nihil suum habet; omnia universorum: ad æquitatem certis legibus stringitur: ac ne avaritia divertat à vero; discit pauperate justitiam, utpote cui nihil sit rei familiaris: verum alitur è publico. Nulla illi datur fæmina propria, sed per vicissitudines, in quamcunque commotus fuerit, usurariam sumit, unde ei nec votum, nes spes conceditur liberorum.*

Harum XLIV vulgus esse affirmat, cum multo sane sunt plures; triginta esse Plinius scripsit; sed quinque percenset Ptolemæus. Prima RICINA est, Plinio RICNEA, Antonino RIDVNA, nunc *Racline*, & *Riclina* in Antonino legendum puto, *cl* in *d* conjuncto temone facile transit. Insula hæc parva est objecta Hiberniæ, antiquis nota, quod ipso freto inter Hiberniam & Scotiam interponatur, nullo nomine hodie celebris, quam Scoto-hibernicorum strage, qui subinde occuparunt, & ab Anglis exturbati fuerunt. Proxima EPIDIUM est, quæ ex nomine, Epidiorum promontorio, & littori adjecisse conjicerem cum optimo Geographo Ger. Mercatore. Cumque in eo situ *Ila* Insula satis ampla, & campestri planitie fera, conspicitur, hanc fuisse *Epidium*, aut *Epidiorum Insulam* dicam, nam *\_Ἐπιδίων* alicubi legitur. Longa hæc XXIV millaria, XVI lata, pecore, frumento, & cervorum gregibus adeo læta, ut Regi Insularum altera post *Manniniam* sedes fuerit, ut hodie *Mac Connellorum*, qui in hac ad *Dunyweg* suum habent castrum.

Inter *Ilam* & Scotiam *Iona* interjacet, Bedæ *Hy & Hu*, à Pictis Scotorum Monachis donata ob propagatum inter eos Euangelium, ubi Monasterium, Regum Scotiæ sepultura, & sanctorum virorum frequentia celebre, inter quos Columba Pictorum Apostolus primæ notæ fuit, à cuius cella insula etiam *Columb kill* appellatur, uti & vir ipse composito nomine *Columkill* dictus fuit, testante Beda. Hic demum, ut aliqui volunt, Episcopalis sedes constituta erat in *Sodore* viculo, unde insulæ omnes *Sodorenses* etiam appellatae fuerunt, quod in ejus diœcesi censemur. Inde MALEOAS est Ptolemæi, nunc *Mula*, cuius Plinius videtur meminisse, cum inquit *Reliquarum Mella XXV. mill. pass.amplior proditur.* Sic enim antiquissima Plinii æditio Venetiis concipit, ubi vulgatis legitur *Reliquarum nulla*. HEBVDA Orientalior nunc *Skie*, deinde Scotiæ littori longe obtenditur; & HEBVDA Occidentalior magis in Occasum divergens, nunc *Lewes*, cui præest *Mac-Cloyd*, & in antiquo Manniæ libro, *Lodhus* dicitur, monticulis prærupta, saxosa, & raro cultore, sed omnium amplissima, à qua exiguo Euripo *Eust* disjungitur. Cæteræ præter *Hyrtham* ignobiles sunt, aut saxis asperæ, aut cautibus inviæ, & vix virenti cespite vestitæ: has tamen omnes velut imperii sui firmamentum numerata pecunia à Norvegis (ut diximus) coëmerunt Scotti, etsi minimum inde fructum percipient; cum incolæ, antiqui scilicet Scotti, sive Hibernici, homines erectis animis, & projecta audacia, legum severitate, & judiciorum metu se illigari non patientur. [152] Quod vero ad mores, cultum, & linguam spectat, à sylvestribus illis Hibernicis, de quibus egimus, ne tantillum

discrepant, ut facile unam eandemque esse gentem cognoscamus. Rerum in his potiuntur familiae *Mac Conel*, *Mac Alen*, aliis *Maclen*, *Mac Cloyd de Lewis*, & *Mac Cloyd de Harich*. Longe autem potentissima est illa *Mac-Conellorum*, quæ genus jactat à Donaldo, qui regnante Iacobo tertio se *Regem Insularum* dixit, & in Scotiam nullo non crudelitatis genere effere grassatus est; quam tamen Iohannes filius proscriptus luit, coactus omnia sua Regis voluntati subdere, à quo prædia in *Cantir* accepit. Superiori seculo ex his floruit Donel *Gormey MacConell*, id est, *Cæruleus*, forte à veste cognominatus, cui natus Agnus *Mac-Conell*, & Alexander qui relicta sterili & jejuna *Cantira*, *Glinnes* in Hibernia invasit: Agnus *Mac Conell* pater fuit Iacobi *Mac-Conell* à Shano *O'Neal* occisi, & Surlei *Boy* qui terrasin *Rowt*, in Hibernia beneficentia R. Elizabethæ accepit: Iacobo *Mac Conell* natus erat Agnus *Mac Conell*, de quo jam antea loquuti sumus, inter quem & *Mac Clen* odium immane tam penitus fuit insitum, ut nec vi communis sanguinis restinguere potuerit, quin cognato sanguine nefarie se contaminaverint.

ORCADES  
&  
SCHELTLANDIA .

Ab Hæbudibus ad Ortum æstivum, si littora legas, ORCADES demum videas, nunc *Orkney*, XXX plus minus insulas interfuso Oceano discretas, quas ita appellat antiqua quædam membrana, quasi *Argat*, id est, ut ibi interpretatur, *supra Getas*: malim supra *Cat*, objacet enim *Cath* Regioni Scotiæ, quam ob promontorium *Cat-nesse* nunc appellant, cujus incolas<sup>127</sup> CARINI pro *Catini* perperam Ptolemæo nominari videntur. Solini ætate homine vacarunt, & junceis herbis inhorruerunt, nunc vero cultæ sunt, sed sine sylvis, hordei satis feraces, tritici, & arborum omnino indigæ. Ex his Pomonia Episcopali cathedra celebris, primaria est; à Solino POMONA *diutina* ob diei prolixitatem vocata, hodie *Mainland* incolis, quasi continens esset, Sede Episcopali in *Kirkwale* oppidulo, & duobus castris ornata. Stannique, & plumbi ferax. OCETIS etiam inter has à Ptolemæo recensetur, quam *Hethy* nunc dici conjectamus. An vero *Hey*, quæ inter has numeratur Plinii DVMNAM dicam, nondum statui. Certe si non sit, malim *Faire Ile*, id est, *Insula pulchra*, cujus oppidum quod habet unicum *Dumo* dicitur, *Dumnam* existimare, quam cum Becano *Wardhuys* in *Lappelandia* censere. Iulius Agricola classe primus Britanniam circumvectus, Orcadas ad id tempus incognitas invenit, domuitque, tantum abest ut Claudius devicerit, (quod Hieronymi Chronicis asseritur) ut Hadriani tempore Iuvenalis cecinerit:

— Arma quid ultra

*Littora Iuvernae promovimus, & modo captas  
Orcades, & minima contentos nocte Britannos?*

Deinde vero cum Romanorum concideret in Britannia imperium, Pictorum sedes fuerunt, & Claudianus Poëtice lusit:

— Maduerunt Saxone fuso  
Orcades.

Ninnius etiam prodit Octham & Ebissum Saxones, qui Britannis meruerunt, cum VL *Cyulis*, id est, Myoparonibus circa Pictos navigasse, & Orcades devastasse. Postea in Norvegorum potestatem devenerunt, (unde & Gothice loquuntur incolæ) cessione Donaldi *Ban*, qui post obitum fratris Malcolmi *Can-Mor* Regis Scotorum, exclusis nepotibus, regnum invaserat, ut eorum ope in concepto scelere sublevaretur; tenueruntque Norvegi ad annum Salutis M CC LXVI: tunc enim Magnus ejus nominis quartus, Rex Norvegiæ, bellis à Scoto attritus, Alexandro III Regi Scotorum ex pactis reddidit, easdemque Regi Roberto *Brus* anno M CCC XII confirmavit Haquinus Rex Norvegorum. Demumque anno M CCCC LXVIII omni jure suo pro se & successoribus Christianus Primus Rex Norvegiæ & Daniæ cum filiam in uxorem daret Iacobo Tertio, Regi Scotorum renunciavit, jusque suum omne in generum atque successores

---

<sup>127</sup> i.e. incolæ

transtulit; ad solidius etiam firmamentum Pontificis Romani accessit confirmatio.

Comites Orcadum antiquiores ut taceam, qui etiam jure hæreditario *Cathnessiæ*, & *Stratherniæ* Comitatus consequuti sunt, tandem per hæredem fœmellam titulus Orcadum ad Guilielmum de *Sancto Claro*, sive *Sent-cler* devenit, & Guilielmus Quartus ex hac stirpe Comes dictus *Prodigus*, qui patrimonium effudit, ex hac stirpe fuit Comes postremus. Posteri tamen honore Baronem *Sen-cler* ad hæc usque tempora floruerunt. Cathnesiæ autem titulus in posteris fratris ejus etiamnum permanet. Nostra autem memoria delatus erat honorarius hic titulus Comitis Orcadum & Domini *Schetlandie*, Roberto filio naturali Regis Iacobi Quinti, eodemque filius ejus Patricius *Steward* hodie lætatur.

Vltra Orcades, & supra Britanniam, antiquus ille in Horatium Commentator Fortunatas insulas locat, ubi nulos nisi pios & justos habitare scripserunt, suisque carminibus loci amœnitatem & fertilitatem celebrant Græci, Elisios campos appellantes. Sed de his Fortunatis insulis aliud fabulosi Græculi Isacii Tzetzis ex suis ad Lycophronem notis (si placet) [153] accipe. *In Oceano est Britannia Insula, inter Occidentalem Britanniam, & Thulem Ortum spectantem, Illuc ajunt mortuorum animas transportari, nam in littore Oceani, in quo est Britannia Insula, piscatores habitant, subditi quidem Francis, tributum vero illis non pendentes, eò quod transmittant mortuorum animas, ut ajunt. Illi enim discedentes, domi circa vesperam dormiunt, pulsantes vero paulo post, quosdam in janua sentiunt, & vocem audiunt illos ad opus vocantem. Surgentes porro, ad littus accedunt, ignorantes quæ illos ducat necessitas, videntque naves præparatas, sed non suas, & vacuas hominibus, quas ingressi remos movent, & pondus navium sentiunt, ac si hominibus oneratæ essent, sed neminem vident. Impetu deinde uno in Britanniam insulam pervenient, quum vix alias suis navibus usi, unius noctis & diei navigatione illuc perveniant. Quum vero in insulam pervenerint, rursus neminem vident, sed vocem audiunt recipientium illos qui in navibus sunt, illosque numerantium ex genere patris ac matris, præterea secundum dignitatem, artem, & nomen singulos vocantium. Cæterum illi exonerata nave, rursus uno impetu domum revertuntur. Hinc multi existimant ibi esse Beatorum insulas.* Ejusdem etiam farinæ videatur Poëticus ille Geographus, cuius Muretus in Variis Lectionibus meminit, qui prodidit C. Iulium Cæsarem eo aliquando una triremi cum centum hominibus delatum: cumque incredibili loci amœnitate captus, sedes ibi capere vallet, ab illis ἐιδέστιν, id est, invisibilibus incolis invitum & reluctantem ejectum esse. Quinque dierum & noctium navigatione ab Orcadibus THVLE à Solino statuitur. Insula si qua alia Poëtis celebratissima, cum disjunctissimum aliquid innuerent, quasi totius orbis remotissima; hinc Virgilius, *Tibi serviat ultima Thule*. Seneca, *Terrarum ultima Thule*. Iuvenalis, *De conducendo loquitur jam Rethore Thule*. Claudianus, *Thulem procul axe remotam, & alibi, Ratibus impervia Thule*. Statius, *Ignoram vincere Thulem*. Et Ammianus Marcellinus quasi Adagii loco usurpat, *Etiam si apud Thulem moraretur: ut cætera omittam. Hoc tamen adnotasse liceat, Thulem pro Britannia à Statio illo istis in versibus usurpari: Cœrulus haud aliter cum dimicat incola Thules,*

*Agmina falcifero circumvenit acta covino.*

Et in illo Sylvarum videtur,

— *refuo*<sup>128</sup> *circumsona gurgite Thule.*

Nomen traxisse scribet Suidas, à Thule Rege Ægyptio, Isidorus à Sole, Reynerus Reneccius à Saxonica dictione *Tell*, id est, *limes*, quasi Spetentriones & Occidentis limes fuerit. Verumenimvero an Thule aliqua fuerit, dubitat Sinesius, & nusquam comparere scribit Giraldus noster, ancipitique de ea sententia distrahuntur doctiores. Plerique *Islandiam cœlo rigenti & perpetua hyeme damnatam Thulen olim vocatam asseruerunt: his tamen Saxo Grammaticus, Crantzius, Milius, Iovius, Peucerus refragantur. Nec me latet vastissimam illam regionem Scandiam sub Thules nomine à Procopio describi. At si verum*

---

<sup>128</sup> i.e. *refugo*

sit quod doctissimus Gaspar Peucerus libro de Terræ dimensione retulit, *Schetlandiam* nautis *Thilensell* vocari, (nec ejus fidem imminuere ausim) sane Thule inventa, & res jam tandem confecta. Hæc enim *Schetlandia* est insula aliis exiguis coronata sub imperio Scotorum, frigore obrigens, & undique procellis exposita, cuius incolis, perinde ut *Islandiæ*, piscis exsiccatus & contusus pro farre est. Et quanquam huic Polus Arcticus non ita attollitur, ut diem perpetuum sex menses habeat, quod de Thule Pithæas Massiliensis à Strabone juste notatus finxit, nec enim hoc *Islandiæ* ipsi contingit, ubi perpetua quasi hyems, & fere rigor intolerabilis sedet. Vt *Schetlandiam* tamen Thulem fuisse quis existimet, facit primum situs apud Ptolemæum: LXIII enim grad. ab Æquinoctiali definita est, ut apud illum Thule, tum quod inter Norvegiam & Scotiam interjacet, ubi Saxo Grammaticus Thulen ponit, inde quod bidui navigatione à Calidoniæ promontorio, sive *Cathnes* abest, qua distantia Thulen ponit Solinus, & Tacitus dicit *Thulen* dispectam fuisse Romanis Britannium per Orcadas circumnavigantibus. Postremo quod Bergarum Norvegiæ littori apposita sit, quo loci Thulem posuit Mela, apud quem *Belgarum littori*, corrupte legitur pro *Bergarum*. *Bergæ* enim urbs Norvegiæ Schetlandiæ objacet, & Plinius BERGOS hoc tractu nominat, quam non dubito esse regiunculam illam, in qua Bergæ florent, ut *Norway*, Plinii esse NERIGON nemo inficias ibit. Sed de hac Thule satis, quam nix & hiems antiquis (ut ait ille) abdidit, & sane nobis: nec quis eorum certo dixerit quamnam Septentrionalium insularum innuerint, cum Thulen ita celebrarint. De dierum longitudine in ignota illa insula cum de Britannia egerit, hos è Dionysio versus transtulit Festus Avienus:

*Longa dehinc celeri si quis rate marmora currat,*

*Inveniet vasto surgentem gurgite Thulen,*

*Hic cum plausta poli tangit Phœbeius ignis,*

*Nocte sub inlustri rota Solis somite flagrat*

*Continuo, clarumque diem nox æmula ducit.*

Quod Pomponius Mela etiam annotavit. *Thule Belgarum littori opposita est Grajis & nostris celebrata carminibus, in ea quod Sol longe occasurus exurgit, breves utique noctes sunt, sed per hyemem ut alibi obscuræ, æstate lucidæ, quod per id tempus jam se altius evehens, quanquam ipse non cernatur, vicino tamen splendore proxima illustrat: per solstitium vero nullæ, quod tum manifestior, non fulgorem modo, sed sui quoque partem maximam ostendat.*

Supra has insulas mare Pigrum, Concretum, & Glaciale dicitur, quod asperum fit ob glaciei conglomerationes, & vix ratibus pervium. [154] CRONIVM etiam antiquis appellatur à Saturno, quod in insula hîc quapiam Britannica, ut refert Plutarchus, fabulantur Saturnum in profundo pumicis aurei antro dormientem teneri, illi etiam arctissimum esse somnum à Iove pro vinculo immissum, aves ambrosiam afferre, cuius odore totus locus fragrat, dæmonas famulos ei multos additos esse, à quibus observatur, à quibus ei ministratur, & servitur. Qua fabella, ni fallor, metallorum venas, quibus Saturnus præest, his insulis latere subindicatur, quæ tamen exercendis fornacibus lignorum inopia damnatæ sunt.

Infra vero *Thulen* ad Austrum, Germanicum mare diffunditur, in quo septem ACMODAS, Mela HAEMODES vocat, spargi Plinius asserit; sed cum has Daniæ constet esse insulas in sinu Codano, *Lelant, Fuynen, Laglant, Muen, Falstor, Leyland, & Femerem*, non est cur illis immorer, uti nec in GLESSARIA, sive ELECTRIDA, sic dicta, ob electrum ibi è mari ejectum, quod Sotacus credit ex arboribus in Britannia effluere. Cum autem Germani antiqui electra *Glesse* vocarint, *Lesse* insulam ad *Scagen* Daniæ promontorium, GLESSARIAM olim dictam fuisse cum eruditissimo viro Erasmo Michaele Læto lubens existimo.

In ipso autem mari & autem Germanico, qua Britanniam alluit, admodum raræ comparent insulæ, nisi quæ sunt in freto Edenburgensi, *May* scilicet, *Basse, Keth, & Inche Colme*, id est, *Columbæ Insula*.

FINIS.